BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
Racc.
De Marinis
756
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS

PETRI DE MARCA

DISSERTATIONES SELECTAE ECCLESIASTICAE

TRACTATUM

DE CONCORDIA SACERDOTII ET IMPERII

ILLUSTRANTES.

ACCESSIT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

CARMINI FIMIANI

IN REGIO NEAPOLITANO ARCHIGYMNASIO
ORDINARII CANONUM PROFESSORIS

PRAEFATIO AD LECTOREM.

TOMUS QUINTUS.

NEAPOLI

Apud Vincentium Ursinum MDCCLXXI.

Sumtibus Francisci Oriae.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
CARMINVS FIMIANVS.

QVam tibi ſuperioribus retro menſibus promiſſorum fidem publice oppigneraveram, amice Lector, eam nunc, ut inter bonos bene agier oportet, iam exſolvere adgredior. Accipe itaque quintum hoc Operum Petri de Marca volumen, litteratorum hominum votis diu multumque expetitum, quod eas complectitur diſſertationes, Opuſcula, & vero etiam ſcriptiunculas nonnullas, rem eccleſiaſticam illuſtrantes, quae poſt acerbum boniſque omnibus luctuoſum Auctoris obitum ad publicam lucis uſuram evaſerunt. Rei litterarum publicae ſemper intereſſe ratum eſt, praeſtantium virorum lucubrationes, minores praeſertim opellas, quarum & facilis eſſe iactura ſolet, & difficilis ac ſumtuoſior comparatio, in unum redactas faſciculum, litterato orbi communicare. Id ſcilicet factum in Neapolitana hac, omnium quotquot adhuc prodierunt, locupletiore Operum Pariſienſis Antiſtitis editione. Equidem Bibliopolae auctor & ſuaſor extiti, nullis ut parceret ſumtibus ac diligentiae in comparandis iis, quae a Praeſule poſt hominum memoriam clariſſimo litteris prodita ſunt; nec elabi quidquam pateretur eorum, quae ad eccleſiaſticam diſciplinam ſpectarent: omnia vero in unum iuſtae magnitudinis volumen conferret. Geſtus mihi mos eſt ab homine litterariae utilitatis ſtudioſiſſimo. Quamobrem poſt recuſum apud nos quatuor voluminibus in 4. *Foedus Sacerdotii ac Imperii* & Opuſcula eius calci in Pariſienſi editione anni MDCLXIX. in *fol.* ſubiecta, quintum nunc apparet volumen, quo coniunctim exhibentur Opuſcula

illa, quae poſt doctiſſimi Praeſulis fata litterariae reipublicae expromſere Paullus Fagetus Pariſiis MDCLXVIII. 8. & Stephanus Baluzius Pariſiis MDCLXXXI. 8. Nimirum ita factum oportuit, tum ob argumentorum, quae perſequuntur, dignitatem, lectiſſimaſque in iis expediendis eruditionis opes, tum ob exemplarium raritatem, crebraſque doctorum virorum poſtulationes; ea enim iam olim diſtracta in privatorum forulis deliteſcebant, nuſquam fere venalia: unde paucis licuit tam felicibus eſſe, ut eorum uſu potirentur. Iam recens haec editio cum charta nitidiore, typis elegantioribus, & opportunis acceſſionibus haud paucis ſe ſe prae ceteris commendat, tum eo maxime nomine, quod in unum heic compacta habes, quae ſparſa atque diſiecta collectu haud facilia fuere. Quid vero in ea exornanda mea qualicumque opera praeſtitum ſit, iam recenſere non gravabor.

Agmen ducit *Diſſertatio de ſtemmate Chriſti*, qua implicatiſſimum de Chriſti & Mariae genere argumentum fuſe pertractatur. Praeſtat rem omnem paucis perſtringere. Duo Patrum ac eruditorum ingenia mire torſerunt, quo nempe pacto poſſit gemina Chriſti genealogia a Matthaeo (1) & Luca (2) deſcripta invicem conciliari; & qua ratione ea veteris Teſtamenti hiſtoriae congruat. In attexenda Chriſti genealogia ad Ioſephum uſque Domini parentem Matthaeus & Lucas in quibusdam conveniunt, in aliis diſcrepant. Ambo conveniunt in recenſendis Chriſti Maioribus ab Abrahamo ad Davidem Regem, quum parem generationum numerum, eaſdemque perſonas utrique ſiſtant; niſi quod Matthaeus ab Abrahamo ad Chriſtum deſcendit, Lucas vero a Chriſto adſcendat ad Deum uſque. At in enumerandis Chriſti parentibus a Davide ad Ioſephum diſſentiunt inter ſe; Matthaeus enim per Salomonem Davidis filium genus Chriſti deſcribit, ſtirpemque Davidicam perducit ad Iacob uſque, quem Ioſepho patrem tribuit: Lucas autem per prolem Nathanis, alterius Davidis filii, a Ioſepho ad Davidem uſque adſcendit, ac Davidicam ſtirpem terminat in *Heli*,

(1) Cap. I. (2) Cap. III.

li, quem Ioſepho patrem adſcribit. Hinc ambo Evangeliſtae diverſos Chriſti avos proavoſque a Davide ad Ioſephum uſque recenſent; duoſque Ioſepho parentes adſignant, *Iacob* & *Heli*. Ad utrumque Evangeliſtam conciliandum, praeſertim in origine Ioſephi, viri docti diverſas excogitarunt rationes. Iulius Africanus (3) tradit, Matthaeum recenſuiſſe Chriſti parentes ſecundum *naturam*; Lucam vero ſecundum *legem*: adeoque Ioſephum natura filium eſſe *Iacobi*, ut Matthaeus, lege autem filium Heli, ut Lucas enarrat. Nimirum Matthan, qui a Davide per Salomonem deſcendebat, uxorem duxit Eſtham, ex eaque filium ſuſcepit Iacob. Mortuo Matthane, eamdem Eſtham duxit Melchi, ſeu Mathat, oriundus a Davide per Nathan, ex qua ſuſcepit Heli. Itaque Iacobus & Heli fratres erant uterini. Heli ſine liberis mortuo, Iacobus viduam eius ſibi coniunxit, *ut ſuſcitaret ſemen fratris ſui*, ex qua genuit Ioſephum (apud Hebraeos enim lege (4), quae & *Leviratus* dicebatur, obſtringebatur frater viduam fratris ſine liberis defuncti uxorem ducere ad ſuſcitandum *ſemen fratris ſui*, *& primogenitus ex ea filius nomine illius appellabatur*: ac filius ex ſecundis nuptiis ſuſceptus natura ſecundi mariti filius erat; lege vero prioris viri filius habebatur). Ita duos Ioſeph patres habuit, naturalem unum, nempe Iacob, a quo revera genitus eſt, legalem alterum, hoc eſt Heli, cui ob ſuſcitatum eius ſemen eſt attributus. Aliam vero utrumque Evangeliſtam conciliandi rationem iniere Marca noſter, Poſſinus (5), Bollandus (6), Lamy (7), Grotius (8), aliique. Docent hi, Matthaeum ſucceſſionem legalem, ſeu ordinem iuris ad regiam dignitatem, Lucam vero naturalem generationem ſpectaſſe: proinde Matthaeum Ioſepho Patrem adſignaſse Iacob, quia Ioſephus fuit heres *Iacob*; Lucam vero tribuiſse Ioſepho patrem *Heli*, quia Ioſephus fuit filius naturalis *Heli*. Tandem diverſa ratione ad Evangeliſtas illos conciliandos utun-

(3) In ep. ad Ariſtidem, apud Euſeb. H. E. I. 7.
(4) Deuteronom. XXV. 5.
(5) De genealogia Chriſti.
(6) Ad diem XIX. Martii tom. III.
(7) In Harmonia Evangelica.
(8) In Lucae Cap. III.

utuntur Voſſius [9], Baſnagius [10], Serrius [11], Auctor Gallicae Analyſeos (12), aliique. Tradunt hi, Matthaeum deſcribere genealogiam Ioſephi, cuius pater naturalis fuit Iacob, qui ex Davide per Salomonem deſcendebat; Lucam vero texuiſſe genealogiam Mariae, cuius pater naturalis fuit *Heli* (hic idem omnino eſt ac *Eliakim*, ſed *Ioakim*), qui fuit etiam pater civilis Ioſephi, utpote ipſius generi, ob matrimonium cum Maria initum. Hinc, Matthaeum Ioſepho patrem adſcripſiſſe aiunt Iacob, quia genealogiam conſcripſit Ioſephi, cuius pater naturalis fuit Iacob; Lucam vero Ioſepho patrem tribuiſſe *Heli*, quia Ioſephus fuit gener Heli patris naturalis Mariae, cuius genus deſcripſit Lucas. In tanta ſummorum virorum ad Evangeliſtas in origine Ioſephi conciliandos diſcrepantia, in Africani ſententiam impellit me & hominis antiquitas, quippe qui ducenteſimo ac vigeſimo poſt Chriſtum anno claruit; & praeſtans eius doctrina, conatuſque ad Evangeliſtas conciliandos adhibitus, quam in rem non cenſuit κρειττον ἢ ἀληθεϛερον *melius veriuſque* adferri poſſe; & quod ſuam accepiſſe ſententiam teſtetur a δεσποσυνοις *Dominicis*, hoc eſt viris, qui etiam tum de tribu & cognatione Domini ſupererant. Praeterea Africano mira conſenſione adſtipulati ſint Graeci Latinique Patres, nominatim Euſebius (13), Hieronymus (14), Nazianzenus (15), Ambroſius (16), Auguſtinus (17), & B. Thomas (18), a quibus haud temere diſcedendum. Tandem ea ad Evangeliſtas conciliandos omnium planior & adcommodatior eſt, minoreſque prae aliis rationibus, quibus recentiores critici ſunt uſi, difficultates patitur, quibus noviſſime occurrit Graveſonius (19), quem adi.

Iam vero binae Matthaei & Lucae genealogiae in pluribus diffidere ab hiſtoria veteris Teſtamenti videntur. Omnium gravior ἀντιλογια haec eſt. Lucas (20) inter Patriarchas, qui poſt

(9) Diſſ. de Ieſu Chriſti genealogia.

[10] In Annalib. politico-eccleſiaſtic. ad annum ante Dominum VI.

[11] De Chriſto eiuſque Matre exerc. XLII.

[12] Diſſ. V.

(13) H. E. I. 7.

(14) Ad Matthaei Cap. I.

(15) In carmine de Chriſti genealogia.

(16) Lib. III. in Lucam Cap. I.

(17) Lib. II. Retractat. Cap. 7. & 12.

(18) Part. III. quaeſt. XXXI. art. 3. ad 2.

(19) De myſteriis & annis Chriſti diſſ. IV.

(20) Cit. cap. III. v. 36.

Digitized by Google

poſt diluvium vixere, recenſet Arphaxad Cainanis patrem, & Cainanem patrem Sale: contra Arphaxad, omiſso Cainane, pater Sale fuiſse dicitur in Geneſi (21), & Paralipomenis (22). Quare mendum irrepſit aut in vetuſto Foedere, a quo intermedia Cainanis generatio fuit expuncta, aut in Evangelio Lucae, cui male adiecta eſt. In hac veluti ſalebra haerent Interpretes. Iis facile adſentior, qui Cainanis generationem a veteri Teſtamento haud abraſam, ſed in Evangelium Lucae intruſam, ſtatuunt. Sane qui potuerunt Hebraei a Bibliis Cainanis generationem per fraudem eradere, ſi ea deeſt in Hebraico Geneſeos & Paralipomenon textu, inque Verſionibus Arabica, Chaldaica, Samaritana, &, quod caput eſt, Vulgata noſtra? Extat quidem generatio Cainanis in hodierna LXX. Interpretum Verſione; at eam abfuiſse a vetuſtis Exemplaribus, tum aliena manu intruſam, colligitur ex Philone, Ioſepho, Iulio Africano, Irenaeo, Theophilo Antiocheno, Origene, Epiphanio, aliiſque, qui recenſentes Patriarcharum genealogias, Cainanem omittunt, quamvis LXX. Interpretum chronotaxim ſequantur. Deſiderari etiam *Cainan* in editione Romana Carafae, inque emendationibus Graecis, ſcribit Voſſius (23). Deinde Cainanis nuſquam meminere vetuſtiſſimi Scriptores Hebraei, Chaldaei, Graeci; non Ioſephus (24) & Philo, qui ſecundae aetatis Patriarchas enumerant; non Euſebius (25), qui annos veterum Patriarcharum recenſet ſecundum textum Hebraicum, Graecum, & Samaritanum; non Hieronymus (26), dum Patriarcharum exponit genealogias. Quin Cainanis generationem haud obſcure reiiciunt Beroſus Chaldaeus, Eupolemon, Alexander Polyſtor (27), dum Abrahamum decima poſt diluvium generatione vixiſse, ſcribunt; numerata enim Cainanis generatione, non decima, ſed undecima vixiſset. Magis eſt itaque, ut Evangelio Lucae *Cainanis* generationem poſteriori manu additam, dicas; eam enim omiſerunt & Moſes, & LXX. Interpretes:

(21) Cap. X. v. 24. & Cap. XI. v. 12. & 13.
(22) Lib. I. Cap. I. v. 18.
(23) In Iſagoge chronologica Cap. 2.
(24) Antiq. Hebraic. I. 8.
(25) In Chronico.
(26) Quaeſt. in Geneſim, & ep. ad Evagrium.
(27) Apud Ioſephum cit. loc., & Euſeb. Praeparat. Evangelic. lib. IX.

pretes: omiſit quoque Lucas, qui verſionem Graecorum illorum Interpretum ſecutus eſt, in qua *Cainan* olim deſiderabatur. Revera abeſt *Cainan* a nonnullis pervetuſtis Codicibus Graecis Evangelii Lucae, praeſertim a Codice Cantabrigienſi Graeco-Latino, circa quartum ſaeculum exarato. Qui plura de hac re noſſe cupit, is adeat prae ceteris Petavium (28), Natalem Alexandrum (29) Grotium (30), Voſſium (31) & Vſſerium (32).

Secundum obtinet locum *Diſſertatio de Magorum adventu, & an Reges fuerint*, qua praecipue in tempus adventus Magorum, in ipſorum regionem, inque locum, unde parentes ſanctiſſimi in Aegyptum cum puero Ieſu aufugerunt, breviter Auctor inquirit. Optandum ſane fuiſſet, ut tam nobile, ac eruditorum diſſidiis iactatum de Magis Chriſti naſcentis adoratoribus argumentum fuſius curatiuſque pertractaſſet. Quare abs re non erit, paucis hoc loco perſtringere, quae rem hanc totam exhauriunt, & ea identidem adnotare, quae minus probabilia a doctiſſimo Praeſule ſcripta ſunt. Haec potiſſimum in controverſiam diſceptationemque vocantur (I) Quinam fuerint Magi Ieſu nati adoratores, & an Regia dignitate praediti (II) Quis eorum numerus, & quae nomina (III). Vnde venerint (IV). Quandonam Bethleemum pervenerint. (V) Quo loco Ieſum adoraverint. [VI] Civiliſne fuerit haec adoratio, an religioſa. (VII) Quae ſtellae Magorum ducis natura. [VIII] Num ea biennio ante Chriſtum natum fulſerit. IX. Quo tempore Bethleemiticum infanticidium patratum ſit. X. Vndenam Ioſeph cum ſacra familia in Aegyptum confugerit.

Vt a primo exordiar, fuerunt Magi, qui Ieſum natum adorarunt, Philoſophi Aſtrologiae periti, non autem viri magicis artibus addicti. In bonam hanc partem accipiendi ſunt *Magi* illi apud Matthaeum (33), qui Hebraico idiomate locutus eſt; Hebraeis enim *Maghim* eſt *meditabundus*, *ſpeculator* ab הגה *meditari*.

[28] De doctrina tempor. IX. 17.
(29) Hiſt. Eccleſ. veter. Teſtam. Aetat. II. Diſſ. IV.
[30] In Lucae Cap. III.
[31] In Iſagoge chronologica Cap. 2.
[32] Diſſ. de Cainan.
[33] Cap. II. v. 1.

tari. Nimirum Magorum nomen Perſicum eſt. *Apud Perſas*, inquit Porphyrius[34], *qui rerum divinarum periti ſunt, Deoſque colunt, Magi nuncupantur; id enim patria illorum dialecto ſignificat Magus*. Et Apuleius [35]*: Perſarum lingua Magus eſt, qui noſtra Sacerdos, qui leges caeremoniarum, fas ſacrorum, ius religionum rite callebat; magia ſiquidem idem eſt, quod Plato interpretatur* Θεων Θεραπεια. Conſonat Suidas (36): Μαγοι παρα Περσαις ὁι φιλοσοφοι και φιλοθεοι. Tum ab Orientalibus omnibus viri ſapientes, ac ſideralis diſciplinae periti, *Magi* adpellati ſunt, uti mox probabitur.

Num vero Magi reges quoque fuerint, diſputatur. Baronius (37) reges fuiſſe putat, uſitato Scripturae more, quae cuiuſque oppidi dominum adpellare *Regem* conſuevit: cui & Caſaubonus (38) adſtipulatur, *Regulos ac Toparchas* fuiſſe confirmans, & Voſſius (39), ſcribens, *eos fuiſſe Reges, laxe ea voce utendo, ut ſaepe in Scripturis fit, quae Regulos quoque Regum nomine dignatur*. Ipſe Baſnagius (40) poſt Nicephorum (41) patitur, Magos fuiſſe viros *nobilitate generis & opibus inſignes*. Contra Magos fuiſſe reges, negant Serrius (42), aliique non pauci: incertum ac inexploratum id eſſe, Calmet (43), ac Tillemontius (44) arbitrantur. At pia populorum traditio de Magis regia dignitate praeditis & bene vetus eſt, & gravibus everti argumentis nequit. Sane Magos fuiſſe Reges, ſcribunt Tertullianus (45), Hieronymus (46), Caeſarius Arelatenſis (47), Gregorius M. (48), Paſchaſius Radbertus (49), Theophylactus (50), Innocentius III. (51), aliique. In numis etiam ſaeculo X. cuſis tres Reges puerum Ieſum adorantes viſuntur:

b de

(34) Lib. III.
[35] Apolog. 290.
(36) In Lexico h. v.
[37] Ad an. 1. §. 21.
[38] In Baron. exerc. 2. §. 10.
[39] Diſſ. de Chriſti anno natali §. 27.
[40] Ad annum ante Domin. V. §. 41.
[41] Lib. I. cap. 13.
[42] De Chriſto eiuſque Matre exerc. XXXIV.
[43] Diſſ. de Magis Chriſti adoratorib.
(44) Memor. Hiſt. Eccleſ. tom. I.
(45) Adv. Iudaeos cap. IX.
(46) In Daniel. cap. 2.
(47) Serm. CXXXIX. in Append. Serm. S. Auguſtini.
(48) In Antiphonario p. 752.
(49) Lib. II. Expoſit. in Matthaeum p. 391. tom. XIV. Bibliothec. Max. Vet. Patrum.
(50) In Matth. cap. II.
(51) Serm. I. de Epiphan.

de quibus confer Bandurium (52), & Cangium (53). Primus Ioannes Baptiſta Mantuanus (54), qui medio circiter ſaeculo XV. claruit, regiam Magis dignitatem negaſſe creditur, quem alii poſtea ſequuti ſunt, inter quos principem obtinet locum laudatus Serrius. At eius argumentis Sandinus (55) & Bertius (56) abunde fecerunt. Verba doctiſſimi Cani (57) recolenda hic puto: *Sine*, inquit, *plebem probabiliſſimam opinionem, praeſertim quae penitus inſedit & inveteravit, cum ſuis maioribus retinere.*

De Magorum numero nihil ex Scriptura & penitiori antiquitate conſtat. Tres fuiſſe, primus docuit Leo M. (58), qui medio ſaeculo V. claruit. Hunc ſequuti ſunt Euſebius Epiſcopus Gallicanus (59), S. Maximus Taurinenſis [60], aliique. Contra ex apocrypha *quadam Scriptura inſcripta nomine Seth* duodecim ſtatuit Auctor operis imperfecti in Matthaeum [61]. Ternarium tamen numerum Occidentalis Eccleſia probavit. Hinc tres cernuntur Magi in ſarcophagis & picturis apud Aringhium [62], & Bottarium [63], inque numo ante ſaeculum XIV. cuſo apud Ioannem Triſtanum [64]. Porro Magorum nomina apud Graecos & Latinos ad tempora Friderici Barbaroſſae, hoc eſt exitum ſaeculi XII. haud inveniuntur. Tum ab imperitis homunculis excogitata, inque iis variatum; aliis enim *Melchior*, *Gaſpar*, *Balthaſar*; aliis *Appellius*, *Amerus*, *Damaſcus*: aliis *Magalath*, *Galgalath*, *Saracin*: aliis tandem *Ator*, *Sator*, *Paratoras* dicuntur.

Magos ἀπὸ ἀνατολῶν *ab Oriente* veniſſe, prodit Matthaeus (65). Quid *Orientis* nomine veniat, ſilet. Hinc de Magorum regione veteres recentioresque diſſentiunt. Qui eos aut ex Chaldaea, aut

(52) Numiſm. Imp. tom. II.
(53) In familia Zimiſcae p. 152.
(54) Carm. de Epiphania.
(55) Hiſtor. Famil. ſacr. cap. III. p. 30. ſeqq.
(56) De theologic. diſcipl. lib. XXIX. cap. 4. §. 2.
(57) De loc. theologic. lib. XI. cap. 5.
(58) Serm. XXX. XXXII. & XXXIII. de Epiphania.
(59) Hom. I. de Epiphania Tom. VI. Bibliothec. Patrum pag. 622.
[60] Hom. III. de Epiph. Domini tom. V. Biblioth. Patr. p. 10.
[61] Hom. II.
[62] Romae ſubterran. tom II. p. 117. & alibi.
[63] De pictur. & ſculptur. tom. I. & II.
[64] Ep. ad Iac. Sirmond.
[65] Cap. II. v. 1.

Digitized by Google

aut Aetiopia, aut Indis, aut Meſopotamia, aut Aſſyria arceſſunt, nihil equidem moror. Ad verum propius accedunt, qui num ex Perſide, an Arabia Felice ii venerint, quaerunt. A Perſide ſapientes hoſce veniſſe, primus docuit Clemens Alexandrinus [66], quem Baſilius [67], Chryſoſtomus [68], Cyrillus Alexandrinus [69], aliique Patres ſequuti ſunt. Eamdem hanc ſententiam tuentur Caſaubonus [70], Serrius [71], Thomas Hyde [72], Nat. Alexander [73], aliique. Mihi vero arridet vetuſtiſſima Chriſtianorum traditio, Magos ab Arabia Felice, quae regio eſt ad ortum Iudaeae, adventaſſe: quam Marci, Voſſius (74), Grotius [75], Graveſon [76], Baſnagius [77], aliique tuentur. Sane ex Arabia veniſſe Magos, ſcribunt Patres longe vetuſtiſſimi, qui adeo rem melius ſcire poterant, in primis Iuſtinus martyr, qui Samaritanus erat ac Apoſtolorum diſcipulus [78], & Tertullianus (79); quos Cyprianus (80), Epiphanius (81), aliique ſequuntur. Deinde, ut Arabia deſerta ad meridiem, ita Felicis Arabiae pars ad Orientem eſt, ideoque Tacitus[82] Iudaeam deſcribens: *Terra fineſque*, ait, *qua ad Orientem vergunt* (Iudaei), *Arabia terminantur*. Hinc Iudaeos Arabiam Felicem, utpote ſibi ab Oriente adſitam, *Orientis* nomine κατα σχεσιν vulgo adpellaſſe, multa Scripturarum loca (83) conmonſtrant. Porro munera, quae attulerunt, Arabica fuere, non Perſica; Arabia enim aurifera fuit, & ſola videtur myrrham producere, teſte Plinio (84): ſollemne autem veteribus fuit, quae in ſuis regionibus praeſtantiora haberentur, principibus viris dono dare. Suos etiam ſapientes habuiſſe olim Arabiam & naturae omnis, & aſtrorum in primis ſtudioſos, ex Iobi eiuſque ami-

(66) Lib. I. Strom. cap. 123.
(67) Hom. in Chriſti nativit.
(68) Hom. VI. in Matth.
(69) Lib. IV. in Ioann.
(70) In Baron. exerc II.
(71) De Chriſto eiuſque Matre exerc. XXXIV.
(72) Hiſtor. vet. Perſar., Parthor., & Medor. Religionis cap. XXXI.
(73) Hiſt. Eccleſ. ſaec. I.
(74) De natali anno Chriſti §. 24.
(75) In Matth. cap. II. v. 1.
[76] De myſteriis & annis Chriſti diſſ. VIII.
[77] Ad an. ante Domin. V. p. 130.
[78] Dialogo cum Tryphone.
[79] Adv. Iudaeos cap. IX. & lib. III. contr. Marcion. c. 13.
[80] Serm. de Magis & Stella.
[81] In Epitome.
[82] Lib. V. Hiſt. cap. 2.
[83] Gen. X. 30. XXV. 6. 18. Iobi I. 3. Iudic. VI. 3. 1. Reg. IV. 30.
[84] Lib. XII. cap. 15. & 16.

corum colloquiis patet. Pythagoram philoſophiae gratia Arabes adiiſſe, teſtatur Porphyrius (85). Arabum autem ſapientes etiam *Magos* adpellatos, patet ex Plinio [86], qui Magorum Arabiae meminit. Ptolemaeus (87) in ſinu Arabico e regione Arabiae Felicis ponit Μαγων νησον, *Magorum inſulam*, & alibi (88) in Arabiae litore ad ſinum Perſicum agnoſcit Μαγων κολπον, *Magorum ſinum*. Quin ipſum nomen Ελυμας, quod μαγος a Luca [89] vertitur, ex Arabia venit. Nempe *Magorum* vox generalis eſt; nec ſoli Perſarum ſapientes ab Hebraeis Graeca lingua utentibus *Magi* vocabantur, ſed & alii. Ita & Chaldaei ſeu Babyloniae ſapientes Μαγοι dicuntur Interpretibus Prophetae Danielis. Quid quod Arabiam haud longe a Iudaea diſſitam facile pervadere potuit fama de imminenti Meſſiae adventu, quem Simeon aliique probi viri quotidie opperiebantur?

Magi autem Bethleemum pervenere die poſt ortum Ieſum decimo tertio, ceu ſcite Marca, aliique docent. Colligitur id ex iis Matthaei [90]: *cum natus eſſet Ieſus, ecce Magi*, ἰδε μαγοι, *ab Oriente venerunt Hieroſolymam*. To *ecce* in Scripturis uſurpari de re proxima, & quaſi praeſenti ſolere, multa conficiunt earum loca. Idem Evangeliſta ortum Ieſu, Angelorum nuntium, Paſtorum officia, nullo alio interiecto, cum Magorum adventu connectit: quod argumento eſt, Magos ad Chriſti cunas acceſſiſſe paullo poſt eius nativitatem, h. e. die decimotertio. Suffragatur & Eccleſiae traditio: *Chriſtus*, inquit Auguſtinus [91], *ante dies tredecim a Magis hodie traditur adoratus*. Hanc traditionem ſecuta Eccleſia Latina ab initio ſaltem ſaeculi V. *Epiphaniam*, h. e. adventum & adorationem Magorum ſexto Ianuarii diei affixit. Tandem Hieronymus, Bernardus, aliique Patres Chriſtum in vili, quo natus erat, tugurio a paſtoribus inventum, & a Magis adoratum adfirmant. Nec quidquam obturbat longinquitas loci; ſive enim Magi viſa ſtella die nativitatis Domini ſtatim diſceſſerunt, & intra

[85] Apud Cyrillum lib. X. contr. Iulian.
[86] Lib. XXV. cap. 2.
(87) Lib. VI. tab. 4. Aſiae.
(88) Lib. VI. cap. 7. tab. 6. Aſiae.
(89) Actor. XIII. 8.
(90) Cit. cap. II. v. 1.
(91) Serm. V. de Epiphan. cap. I.

Digitized by Google

intra dies treſdecim Bethleemum, quod ab Arabia Felice iter dierum octo abeſt, commode pervenire potuerunt; ſive certa interpoſita mora, & iter intra dies octo camelorum opera confici potuit. Vides nihil cauſſae eſſe, cur Magos aut poſt legitimam Virginis luſtrationem cum Tillemontio [92], aut biennio poſt natum Ieſum cum Epiphanio [93], aut die XXVI. vel XXVII. cum Serrio [94], Bethleemum adventaſſe ſtatuas. Non quidem poſt Deiparae purificationem, hoc eſt quadrageſimum ab ortu Domini diem; ſecus Chriſtus non Bethleemi in Iudaea, ſed Nazarethi in Galilaea fuiſſet a Magis adoratus: quod nec Matthaeus [95) patitur, dum Herodem Magos Bethleemum miſiſſe Chriſtum adoraturos ait; nec Lucas [96] adfirmans, ſanctiſſimos parentes, purificatione Hieroſolymis perfecta, Nazarethum rediiſſe. Non item poſt biennium a nato Ieſu; ſecus nec Ieſum Bethleemi inveniſſent, nec Herodem in vivis agentem, quippe qui anno poſt natale Domini labente deceſſit. Non tandem VIII. aut VI. Kal. Februarii; haec enim ſententia & nullo idoneo fulcitur argumento, & iam ſatis a Sandino [97] reiecta eſt.

Vbi Bethleemum pervenerunt Magi, Ieſum in praeſepi ubi natus erat, adorarunt, ceu tradunt Iuſtinus Martyr (98), Gregorius Nyſſenus (99), Chryſoſtomus (100), Hieronymus [101], Auguſtinus (102), aliique Patres. Contra adoratum in domo quadam, in quam puerum Ieſum Parentes tranſtulerant, ſcribunt Epiphanius (103), Marca (104), Baſnagius [105], aliique, ob Matthaei [106] verba, Magos *intraſſe domum*, ἐλθόντες ἐις την ὀικιαν, ibique Ieſum veneratos. Sententiam hanc iure improbat Baronius [107]; Hebraeos enim, quorum idiomate Evangelium conſignavit Matthaeus, quemlibet locum

[92] Nota IX. in vit. Ieſu Chriſti tom. I. Monum. Hiſt. Eccleſ. p. 450. ſeq.
[93] Haereſ. LI.
[94] De Chriſto eiuſque Matre exerc. XXXV.
[95] Cap. II. v. 8.
[96] Cap. II. v. 36.
[97] Hiſt. ſacr. famil. Cap. III. pag. 38. & ſeqq.
[98] Dialogo cum Tryphone
[99] Orat. de Epiphan.
[100] Hom. VI. in Matth.
[101] Ep. ad Marcellam
[102] Enarrat. in Pſalm. XLIV.
[103] Cit. haereſ. LI.
[104] Pag. 20.
[105] Ad an. ante Domin. V.
[106] Dict. cap. II. v. 11.
[107] Ad an. I. §. 34.

cum ad inhabitandum idoneum adpellare *domum* conſueviſſe, ſexcenta probant Scripturarum loca (108). Quin & Latini domus nomen latius accipiunt: quo ſenſu alveare *domum avium*, Virgilius (109), & ſtabulum *domum pecorum* Statius (110) dixit. Vere Eutychius (111) interpretatur: *hic tugurium domum appellat*. Fruſtra itaque Baſnagius magno Baronio obſiſtendi cupidine abreptus, negat antrum ſtabulumque pecudum in Scripturis *domum* vocari: nec quidquam ei ſuffragantur Euſebius (112), ad annum Chriſti tertium Magorum adventum & Bethleemiticam cladem referens, itemque Auctor ſermonis VII. de Epiphania, quem is male Auguſtinum facit, ubi ſtellam ante biennium Magis illuxiſſe ait; de loco enim, non de tempore nunc agimus: & porro quid de tempore infanticidii Bethleemitici, ac ſtellae Magorum ducis ſentiendum ſit, infra diſpiciemus.

Iam vero Magi Chriſtum tamquam Deum adorarunt. Matthaeus (113) memoriae prodit, Magos *procidentes adoraſſe* puerulum, πεσοντες προσεκυνησαν: phraſis autem πεσων προσκυνειται, *procidens adorat*, in novo Foedere non niſi ad deſignandum λατριας cultum adhibetur. Ita ea formula uſurpatur de Chriſto Patrem adorante apud Matthaeum (114), de Petro ad Chriſti pedes provoluto apud Lucam (115), de Senioribus ante thronum Dei proſtratis apud Ioannem (116): quibus locis divina ſignificatur adoratio. Praeterea ex Evangelio liquet, Magos ex Oriente profectos ad Iudaicum Regnum haud pertinuiſſe, ita ut deberent natum Regem Iudaeorum coram venerari, eiuſque rei gratia e longinqua regione ultro alacriterque diſcedere, ac digna Deo munera offerre. Tandem Graeci Latinique Patres communi conſenſione tradunt, Magos Chriſtum tamquam Deum veneratos, nominatim Irenaeus (117), Origenes (118), Nazianzenus (119), itemque Hieronymus (120), Ambroſius (121), &

[108] Pſal. XLVIII. XLIX. LXXXIII. & CIII.
[109] Lib. I. Georgic.
[110] Lib. I. Thebaid.
[111] In Matth. cap. II.
[112] In Chronic.
[113] Cit. cap. II. v. 11.
[114] Cap. XXVI. v. 39.
[115] Cap. V. v. 8.
[116] Apocal. XIX. 4.
[117] Adv. haereſ. III. 10.
[118] Lib. I. contr. Celſ.
[119] Orat. XXXVIII.
[120] In Matth. II.
[121] Lib. II. in Luc. n. 48.

& Auguſtinus [122]. His ſatis refelluntur Grotius [123] aliique adſeverantes, Magorum adorationem non *religioſam* fuiſſe, ex qua colligi Chriſti divinitas poſſit, ſed *civilem*, qualem Orientales exhibere Regibus ſuis conſueverunt.

De ſtellae Magorum Ducis natura, variae ſunt auctorum ſententiae, quas Calmet (124), ac Benedictus XIV. (125) recenſent. Vera quidem ſtella, & firmamento adfixa non fuit; ſecus nec in altitudine tanta ſignare Magis iter potuiſſet, nec rectum habuiſset motum ab Oriente in Occidentem, quum circularem verae ſtellae habeant. Fuiſse autem lucidiſſimum exiguae molis corpus, de novo creatum a Deo, non in caelo, ſed in aere vicino terrae, quod pro Creatoris voluntate movebatur, ut Magis iter oſtenderet ad Dominum, cenſuerunt Origenes, Auguſtinus, B. Thomas, quibus Spanhemius (126), Calmetus (127), aliique adſtipulantur.

Hanc vero ſtellam biennio ante Chriſti ortum apparuiſse, Petavius, aliique nonnulli putant, quod Matthaeus (128) Herodem infantes mactaſse ait, *a bimatu & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis*. Sed tum primum illuxiſse, cum natus eſt Chriſtus, ipſe Magorum ſermo prodit apud Matthaeum (129): *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudaeorum*, πȣ ἐςιν ὁ τεχθεις βασιλευς των Iȣδαιων? *vidimus enim ſtellam eius in Oriente*, ἰδομεν γαρ ἀυτȣ τον ἀςερα ἐν τῃ ἀνατολῃ. Non inquiunt qui *naſciturus*, ſed qui *natus eſt*, quia non futurum, ſed praeſentem Chriſti ortum ſtella portendebat. Hinc Iuſtinus Martyr (130): *Stella*, inquit, *ſimul atque natus eſt Chriſtus, exorta eſt*. Et Hieronymus (131): *Ad confuſionem Iudaeorum, ut nativitatem Chriſti a gentibus diſcerent, oritur in Oriente ſtella*.

Magi poſt adoratum Ieſum ab Angelo in ſomnis moniti, ne ad Herodem redirent, *per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam*, inquit Matthaeus. *Tunc Herodes* videns ſe a Magis illuſum, interfici iuſſit *omnes pueros, qui erant in Betbleem*, &

(122) Serm. CC. al. XXX. de Epiphania.
(123) In Matth. II.
(124) Diſſ. de Magis Chriſti adoratorib. p. 52. & 57. Tom. VII.
(125) De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. Lib. IV. part. 1. cap. 25. n. 2.
(126) In dubiis Evangelic. dub. 27. n. 8.
(127) Cit. diſſ.
(128) Cap. II. v. 16.
(129) Cit. Cap. II. v. 2.
(130) In dialogo cum Tryphon.
(131) In Matth. II.

Digitized by Google

& in omnibus finibus eius, a bimatu & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat a Magis, παντας τους παιδας τους ἐν Βηθλεεμ, και ἐν πασι τοις ὁριοις αὐτης, ἀπο διετους και κατωτερω, κατα τον χρονον ὃν ἠκριβωσε παρα των μαγων. Vides mactatos ab Herode puerulos intra bimatum, etſi Ieſum, quem neci dandum curabat, eſſe tum bimulum non poſſe intelligeret; nec eos modo, qui Bethleemi, ſed & extra Bethleemum reperti eſſent, quamvis a Sacerdotibus Chriſtum Bethleemi naſciturum didiciſſet. Id a tyrannorum deterrimo tuta omnia pertimeſcente factum *pro abundantia cautionis, & licentia perſecutionis*, uti Chryſoſtomus (132) loquitur. Haec autem infantium laniena contigit ſtatim ac ſibi a Magis impoſitum agnovit Herodes, nempe poſt quadraginta ab ortu Chriſti dies. Primum enim, cum illi magno ſilentio receſſiſſent, ſpe ſua fruſtratos putavit, eaque de cauſſa in patriam redeuntes Hieroſolymam non rediiſſe, ne vanitas itineris ludibrio eſſet: mox de Chriſti nativitate certior factus ex iis, quae contigerunt, dum offerretur in Templo, tum demum ſe a Magis illuſum ſenſit, & furore abreptus infantium caedem indixit, ceu ſcite Auguſtinus (133). Toto quidem caelo deerrant, qui ex adſcriptis Matthaei verbis colligunt, infanticidium poſt biennium a nato Ieſu admiſſum, ſive quod Magi poſt biennium Chriſtum adorarunt, ut Epiphanius, ſive quod interim coactus eſſet Herodes Romam proficiſci ad obiecta ſibi crimina apud Caeſarem diluenda, ut Euſebius (134), aliique tradunt. Magos enim Chriſtum veneratos decimotertio poſt nativitatem die, iam ſupra oſtenſum. Quis vero credat, ſaeviſſimum Regem potuiſſe conceptum in Chriſtum recens natum furorem biennio cohibere ac caelare? Romam vero Herodem poſt natale Chriſti nec conceſſiſſe umquam, nec pergere potuiſſe, acerbis ſemper doloribus, acutiſſimoque poſtremis vitae menſibus morbo exagitatum, praeclare demonſtrat Noriſius (135). Ad haec obiit Herodes anno V. C. DCCLI., hoc eſt anno Chriſti ortum proxime ſequenti poſt menſes circiter quinque; ut proinde infanticidium differre ad biennium poſt ortum Domini

[132] Hom. VII. in Matth.

[133] Lib. II. de conſenſ. Evangeliſtar. cap. II. §. 24.

[134] Lib. I. H. E. cap. 5.

[135] De Cenotaphiis Piſanis diſſ. II.

mini nequiverit. Tandem graviter obſtant verba illa Matthaei, *tunc Herodes*, quae tempus innuunt, quod Magorum diſceſſum proxime excepit. Nec adſcripta Matthaei verba praeſidio ſunt iis, qui inde colligunt, aut Magos poſt biennium a nato Iesu Bethleemum adventaſſe, aut ſtellam biennio ante ortum Domini iis illuxiſse, aut Bethleemiticum infanticidium poſt biennium fuiſse admiſsum; nam verba *ſecundum tempus*, quod exquiſierat a Magis, non referenda ſunt ad verbum *a bimatu;* ita ut ſignificetur tempus ſtellae illuceſcentis, quod a Magis Herodes ſciſcitatus erat, biennium fuiſse: ſed ad verba *& infra*, ut haec eorum ſententia ſit, Herodem infantes a bimatu & infra natos mactaſſe, exceptis iis, qui nati erant quo ex tempore ſidus Magis illuxerat, quod eorum neminem eſſe Chriſtum poſſe intelligeret, qui ante ſtellae ortum natus eſt.

Interim poſt peractum Hieroſolymis legitimum praeſentationis & luſtrationis ritum, Ioſeph ab Angelo in ſomnis admonitus, *futurum, ut Herodes puerum ad perdendum* quaereret, ſtatim cum ſacra familia in Aegyptum, extra Herodis poteſtatem poſitam, aufugit, ibique ad Herodis obitum manſit. E Nazaretho autem, non Bethleemo, nec Hieroſolymis fugam hanc Ioſeph arripuit; ii enim *ut perfecerunt omnia*, καὶ ὡς ἐτέλεσαν ἅπαντα (hoc eſt *ſtatim ac*) *ſecundum Legem Domini*, *reverſi ſunt in Galilaeam in civitatem ſuam Nazareth*, uti prodit Lucas [136]. Nec obloquitur Matthaeus (137), mandatum Ioſepho datum de fuga in Aegyptum referens ſtatim poſt diſceſsum Magorum, qui cum Bethleemi Ieſum adoraverint, videtur Ioſephus Bethleemo in Aegyptum aufugiſse; namque Matthaeus cum diſceſſu Magorum coniungit Ioſephi fugam in Aegyptum, omiſſa Virginis purificatae, & Chriſti in Templo oblati hiſtoria, quam poſtea Lucas enarravit, continuo ſubdens, ſanctiſſimos coniuges *expletis omnibus ſecundum Legem Domini in Galilaeam reverſos*. Sane conſueviſſe Evangeliſtas res plerumque diverſo tempore ac loco peractas eodem contextu & continuatione ſermonis recitare, dum aliqua intermedio

c tem-

[136] Cap. II. v. 39. (137) Cap. II. v. 13. & 14.

tempore geſta certis de cauſſis praetermittunt, iampridem obſervavit Auguſtinus (138).

Sequitur *Diatriba de tempore Synodi Sirmienſis plenariae, & de Valentis & Urſacii venia*, qua de Photino variiſque eiusdem damnationibus, de venia a Valente & Urſacio parta, deque Sirmienſibus fidei formulis diſſeritur. De anno Synodi Sirmienſis, ac fidei formulis in ea conditis, magnis animis Petavius & Sirmondus diſputarunt. Baronius (139) Synodum Sirmienſem ad ann. CCCLVII. retulit. Interceſſit Petavius (140), qui anno CCCLI. coactam, inque illa unam fidei ecteſim editam ſtatuit. Pro Baronio Sirmondus evulgavit *Diatribam de anno Synodi Sirmienſis & fidei formulis in ea editis*, contenditque porro duas fidei formulas in ea Synodo conditas, ortodoxam unam, qua Photinus damnatus eſt, Arianam alteram, quae *Oſii blaſphemia* Hilario (141) dicitur. Suam tueri ſententiam Petavius perrexit edita *diſs. de Photino haeretico eiuſque damnatione in quinque Synodis facta*, quae in tria capita diſpertitur. Huic Sirmondus alteram oppoſuit *Diatribam examen continentem diſſertationis, quam de Photino haeretico eiuſque damnatione* Petavius edidit, quae totidem conſtat capitibus: cui Petavius *Elenchum Diatribae utriuſque de Photino & Sirmienſi Synodo* obiecit. Occaſione huiuſce Petavium inter & Sirmondum concertationis, Marca noſter laudatam conſcripſit diatribam. Iam vero diſſertationem illam *de Photino haeretico* Petavius attexuit Rationario temporum, cum illud tertio ederet. Eiusdem vero *Elenchus*, itemque Sirmondi ambae *Diatribae Sirmitanae* diu luce caruerunt. Baluzius huic Marcae *Diatribae* lucem foeneraturus, & Petavii *diſſertationem de Photino* iam antea excuſam, & Sirmondi ambas adhuc ineditas Diatribas, etſi poſterioris primum dumtaxat de tribus caput, edidit ad calcem Opuſculorum poſtumorum Petri de Marca. Nos autem, ut cuncta utriuſque partis inſtrumenta praeſto ſint, quibus rite poſſit ea controverſia dirimi, & Petavii *diſſertationem*

(138) De conſenſ. Evangel. Lib. II. cap. V.

(139) Ad A. C. CCCLVII.

[140] Animadverſ. ad Epiphan. p. 307. ſeq.

(141) Lib. de Synodis n. 11. p. 1156. edit. Pariſ. MDCXCIII.

nem atque *Elenchum*, & Sirmondi integram *utramque Diatribam*, ordine ad calcem hujuſce voluminis edere curavimus, omnia vero ex ipſis auctorum αὐτογράφοις, ut extant in Veneta operum Sirmondi editione an. MDCCXXVIII. T. IV. Hoc idem de Photino eiuſque damnationibus argumentum multis perſecuti ſunt Valeſius (142), Pagius (143), Larroquanus (144), Ittigius (145), Fabricius (146), aliique.

Ut autem paratior ac inſtructior ad implicatiſſimam hanc controverſiam accedatur, operae pretium arbitror, de Photino, deque iis, quae adverſus eum diverſis locis atque temporibus geſta ſunt, breviter edicere. Photinus itaque de Gallo-Graecia, Marcelli Ancyrani Epiſcopi diſcipulus, & ſub eo Diaconus (147), tum Sirmii Epiſcopus, vir fuit & *ingenii viribus valens*, *& doctrinae opibus excellens*, *& eloquio praepotens* (148). Haereſim inſtauravit Ebionis, Artemonis & Paulli Samoſatenſis, garriens Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον eſſe, & initium a Maria habuiſſe, ex quo Spiritus ſanctus in eam deſcendit: unde ipſius aſſeclae *Homuncioniſtae* Vigilio Tapſenſi audiunt. Suam evulgavit haereſim Conſtantio imperante, Arianis omnia pro nutu volventibus; ſed quo anno, incertum. Ad annum CCCXLI. Larroquanus; ad an. CCCXLII. Baronius; ad annum circiter CCCXLIII. Sigonius (149) & Nat. Alexander (150) referunt, idque ex Socrate (151) colligitur. Saepe Photinus cum a Catholicis, tum ab ipſis Arianis damnatus. Primum haereſeos reus pronuntiatus eſt ab Orientalibus Ariana perfidia foedatis Epiſcopis in Concilio Antiocheno circa an. CCCXLIV., in quo μακρόστιχος illa Fidei formula condita eſt, qua Photini error diſerte proſcribitur: quam Athanaſius (152), & Socrates (153) afferunt. Secundo ab Occidentalibus primum damnatus eſt in Concilio Mediolanenſi an. CCCXLVII. Tertio rurſus in

(142) Not. ad Socrat. H. E. II. 29. & 30.
(143) Critic. Baronian. ad A. C. CCCXLVII. & CCCLI.
(144) Diſſ. de Photino, ac libello inſcripto, Conſiderations ſervant de reponſe à ce que Mr. David a ecrit contre la diſſ. ſur Photin.
(145) In Appendice ad diſſ. de Haereſiarch.
(146) Biblioth. Graec. lib. V. cap. 23. n. 8.
(147) Hilarius in Fragm. II. n. 19.
(148) Vincent. Lirinenſis cap. XVI.
[149] De Occident. Imp.
[150] In ſaec. IV. diſſ. XXXI.
(151) Lib. II. H. E. cap. 15.
[152] Lib. I. de Synodis p. 690.
[153] Lib. I. H. E. cap. 19.

Concilio Mediolanenſi an. CCCXLIX., praeſentibus Romanae Eccleſiae Legatis, ab Occidentalibus depoſitus eſt, ac depoſitionis ſententia ſtatim ad Orientales miſſa. Quarto in Concilio Sirmienſi eodem anno CCCXLIX. coacto ab Arianis Epiſcopis depoſitus eſt; at ob exiſtimationem & gratiam, qua plurimum apud populum pollebat, amoveri Epiſcopatu non potuit. Quinto tandem in Sirmienſi Concilio an. CCCLI. ab Orientalibus depoſitus eſt, Geminio in eius locum ſuffecto, inque exſilium pulſus. Profecto Sirmienſem hanc Synodum hoc anno CCCLI., non CCCLVII., ut Baronius & Sirmondus ſcribunt, coactam fuiſſe, luculenter oſtendunt Petavius, Valeſius, Pagius, aliique. Photinum exſilio revocatum ſuae reſtituit Eccleſiae Iulianus Apoſtata an. CCCLXII.; tum a Valentiniano, qui anno CCCLXIV. imperare coepit, rurſus in exſilium eiectus (154): unde iterum reverſus, in Galatia deceſſit anno CCCLXXVI. [155].

Haec mihi prolixas doctiſſimorum virorum de rebus Photini commentationes expendenti, propius accedere ad verum ſunt viſa; interdum enim Petavius, nonnumquam Sirmondus, quandoque etiam Marca, viri ceteroquin ſagaciſſimi, in hac ſparta ornanda humano more dormitarunt. Nobis autem immorandum aliquantiſper eſt in oſtendendis Synodis Mediolanenſi & Sirmienſi anni CCCXLIX. contra Photinum habitis; hac enim in re viri docti mirifice diſcrepant. Vexatiſſimus Hilarii (156) locus expendendus eſt: *Ad tollendum*, inquit, *ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium iam in Mediolanenſi Synodo* [A.C. CCCXLVII.] *erat haereticus damnatus*, EX PLVRIMIS PROVINCIIS CONGREGANTVR SACERDOTES ..... *Quam occaſionem nacti Valens & Vrſacius, Romanae plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant. Iulius* EX CONSILIO *veniam, quam orabant, impertit, ut cum lucro catholicae Eccleſiae vires quoque detraheret Arianis; cum eos, qui unitatem ante turbaverunt, conſilii huius & audaciae poenitentes in communionem*

[154] Hieronymus de Script. Eccleſ. cap. CVII. Vid. Tillemont. tom. VI. Memor. p. 354.

[155] Hieronymus in Chronico.

[156] In Fragm. II. n. 19. pag. 1296. edit. Paris MDCXCIII.

nionem catholicam per veniam reconciliatae pacis admitteret. Verba *ex plurimis provinciis congregantur Sacerdotes* plane oſtendunt celebre & catholicum concilium ad epiſcopatu arcendum Photinum iam antea damnatum, biennio poſt Mediolanenſe coactum. Habitum autem anno CCCXLIX. fuiſſe, vel hinc liquet, quod Hilarius ſubdit, Valentem & Vrſacium ex opportunitate huius Concilii veniam exoraſſe: hanc enim illos rogaſſe poſt Athanaſii Alexandriam reditum, qui in annum CCCXLIX. incidit, mox demonſtrabo. De loco, mira eruditorum diſcrepantia. Sirmii habitum, putant Petavius (157), Nat. Alexander (158), aliique, ac locum, quo *ex plurimis provinciis congregati ſunt Sacerdotes*, explicari aiunt per ea ipſius Hilarii verba, quae infra (159) ſequuntur, *verum inter haec Sirmium convenitur*. At haec ſententia nullo idoneo adſtruitur teſtimonio, & porro laudata Hilarii verba aliorſum ſpectant, ut opportuno loco infra demonſtrabimus. Contra Romae celebratum, ſcribunt prae ceteris Marca, Baluzius [160], Pagius [161], & Baſnagius [162]. Praecipua in hanc ſententiam argumenta ex Oſio, Valente ac Vrſacio, & Hilario petuntur. Inquit Oſius apud Athanaſium [163]: *illi* [Valens & Vrſacius] *ultro Romam venerunt*, & CORAM EPISCOPO (Iulio) PRESBYTERISQVE IBI PRAESENTIBVS *profeſſionem ſcripto ediderunt*. Verba vero Valentis ac Vrſacii (164) ſunt: *profitemur apud ſanctitatem tuam* (Iulium) CVNCTIS PRAESENTIBVS PRESBYTERIS. Verum duobus hiſce locis non celebre aliquod concilium *ex plurimis provinciis congregatum*, ſed tantum Iulii eiusque Presbyterorum praeſentia deſignatur. Hilarius autem loco ſupra deſcripto prodit, *Valentem & Vrſacium opportunitatem nactos* huius Concilii, nempe eius qui ex *Sacerdotibus plurimarum provinciarum* coaluit, *Romanae plebis Epiſcopum Iulium* adiiſſe, atque hunc veniam, quam exorabant, iis indulſiſſe EX CONSILIO, nempe Presbyterorum. Nihil ex verbis hiſce extundi ad Romanum concilium

[157] Diſſ. de Photino.
[158] In Saec. IV. diſſ. XXXI.
[159] Cit. Fragm. II. n. XXI.
[160] In nova Conciliorum editione.
(161) Critic. Baronian. ad A. C. CCCXLIX.
(162) Ad A. D. CCCXLIX. n. 8.
(163) Ad Solitarios p. 839.
[164] Ep. ad Iulium P. apud Hilar. Fragm. II. n. 20.

cilium adſerendum poteſt; quin ea potius obſtant. Nec vero eſt, cur Marca legat EX CONCILIO, hoc eſt, de Concilii ſententia; ſcitum enim eſt, *το ex conſilio* Latinis interdum eſſe *conſulto*, *de induſtria* [165]. Quod ſi quid ex Hilarii verbis immutari libeat, pro *τω ex conſilio* lege *eo conſilio*, puta eo animo, *ut vires detraheret Arianis &c.*, ut idem ſubdit Hilarius, qua ratione is quamdam Iulii in venia concedenda facilitatem excuſat. Porro Hilarius poſt relatam Valentis & Vrſacii epiſtolam ad Iulium inquit: *haec epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quam haereſis Photini a* ROMANIS *damnata eſt*. *Το a Romanis* Romanam Synodum Marca interpretatur. At ei graviter obſtant verba proxime antecedentia, quaeque de Photino in Mediolanenſi Synodo anni CCCXLIX. iterum damnato, ac Valentis & Vrſacii venia eodem anno Mediolani petita, probabiles ſcriptores memoriae prodiderunt: qua de re mox. Occurrit quidem Baluzius, ac pro *quam haereſis* legi iubet *quum haereſis*: at nec ita explicat quid ſibi velit *poſt biennium miſſa eſt*, cui deinde recte cohaeret *quam*, non *quum*. Profecto *το a Romanis* apud Hilarium idem eſt, ac *a Latinis*: quo nomine Itali, aliive Occidentales veniunt. Graecorum Latinorumque ſcriptorum more poſitum, Latinam linguam *Romanam*, Latine vero loquentes, *Romanos* adpellare, notius eſt, quam ut teſtato agi ſit opus. Ipſi Hilario (166) *το* in *Romanam linguam* idem eſt, ac in *Latinam*. Et Hieronymus [167]: *arbitror*, inquit, *eum aſſidua confabulatione, & quotidiano Latinorum conſortio* ROMANORVM *non ignorare ſermonem*. Plurimos popoſciſſe, *ut Origenem Romanum faceret*, Rufinus inquit apud eumdem Hieronymum (168). Forte verbum a *Romanis* ideo Hilarius addidit, ut Occidentalium geſta adverſus Photinum ab iis ſeiungerentur, quae a Sirmienſibus aliiſque Orientalibus contra eumdem acta ſunt, ſeque Orientalium geſta haud attingere praemoneret: proinde Orientalibus hic *Romani*, ſeu *Latini* opponuntur.

Vides

(165] Exempla vide apud Rob. Stephan. in Theſauro v. *conſilium*.

(166) In Pſalm. II. n. 35.

(167) Ep. LXII. ad Theophil.

(168) Ep. LXIII.

Vides iam, Synodum *ex plurimis provinciis* coactam biennio poſtquam Photinus damnatus eſt, Romae haud celebratam. Ego ſponſione quavis contendam, Mediolani anno CCCXLIX. habitam fuiſſe. Id tum ex Synodo Ariminenſi, tum ex verbis Valentis & Vrſacii, haud obſcure conficitur. Patres Ariminenſes (169) ſcribunt: *rogaverunt* (Valens & Vrſacius) *veniam, ſicut eorum continent ſcripta, quam meruerant tunc temporis* A CONCIILO MEDIOLANENSI, *aſſiſtentibus etiam legatis Romanae Eccleſiae:* ſive ii veniam poſtularunt & impetrarunt, quando *Concilium Mediolani* *ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον*, habebatur, ut iidem Patres loquuntur apud Athanaſium (170). Haec autem verba non ad Concilium Mediolanenſe anni CCCXLVII., uti plures faciunt, ſed anni CCCXLIX. referenda ſunt; tum quia Romanae Eccleſiae Legatos Synodo Mediolanenſi anni CCCXLVII. interfuiſſe, nullo adſtrui teſtimonio poteſt; tum quoniam petita a Valente & Vrſacio venia in annum CCCXLIX. incidit, uti mox oſtendam. Idem dicendum de verbis Valentis & Vrſacii (171), qui ad Iulium P. ſcribunt, ſe libello, quem *apud* MEDIOLANVM porrexerant, Arium anathematizaſſe. Hic enim libellus oblatus non eſt Synodo Mediolanenſi anni CCCXLVII., ſed CCCXLIX., ipſaque Valentis & Vrſacii ad Iulium epiſtoſa, qua veniam deprecantur, anno CCCXLIX. conſignanda eſt. Sane anno CCCXLVII. Valentis & Vrſacii res non erant adeo deſperatae, ut catholicorum gratiam ſibi neceſſariam putarent. Eorum animos, etſi Concilii Sardicenſis ſententia nonnihil deiectos, erigebant Philoppolitana placita. Euſebiani etiam tunc temporis impune multis locis ſaeviebant. At ubi Athanaſium a Synodo Hieroſolymitana anni CCCXLIX. ſedi ſuae & eccleſiaſticae communioni reſtitutum reſcierunt, poenitentia ſibi conſulendum putarunt. Teſtis eſt Socrates (172), Valentem & Vrſacium miro Arianae impietatis ſtudio abreptos, donec Athanaſium ab Orientalibus Hieroſolymis congregatis anno CCCXLIX. epiſcopatui ſuo & Eccleſiae reſtitutum intellexerunt. Ibi Maximus Hieroſoly-

(169) Ep. ad Conſtantium Imp. apud Hilar. Fragm. VIII. n. 2.

[170] Libro de Synod. p. 877.

(171) Apud Hilar. Fragm. II. n. 20.

(172) Lib. II. Hiſt. Eccleſ. cap. 24.

ſolymitanus Antiſtes Concilio coacto *communionem & dignitatem priſtinam Athanaſio reſtituit:* tum *Synodus Alexandrinis & univerſis per Lybiam & Aegyptum Epiſcopis ea, quae de Athanaſio ſtatuta iudicataque erant, per litteras ſignificavit:* tandemque, *his compertis, Vrſacius & Valens, qui prius Arianorum dogmati mordicus adhaeſerant, damnato priore ſtudio, Romam ſe conferunt*. Eorumdem poenitentiam in eumdem an. CCCXLIX. confert Athanaſius (173), qui deſcripta Concilii Hieroſolymitani epiſtola, continuo ſubdit*: his compertis de ſe iam deſperantes Vrſacius & Valens, Romam profecti, peccata ſua cum poenitentia confeſſi ſunt*. Nimirum Valens & Vrſacius, qui ante Sardicenſe Concilium anno CCCXLVII. coactum Iulii litteris arceſſiti venire Romam contemſerant, iam poenitentes primum adiere Iulium, veniaque ab eo impetrata, Mediolanenſi Concilio anni CCCXLIX. libellum porrexere, quo Arii commenta exſecrati ſunt, tandemque litteris ad Iulium datis retractaſſe ac revocaſſe criminationes per ſummam calumniam in Athanaſium a ſe intentas ſignificarunt.

Adſtruenda nunc altera Synodus Sirmienſis eodem anno CCCXLIX. contra Photinum habita: quam nullam fuiſſe putant Baronius, Sirmondus, Marca, aliique eruditi viri. Alter excutiendus eſt Hilarii (174) locus. Is poſtquam Photinum in Synodo ex *plurimis provinciis* coacta iterum damnatum dixiſſet, & binas Valentis ac Vrſacii epiſtolas, alteram ad Iulium P., qua veniam deprecantur, alteram ad Athanaſium, qua ſuam illi communionem impertiuntur, retuliſſet, continuo ſubdit*: Verum inter haec Sirmium convenitur*. Verba haec de Concilio Sirmienſi anni CCCLI. interpretantur nonnulli. At ab hoc diverſum fuiſſe conventum, ad quem Hilarius digitum intendit, Sulpicii Severi teſtimonio mox oſtendetur. Alii vero prodi iis verbis locum, quo *ex plurimis provinciis congregatos Sacerdotes*, inquit Hilarius ſupra n. XIX., adeoque catholicum fuiſſe Sirmienſe hoc Concilium anni CCCXLIX., arbitrantur. Sed conventum hunc alium ab eo fuiſſe, qui ab Hilario d. n. XIX. indicatur, ex dictis facile eſt

[173] Apolog. II. p. 775.

(174) Cit. Fragm. II. n. XXI.

eſt intelligere ; Arianum autem , non catholicum fuiſſe, paullo poſt demonſtrabitur . Satius eſt verba illa, *inter haec Sirmium convenitur*, accipere vel de iis , qui Mediolanenſis Synodi anni CCCXLIX. contra Photinum ſententiam Sirmium detulerunt , vel potius de Arianis Epiſcopis , qui eodem anno CCCXLIX. in ipſa Sirmienſi urbe convenerunt , ac Photini ſententiam ita confirmarunt , ut Marcelli velut illius magiſtri, cui ſuam Athanaſius communionem denegavit, mentionem callide insererent , quo Sardicenſis Synodi geſta convellerent , & ſopitam de Athanaſio quaeſtionem excitarent. *Nacti ergo* , inquit Sulpicius Severus (175), *Ariani iſtiuſmodi occaſionem, conſpirant penitus Sardicenſis Synodi decreta convellere. Etenim eis color quidam ſuppetere videbatur , quod tam iniuſte fuiſſet pro Athanaſio iudicatum , quam Marcellus fuerat abſolutus , qui nunc etiam Athanaſii iudicio haereticus eſſe probaretur. Namque Marcellus Sabinianae haereſis aſſertor extiterat ; Photinus verò novam haereſim iam antea protulerat, a Sabellio quidem in unione diſſentiens , ſed initium Chriſti ex Maria praedicabat . Igitur Ariani aſtuto conſilio miſcent innoxium criminoſis , damnationemque Photini & Marcelli & Athanaſii eadem ſententia comprehendunt : illud nimirum apud IMPERATORVM animos praeſtruentes , ut non putarentur de Athanaſio perperam iudicaſſe, qui de Marcello atque Photino vera ſenſiſſent.* Sirmienſem autem hanc Synodum Arianam fuiſſe, liquet ex eodem Sulpicio (176) , a quo *Concilium Sirmienſe Arianum* inſcribitur ; itemque ex eius geſtis, quibus Sardicenſia decreta evertere conata eſt ; & ex ipſius fide, cuius fraudem ac venenum prodit Hilarius [177]. Diverſam quoque ab ea fuiſſe, quae in eadem urbe anno CCCLI. coacta eſt , idem aſſerit Sulpicius, ſcribens eam *Imperatorum animos* callide contra Sardicenſia decreta praevertere molitam ; habita ergo eſt , ſuperſtite adhuc Conſtante, qui anno CCCL. deceſſit.

Quarto loco exhibetur *Diſſertatio de patria Vigilantii*, qua nebulonem hunc nec patria Pampilonenſem, ut Vaſaeus, neque

 Ca-

(175) Pag. 241.
(176) Cit. loc.
(177) Cit. Fragm. II. n. 22. ſeq.

Calagurritanum in Hiſpania, uti Baronius duxit; ſed Gallum fuiſſe e viculo Calagurris, ſeu Calagorgis, nunc *S. Licer*, prope Conſeranum, teſtimoniis adſtruit Hieronymi & Gennadii Maſſilienſis. Hanc excipit *Diſſertatio de origine & progreſſu cultus B. Mariae Virgini in Monteſerrato* exhibiti, qua eiusmodi cultum nono Eccleſiae ſaeculo coepiſſe ſcribit, multaque de hoc peregrinationis loco habet. Succedit *Diſſertatio de origine Monaſterii Scalae-Dei apud Bigerros in dioeceſi Tarbienſi*, qua Coenobium hoc ſaeculo XII. ineunte conſtructum adfirmat. Continuo ſubditur *Diſſertatio de theca reliquiarum S. Ioannis Baptiſtae, quae ſervatur in Eccleſia Dominicanorum Perpinianenſium*. Poſt hanc exhibentur *Fragmenta adverſus Satyras*, quibus ſuam adverſus Anonymi calumniantis libellum cauſsam agit. Tum tria alia ſiſtuntur fragmenta, non ſatis illa quidem perfecta. Primum eſt *de advocatione Comitum*, ubi de Defenſoribus breviter agit, quos a Principibus poſtulabat Eccleſia ad iura & bona ſua, itemque pauperum tuenda. Eos alios fuiſse ab iis, quos e clero deligebant Epiſcopi ad curandos pauperes, orphanos, & viduas, contendit Marca. Legantur de hoc argumento & Binghamus (178), Gothofredus (179), Ioannes de Ioanne (180), aliique. Alterum eſt, *quis ſit proprius Sacerdos*, ſtatuitque Sacerdotis nomine Parochum intelligendum. Tertium agit *de Presbyteris, ubi ordinandi ſunt*, oſtenditque ex Concilio Chalcedonenſi non fuiſse tum dominorum oratoria: ſed paullo poſt poſseſſionum dominos, qui eas adſcriptitiorum numeroſorum opera colebant, Oratoria conſenſu Epiſcoporum in iis poſseſſionibus ſeu villis extruxiſse. Conſequitur *Oratio habita Barcinone die XV. Iulii anni MDCXLIV. ad Provinciales & alios Superiores Ordinum religioſorum illius urbis*, qua eos ad praedicandi munus, precesque pro Rege Chriſtianiſſimo fundendas hortatur: tum *Itinerarium a Lutetia in Galliam Narbonenſem anno MDCLIV. menſe Novembri*, ac mox *de vino Frontinacenſi in Septimania Apophoretum*. Poſt haec locum ſibi vindicat Latina *de Euchariſtiae Sacramento Diſſertatio*, qua Catholicorum

(178) Origin. Eccleſ. Lib. III. c. XI. p. 58. ſeqq.

(179) In tit. Cod. Th. de Defenſorib.

(180) Diſſ. de Defenſorib. ad calcem Codic. diplomatic. Siciliae.

Digitized by Google

tholicorum de hoc ſacramento doctrinam explicat & vindicat. Hanc excipit *Diſſertatio de Sacrificio Miſſae*, qua Euchariſtiam expendit pro ſacrificii ratione, probatque eſſe verum propriumque novae legis ſacramentum, eius οὐσίαν in oblatione corporis Chriſti ſub ſpeciebus poſitam, ac vere propitiatorium eſſe. Excipit commentatio altera Gallice ſcripta *de Sacramento Euchariſtiae*, ubi Graecorum Latinorumque Patrum, qui ante Ioannem Damaſcenum floruere, doctrinam de ea re exponit, itemque quorumdam ſaeculi IX. & XI. ſcriptorum, qui peculiares de Euchariſtia tractatus conſcripſerunt, nempe Paſchaſii Radberti, Bertramni, Lanfranci, Guitmundi, & Algerii (181). Succedit opuſculum *de Sacramento poenitentiae*, quo poteſtatem ſolvendi & ligandi Eccleſiae a Chriſto datam ex Catholicorum doctrina explicat, multaque de Eccleſiae diſciplina in hoc ſacramento adminiſtrando tradit.

Alterum opuſculum Gallice ſcriptum *de ſacramento matrimonii* praeſcribitur. In eo docet Auctor, matrimonium & *contractus*, & *ſacramenti* rationem praeſeferre: duplicem in matrimonio fidelium ſacramenti acceptionem eſſe, & quatenus eſt *myſterium* Chriſti cum Eccleſia matrimonium ſignificans, & quatenus *ſignum* gratiam ſanctificantem coniugibus conferens: Scholaſticorum autem pleroſque ob confuſam utramque ſacramenti rationem, & eccleſiaſticae antiquitatis ignorationem, differentes de rebus ad matrimonium pertinentibus non raro deerraſſe, gravibuſque in iis expediendis difficultatibus obrutos fuiſſe. Veterum deinde adgreditur controverſiam de miniſtro, ac forma ſacramenti matrimonii. Ipſos contrahentes huiuſce ſacramenti miniſtros; formam vero eorumdem conſenſum verbis aut nutu expreſſum, veteres Theologi & Canoniſtae ſtatuerunt, nominatim Vaſquez (182), Sanchez (183), Bellarminus (184), Raynaudus (185), Fraſſen (186), Fagnanus (187), Clericatus (188) qui-

(181) Vid. Dipinium Bibliothec. Script. Eccleſ. tom. XVI. p. 171. ſeqq.

(182) Diſput. 3. de ſacram. matrim. dub. 3.

(183) De matrim. lib. 2. diſput. 5. & 6.

(184) Ut matrimon. l. 6. ſeq.

(185) In Heteroclit. ſpirit. punct. 14. Oper. tom. 16.

(186) In Scoto Academico tom. 12. tract. 3. diſp. 2. art. 1. quaeſt. 3. concluſ. 2.

(187) In cap. *quod nobis* X. de clandeſt. deſponſat.

(188) Deciſ. 6. de matrim.

quibus noviſſime Eſpenius (189), & Bertius (190) acceſſerunt. In hanc ſententiam deſcenderunt veteres Scholaſtici ob male acceptum Pſeudo-Evariſti, & Nicolai I. locum. Inquit Pſeudo-Evariſtus [191], contrahi *legitima matrimonia*, quum *ab his, qui ſuper ipſam feminam denominationem habere videntur, & a quibus cuſtoditur, uxor petatur, & a parentibus, & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur, & a paranymphis, ut conſuetudo docet, cuſtodita, & ſociata a proximis congruo tempore petita legibus detur, ac ſollemniter accipiatur;* ſecus inita matrimonia illegitima eſse, *niſi voluntas propria ſuffragaverit, & vota ſuccurrerint legitima*, hoc eſt, non alias matrimonia ſine recenſitis ſollemnitatibus iuſta eſse, niſi per novum contrahentium conſenſum, novaſque nuptias rata habeantur. At Scholaſtici durum putantes, omnes eas ſollemnitates ad matrimonii vim requiri, τα *legitima vota* pro deſiderio contrahentium, animique declaratione interpretati ſunt: hinc eamdem matrimonio ſolo conſenſu, quam ſollemnitatibus omnibus inito vim adſcripſere. Magis in hac ſententia Scholaſticos confirmavit male quoque acceptus Nicolai I. (192) locus, qui ſufficere *ſolum conſenſum* contrahentium videtur tradere: *ſufficiat ſecundum leges conſenſus eorum, de quorum coniunctionibus agitur, qui ſolus ſi defuerit, cetera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur*. At heic το *ſolus* excludit *concubitum*, qui haud neceſſarius eſt, non item benedictionem ſacerdotalem, quae ſemper neceſsaria fuit ad vim ſacramenti. Ipſi Nicolao nuptialis ἱερολογια tam neceſsaria eſt viſa, ut nuptias Lotharii Imp. cum Gualdraba haud conſiſtere pronuntiaverit, quod *ſecundum morem* a Sacerdote benedictae non fuiſsent. Ab hac veterum Scholaſticorum ſententia primi diſceſserunt B. Thomas [193] [etſi hic ultro citroque lau-

(189) Iur. eccleſ. univerſ. tom. 1. par. 2. tit. 12. cap. 5. n. 4.

(190) De theologic. diſciplin. lib. XXVII. cap. 10.

(191) Apud Gratian. can. 1. 3. quaeſt. 5.

(192) Apud Gratian. in can. ſufficiat 27. q. 2.

(193) Lib. IV. contr. Gentes cap. 77. & ſupplem. quaeſt. XXII. art. 2. & quaeſt. XXXI. art. 1.

Digitized by Google

laudetur], Humbertus [194], Albertus Caſtellanus [195], Guilelmus Pariſienſis [196], aliique, haud obſcure ſcribentes, miniſtrum ſacramenti matrimonii eſse Sacerdotem, formam vero ſacerdotalem benedictionem. Hanc eamdem ſententiam tuentur prae ceteris Caietanus, Silvius, Gropperus, Eſtius, Iuenin, Tournelius, Serrius (197), praeſertim Melchior Canus [198] & Marca noſter. Contendunt hi, miniſtrum ſacramenti matrimonii eſſe Sacerdotem; formam vero benedictionem, ſeu verba quibus ille coniugibus bene precatur; materiam eſse civilem contractum, ab ipſis contrahentibus mutuo conſenſu perfectum. Eſt haec ſententia & Patribus, & Conciliis, & Ritualibus, & rationi conſona. Et profecto Sponſi, ut ipſimet mutuo conſenſu nexu contractus, ſic a Sacerdote vinculo ſacramenti coniunguntur. Ignatius martyr [199]: *Decet ut & ducentes uxores, & nubentes, cum Epiſcopi arbitrio copulentur*, μετα γνωμης τυ ἐπισκοπυ την ἑνωσιν ποιεισθαι, *ut nuptiae iuxta Dominum ſint, non autem ad concupiſcentiam*. Syneſius [200] ſibi *& ſacram Theophili manum uxorem dediſſe*, ſcribit. Alia monumenta producit Marca. De nuptialis porro ἱερολογιας neceſſitate paſſim utriuſque Eccleſiae monumenta loquuntur. Ei ſacramenti dignitatem, vimque gratiae conferendae Patres adſcribunt. Teſtimoniis Graecorum ad id probandum a Marca allatis alia ſuperaddere, haud erit abs re. Baſilius [201] matrimonium definit ὁ δια της ἐυλογιας ζυγος, *iugum per benedictionem impoſitum*. Chryſoſtomus [202] ſacerdotali benedictioni matrimonii concordiam, quae Sacramenti effectus eſt, tribuit: και ἱερεας καλειν, και δι' ἐυχων και ἐυλογιων την ὁμονειαν τυ συνοικεσιυ συσφιγγειν, *& Sacerdotes vocare, & precibus ac benedictionibus concordiam coniugii conſtringere*. Cyrillus Alexandrinus [203] gratiam rectae educationis conferri ait, *quando matrimonium benedicitur*. Et Photius [204]: *neque enim*, ait, *corporum commiſtio, ſed precationum ritus efficiunt*, αλλ' η

της

(194) De erudit. Praedicator. cap. 51.

(195) In lib. inſcripto *Sacerdotale Romanum*, edito ann. MCCCCLXXXIV.

(156) Tract. de ſacrament. matrimon. cap. VI.

(197) Praefat. ad opera Melchior. Cani cap. 7.

(198) De locis Theologic. VIII. 5.

(199) Ep. ad Polycarpum.

(200) Ep. CV.

(201) Hom VII. in Hexem.

(202) Hom. LXVIII. in Geneſ.

(203) Lib. II. in Ioan.

(204) Nomoc. tit. 13. cap. 2.

της εὐχης τελετη ποιῃ, *ut ſponſalia evadant nuptiae*. In Alexii Patriarchae monumento tertio [205] ſcriptum eſt: ὁ Γεωργιος μεθ' ἱερολογιας ἠγαγετο Θεοδοτην. *Georgius, precibus ſacris adhibitis, Theodotem duxit*. Quid de Latinae Eccleſiae monumentis dicam? Neceſſitatem ἱερολογιας nuptialis Tertulliani, Siricii P., Innocentii I., Ambroſii, Concilii Carthaginienſis IV. aliorumque praeclare adſtruit Marca. Vnum addam S. Ildefonſi [206], qui ſaeculo VII. claruit, locum: *Si malae ſunt nuptiae, emendate Eccleſiae regulam: damnate qui in toto orbe ſunt Sacerdotes nuptiarum initia benedicentes, & in Dei myſteriis ſociantes*. Tandem in duo opportune Marca inquirit, quae non rite explicata ſuam evertere ſententiam poſsent; alterum, num clandeſtina matrimonia, quamdiu ea irrita non fecit Eccleſia, vera fuerint ſacramenta? alterum, num ſecundae nuptiae, quae benedici ab Eccleſia non ſolebant, ſacramenta fuerint? Reponit ad primum, clandeſtina matrimonia fuiſse ſacramenta, ſed quatenus *myſterium* Chriſti cum Eccleſia matrimonium ſignificans, non quatenus *ſignum* gratiam ſanctificantem conferens. Pari modo ſecundam dirimit quaeſtionem, reiecta Eſtii ſententia, nempe valuiſse olim ſecundas nuptias cum ratione contractus, tum ſacramenti, ſed quatenus *myſterium* eſt, non *ſignum*; deinde vera evaſiſse ſacramenta, quum Eccleſia de veteri ſeveritate decedens, digamos connubio per Sacerdotes iungi paſsa eſt. Equidem cl. Marcae hac in re haud adſtipulor; conſtat enim, ſecundas etiam nuptias ſemper a Sacerdote benedictas fuiſſe. Id quum ex aliis Patribus, tum Tertulliano conficitur, felicitatem ſecundi etiam matrimonii collaudante, *quod Eccleſia conciliat, confirmat oblatio, conſignat benedictio*. Saeculo IX. ἱερολογιαν ſacerdotalem ſecundis nuptiis impertitam, Iſidorianae monſtrant decretales. Is ex uſu ſaltem ſui temporis ſub nomine Hormiſdae (207) indiſcriminatim ait: *Nullus fidelis cuiuſqumque conditionis ſit, occulte nuptias faciat; ſed benedictione a Sacerdote accepta publice nubat in Domino*. Pari modo ſub nomine Evariſti (208) prodit: *& ſuo tempore ſacerdotaliter, ut moris eſt, cum precibus & oblationibus*

(205) Apud Zonaram in canones p. 798.
(206) Lib. de haereſib. haereſi 9.
(207) Apud Gratian. can. 2. 3. q. 5.
(208) Apud Gratian. can. 1. ibid.

bus a Sacerdote benedicatur. Et ſub nomine Calliſti (209) ab accuſando arcet, qui *ſine benedictione Sacerdotis copulatus eſt*. Capitularia Francorum (210) iubent, Parochum adiri a ſponſo, qui *per benedictionem Sacerdotis ſponſare debet*. Tandem, ut cetera mittam, Synodus Trosleiana anni DCCCCIX. (211) decernit, *ut ſecundum conſtitutionem antiquam per benedictionem ſacerdotalem accipiat, qui vult uxorem*. Graeci quoque ſecundas nuptias benedicebant: quod indiſcriminatim Leo Sapiens (212) aliique Imperatores edixerunt. At enim ſecundas nuptias benedici, diſerte vetant Innocentius I. (213), Caeſarius Arelatenſis (214), Alexander III. (215), Urbanus III. (216), ceterique. Ita vero; ſed ii de ſollemni benedictione accipiendi ſunt, quam ſecundis nuptiis impertiri Eccleſiae diſciplina non patiebatur. Sane duplex extitit nuptialis ἱερολογία, altera *ſollemnis*, quae inter miſſarum ſollemnia nupturis dabatur, quaeque κατ' ἐξοχὴν benedictio nuptialis dicta eſt; altera *minus ſollemnis*, quae extra miſſarum ſollemnia dabatur: illa primarum nuptiarum propria; haec primis, & ſecundis nuptiis communis erat. Hinc nonnunquam cum primae, tum ſecundae nuptiae benedici, quandoque diſtinctionis gratia illae benedici, harum vero ſponſi a Sacerdote *coniungi* tantum dicuntur. Quae cum ita ſint, ſecundae nuptiae vera olim ſacramenta fuere, quippe quae rite per Sacerdotem benedicebantur; adeoque propoſita Marcae ſententia conſiſtere nequit.

Sequuntur tres Stephani Baluzii, ac binae Paulli Fageti epiſtolae Gallice ſcriptae. Ediderat Fagetus ſub nomine Petri de Marca opuſcula quaedam poſtuma. Quod vero haec ad examen evocata compluſculos continere errores nonnullis ſunt viſa, praeſertim quae de Euchariſtia agunt; tres Baluzius dedit epiſtolas, alteram *ad Epiſcopum Tullenſem*, qua eiusmodi tractatus Marcae aut ſuppoſitos, aut certe ob multas emendationes Fageti arbitrio, & eccleſiaſtici Cenſoris iuſſu factas, corruptos pronuntiat; duas

(209) Can. 4. cauſ. 3. quaeſt. 4.
(210) Lib. VII. cap. 179.
(211) Can. VIII.
(212) Conſt. LXXXIX.
(213) Ep. ad Victric. c. 6.
(214) Serm. CCLXXXIX. Appendic. ad opera S. Auguſtin.
(215) Cap. I. de ſecund. nup.
(216) Cap. III. cod.

duas vero epiſtolas ad *Praeſidem de Marca* , qua eum hortatur, ut Fagetum τȣ μακαρίτȣ Marcae patris ſui famam ubique probatiſſimam ſic attrectare auſum, auctoritate ſua compeſcat, inque ordinem redigendum curet. Suam adverſus Baluzii criminationes cauſſam dicit Fagetus duabus datis epiſtolis, altera *ad Epiſcopum Tullenſem*, altera *ad Praeſidem de Marca*, quibus opuſcula a ſe edita genuinos integroſque Marcae foetus eſſe adſeverat; etſi Marcam ad privatum uſum ſuum de Sacramentis diſſertationes conſcripſiſſe, de publico nihil prorſus cogitantem, haud diffiteatur. Agmen claudunt binae Sirmondi, totidemque Petavii exercitationes amoebaeae de anno Synodi Sirmienſis contra Photinum habitae, ac Fidei formulis in ea conditis, de quibus ſupra iam dictum.

Haec habui, candide Lector, quae de viri ex mera, quantus erat, publica privataque iuriſprudentia & antiquitate eccleſiaſtica compoſiti Petri de Marca opuſculis volumine hoc digeſtis, inter operarum typographicarum feſtinationem praefarer. Vtinam licuiſſet mihi eſſe tam felici, nullum ut mendum ſive in meis, quidquid eſt recularum, ſive in ipſo Marcae opere irrepſiſſet. Quod ſi quando offendes, culpam aequus confer in ſollemnem impreſſorum audaciam, eorumque incuriam, a qua ſane humana parum cavere natura poteſt, qui operi corrigendo incubuere; quin utroſque aequior abſolve; quippe opere in magno fas eſt obrepere ſomnum. Vale, ac hominis bene tibi cupientis ſtudia aequi bonique conſule. Dab. Neap. VI. Kal. Iun. MDCCLXXIV.

Digitized by Google

STEPHANI BALVZII
T V T E L E N S I S
P R AE F A T I O A D L E C T O R E M.

I. OPVSCVLA iſthaec illuſtriſſimi ac celeberrimi viri Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis , quae nunc tibi damus, lector , aliquammultos per annos latuerunt inter ſchedas noſtras , non quod ea cum ordine literatorum communicare nollemus , ſed quia aliae editiones iſtam aliquantiſper, ut ſolet, retardarunt. Nunc ergo tandem prodeunt , & quidem bonis auſpiciis . Operae autem pretium eſt in his recenſendis immorari , ut oſtendamus in primis quibus illa temporibus ſcripta ſint. Sunt enim nonnulla in his opuſculis,quae hanc curam & hanc diligentiam expoſtulare videntur.

II. Opuſculum igitur primum , in quo tractatur de ſtemmate ſive de genealogia Domini noſtri Ieſu Chriſti , ſcriptum fuit Barcinone anno MDCXLIX. Kalendis Ianuariis; ſecundum vero, in quo agitur de adventu Magorum ad Chriſtum, Lutetiae Pariſiorum an. MDCLIV.

Digitized by Google

VII. Idus Ianuarias. Adnotavit autem auctor in margine, extemporaneam fuiſſe ſcriptionem.

III. Tertium quod heic ſequitur opuſculum, *De ſingulari primatu Petri*, ſcriptum eſt occaſione graviſſimae quaeſtionis de duplici capite in Eccleſia, quae anno MDCXLVII. mota eſt in Gallia, pleriſque unicum tantum caput, videlicet beatum Petrum, in ea conſtituentibus, quibuſdam vero cenſentibus, Paulum quoque Eccleſiae caput cum Petro fuiſſe. Quum haec quaeſtio diſtraheret in partes ingenia hominum eruditorum, Innocentius Papa X. a Marca impetravit exercitationem illam *De ſingulari primatu Petri*, quam is ſcripſit Barcinone V. Kalendas Iunias eiuſdem anni. Ea porro ſic placuit Innocentio, ut eam publice legi iuſſerit, atque hinc ſingularem quandam de Marcae in ſedem Romanam propenſione acceperit opinionem.

IV. Diſſertationem de diſcrimine clericorum & laicorum ex iure divino, & de forma regiminis a Chriſto inſtituta in Eccleſia, ſtatim poſui poſt exercitationem de ſingulari primatu Petri, non quod eodem cum illa tempore ſcripta ſit, quum confectam conſtet poſt reditum auctoris ab Hiſpania citeriore, & ante annum MDCLVI. quo ego in domum eius admiſſus ſum: ſed quia eiuſdem ferme argumenti eſt. Porro illi Marca non impoſuerat ultimam manum, & plura adhuc ſupererant dicenda, quae reliquit intacta.

V. Sequitur diſſertatio de ſynodo Sirmienſi plenaria, & de Valentis & Urſacii venia, quam is Barcinone elucubravit anno MDCLI. occaſione controverſiae, quae de ea re tum fuit inter duos magnos viros, Iacobum Sirmondum dico & Dionyſium Petavium Societatis Ieſu duo clariſſima lumina. Et Petavii quidem diſſertatio edita iampridem fuerat. Verum quia vis argumentationum illuſtriſſimi Archiepiſcopi non ſatis bene intelligi poteſt, niſi quis ſtatim ad manum habeat ea, quae de hac cauſa ſcripta ſunt a Sirmondo & Petavio, iſtius quidem diſſertationem viſum eſt recudi debere in calce huius voluminis, Sirmondi vero diatribas duas, quae nondum editae ſunt, cum illa coniungere. Harum priorem deſcripſimus ex autographo Sirmondi, quod habuimus a viro clariſſimo Ioanne Garnerio; poſteriorem nobis exhibuerunt ſchedae humaniſſimi ac eruditiſſimi viri Emerici Bigotii. Porro illum fructum ex editione illarum diatribarum percipiet eruditus lector, quod facile deinceps iudicare poterit iure an iniuria vir clariſſimus Henricus Valeſius pro Petavio adverſus Sirmondum pronuntiaverit. Agens enim de iſta controverſia in annotationibus ad hiſtoriam eccleſiaſticam Socratis lib. II. cap. XXIX. ait: *Scio Iacobum Sirmondum duos libellos ſcripſiſſe, quibus Baronii ſententiam adverſus Dionyſium Petavium aſſerere conatus eſt. Sed quum ipſe eos li-*

libellos non ediderit, ſatis oſtendit, ſe falſitatem opinionis ſuae tandem agnoviſſe.

VI. Ceterum antequam ab hoc argumento diſcedam, non inutile erit admonere, Marcam, quum in ea diſſertatione refert aliquam rem ex operibus ſancti Athanaſii Epiſcopi Alexandrini, uſum fuiſſe editione Commeliniana, tametſi nos in margine adnotaverimus paginas iuxta editionem Pariſienſem anni MDCXXVII. Sed in primis haec obſervatio neceſſaria eſt in paragrapho XVIII. pag. 176. ubi Marca adnotat, Photinum Epiſcopum Sirmienſem ambigue perſtringi ſub nomine Scotini in confeſſione ſynodi Antiochenae, quam refert Athanaſius. Nam in editione Commeliniana to. I. pag. 691. ita omnino ſcriptum eſt & in Graeco contextu & in interpretatione Latina. At qui Pariſienſem editionem adornarunt, putantes heic erratum a librario eſſe, quia videbant apud Socratem lib. II. cap. XIX. φωτεινοῦ legi, non σκοτεινοῦ, Scotini vocabulum ab eo loco ſuſtulerunt, & Photini nomen pag. 898. repoſuerunt. Et tamen, uti etiam obſervatum a Sirmondo eſt, legere poterant apud Luciferum Calaritanum in libro *De non parcendo delinquentibus in Deum* pag. 291. *Photinus Sirmienſium, qui vere dicitur Scotinus.* Et pag. 265. *Quid intereſſe arbitraris inter te & Paulum Samoſatenum, vel eum tum eius diſcipulum tuum conſcotinum?* Gaudet enim Lucifer iſtiuſmodi compoſitione verborum. Haec porro oſtendunt quam periculoſum ſit aliquid mutare in lucubrationibus veterum abſque certa ratione aut auctoritate.

VII. Diatribam de ſynodica epiſtola ſynodi Illyricianae Marca Toloſae ſcripſit anno MDCLV. die XXVIII. Iunii. Diſputandi occaſionem dedit vox ἐπισκόπων repetita in quodam loco illius epiſtolae, quae virorum doctiſſimorum ingenia diu torſit. Eam Sirmondus expunxit in ſua Theodoreti operum editione. Sirmondum acriter reprehendit Henricus Valeſius in annotationibus ad Theodoretum; & dein ſuam loci iſtius explicationem affert, novam ſane, ſed minime veram. Quare doctiſſimus amicus noſter Ioannes Baptiſta Cotelerius non dubitavit aſſerere, etiam poſt illam Valeſii annotationem, non videre ſe quinam poſſit eſſe loci difficillimi ſenſus, niſi expungatur vox illa ἐπισκόπων ſecundo loco poſita. Quae eſt ſententia etiam illuſtriſſimi Archiepiſcopi. Fatendum tamen eſt, ut Marca adnotat, vetus eſſe mendum, quod & veteres ferme libri habent & veteres editiones. Sane praeter codices regios, quibus uſus eſt Robertus Stephanus, extat etiam in vetuſtiſſimo exemplari Graeco bibliothecae Colbertinae.

VIII. Quo tempore ſcripta fuerit explicatio canonis quinti primae ſynodi Conſtantinopolitanae, in quo agitur de tomo occidentalium, ſane compertum non habeo. Illud tantum ſcio, elaboratam antequam

 pro-

Digitized by Google

profiſceretur in Hiſpaniam Tarraconenſem. Eius aliquam partem exhibuit auctor in capite quarto libri primi de concordia ſacerdotii & imperii. Nos vero de eo quoque argumento nonnulla dicemus in tomo primo novae noſtrae collectionis Conciliorum.

IX. Diſſertationem de veteribus canonum collectionibus elaboravit quum in Hiſpania Tarraconenſi gereret munus Viſitatoris generalis. Quare mirum non eſt, ſi in penuria librorum, qua illic laborabat, coactus eſt uti editione Pithoeana breviationis canonum Ferrandi Diaconi, quum non haberet eas, quae ab Alteſerra & Chifſletio datae ſunt emendatiores. Haec porro diſſertatio, quamvis ſatis longa ſit, non eſt integra, quum de Conciliis tantum Africanis in ea ferme agatur. Vnde ipſe in epiſtola ad clariſſimum virum Petrum Poſſinum ita ſcribebat anno MDCLX. III. Kal. Ianuarias: *Abſolvere inſtitui diſſertationes meas de veteribus canonum collectionibus, opus hactenus intentatum noſtris ingeniis, atque etiam exteris.*

X. Occaſio poſtulat, ut quoniam vir illuſtriſſimus in capite primo iſtius diſſertationis pag. 203. & 204. mentionem fecit vetuſtiſſimae collectionis, quae fuit doctiſſimi viri Chriſtophori Iuſtelli, in qua canones Sardicenſes ſequebantur numeris conſequentibus poſt Nicaenos, quum ea collectio edita ſit anni ſunt omnino viginti, hiſtoriam illius editionis aperiam; quae neque a quopiam hactenus tradita eſt, neque ab ullo alio, quam a me ſcribi vere poteſt.

XI. Quum viri clariſſimi Gulielmus Voellus, & Henricus Iuſtellus Chriſtophori filius, prior Theologus Pariſienſis, alter Calviniani dogmatis ſectator, conſtituiſſent in unum corpus colligere varios codices canonum eccleſiaſticorum olim a Chriſtophoro editorum, & illis addere etiam aliquos nondum editos, in primis vero quandam collectionem Latinam, quam habebant in vetuſtiſſimo codice MS. Chriſtophori Iuſtelli, & Marca tum Toloſae habitans intellexiſſet, eam editionem maturari, ratus id quod res erat, ſuppreſſum fortaſſis iri canones Sardicenſes, (quos, quum ſtatim ſequerentur poſt Nicaenos, Chriſtophorus, adhuc iuventa calidus, cultro reſecuerat & ad calcem libri reiecerat) ea de re ſcripſit ad virum ſuperilluſtrem Petrum Seguierium Galliarum Cancellarium, orans eum uti publicatione horum librorum ſuperſederetur donec ipſae Lutetiae eſſet. Eo quum Marca perveniſſet IX. Kal. Octobris anni MDCLX. ac typographus urgeret emiſſionem operis iam perfecti, Voellus & Iuſtellus non aliter id a Cancellario obtinere potuerunt, quam ſi Marcae rationem redderent operae ſuae. Igitur non ita multo poſt ad eum venerunt, & cum illis, qui nuper mortuus eſt, Ludovicus Henricus Fayus Eſpeſſaeus Abbas ſancti Petri Viennenſis, in cuius aedibus habitabat Voellus. Primo res acta eſt magna contentione, Voello & Iuſtello frendentibus

bus & contendentibus, duo vetera folia membranacea, quae ad calcem codicis reiecta erant, in quibus continebantur aliqua fragmenta canonum Sardicenſium, non pertinere ad hunc codicem; praeſertim quum folia quinque deſieri manifeſtum eſſet poſt canones Nicaenos, & illic duo tantum reperirentur. Sedata tandem illa perturbatione, quum conſtitiſſet, haec duo folia eiuſdem magnitudinis eſſe cum ceteris, eiuſdem antiquitatis, eiuſdem marginis, eiuſdem ſcripturae, ac numeratis & collatis cum editione Biniana anni MDCXVIII. lineis &, ut ita dicam, vocabulis quibus opus erat ad ſupplenda haec quinque folia, quae deerant ex ſubſcriptionibus ſynodi Nicaenae & ex canonibus Sardicenſibus, luce clarius patuiſſet, duo illa folia reliqua ex quinque reciſis reponi debere conſequenter poſt Concilium Nicaenum, praeſertim quum Marca fidem faceret, ita ſibi olim dictum a Chriſtophoro, qui faſſus fuerat, ſe adhuc iuvenem illa reſeciſſe impetu potius quam ratione, inter eos convenit, ut haec fragmenta ederentur, & ut ſequens praefatio, quam Marca ſua manu ſcripſit, in fronte voluminis poneretur.

Monendus eſt lector amanuenſis, oſcitantia, ex cuius apographo ad fidem MS. codicis expreſſo editio iſthaec confecta eſt, accidiſſe ut canones Sardicenſis Concilii ſuo loco, id eſt, poſt canones Nicaenos, poſiti non fuerint. Quod editoribus curam impoſuit, recenſendae editioni & iterum cum manuſcripto conferendae attentis, ut omiſſionem illam reſtituerent, adiectis hic in fronte collectionis canonibus Sardicenſibus, qui ſuperſunt in eo codice; ubi poſt ſubſcriptiones Nicaeni Concilii, & ante canones Gangrenſis, folia quaedam deſunt, quae vetuſtate perierunt; duo tamen ſuperſunt, incipiuntque a canone Sardicenſi XIV. *una cum ſequentibus uſque ad* XIX. *quos bona fide hic repraeſentare editores voluerunt.*

XII. Aliter tamen evenit. Nam quum evaſiſſent ex ea tempeſtate, aliam viam, Marca inſcio, inierunt componendae huius controverſiae, & fragmenta illa canonum Sardicenſium repoſuerunt poſt Nicaenos, addita praefatione qua teſtarentur, id ſe ratione potius feciſſe quam ullo indicio aut neceſſitate ex veteri libro petita. Monuerunt ergo, maximam partem canonum Sardicenſium cum poſtrema parte ſubſcriptionum Concilii Nicaeni iniuria temporum periiſſe. Mox addunt: *Quae tamen ſuperſunt Concilii Sardicenſis fragmenta poſt Nicaenam ſynodum collocavimus. Auctorem namque huiuſce editionis non dignitatem Conciliorum, ſed ordinem temporis ſequutum fuiſſe in ſua collectione veroſimile eſt.* Rem totam referunt ad veri ſimilitudinem, quum tamen eis & dictum & oſtenſum ſit, ea folia in quibus poſtrema pars ſubſcriptionum Concilii Nicaeni & nonnulli canones Sardicenſes continebantur, poſita olim fuiſſe poſt ſynodum Nicaenam in codice

dice MS. indeque avulſa a Chriſtophoro adhuc iuvene, ne catholici ex eo libro vetuſtiſſimo praeſcriberent adverſus haereticos pro dignitate & auctoritate horum canonum. Dicere debuerant, iuxta pacta & conventa canones illos locis ſuis praetermiſſos fuiſſe, & nunc reponi.

XIII. Ne quis vero putare poſſit, me totam hanc hiſtoriam gratis comminiſci & nullum illius veſtigium extare, primum ſcire omnes volo, me huic omni concertationi & examini interfuiſſe, penes me habere praefatiunculam ſupra deſcriptam, & Marcam iſtius rei mentionem feciſſe in literis, quas tum per aliam occaſionem dedit ad Alexandrum Papam VII. & ad Lucam Holſtenium. Deſcribam autem eius verba ex ea, quae eſt ad Alexandrum. *Iuſtellus pater, Calvinianae quoque haereſeos ſectator, codicem canonum Eccleſiae univerſae olim publicaverat, omiſſis de induſtria Sardicenſis Concilii canonibus Romani Pontificis poteſtatem diſerte aſſerentibus, ac ſi iudicio Eccleſiae univerſae a corpore canonum reſciſſi eſſent. Eadem fraude filius canonum collectionem Latinam e codice vetuſtiſſimo his nongentis annis non ſcripto ante meum in hanc Pariſiorum civitatem adventum praelo ſubmiſerat. Statim comperto ab ea abeſſe Sardicenſes canones, quos ſcieb. m a Iuſtello patre ex ipſo codice reſectos quidem, ſed ad eiuſdem voluminis calcem folia reiecta, non deſtiti quoad tam regiae poteſtatis comminationibus, quam humaniſſimis precibus, poſt canones Nicaenos iuxta fidem manuſcripti codicis Sardicenſibus in editione locus ſuus reſtitueretur, ne, hac diligentia praetermiſſa, triumpharent haeretici ſpretam, non ſolum a Graecis, ſed etiam a Latinis, & praecipue ab Eccleſia Gallicana, canonum illorum auctoritatem.*

XIV. In capite tertio iſtius diſſertationis §. XIII. pag. 219. Marca agit de collectione canonum adornata a Theodoreto Epiſcopo Cyrenſi, de qua iam diſſeruerat in libro tertio de concordia, conatus etiam eorum obiectionibus reſpondere, qui illam Theodoreto abiudicant. Non caret enim res iſta difficultate; ut patet ex his, quae Chriſtophorus Iuſtellus praefatur in eam collectionem, cuius auctorem eſſe contendit Ioannem ſcholaſticum.

XV. Capite VI. §. III. citat veterem codicem doctiſſimi viri Nicolai Fabri ex fide eiuſdem Iuſtelli, qui non admonuit ubinam extaret liber ille. Vtar autem hac occaſione, ut nonnulla dicam haud ſatis vulgo comperta de magno illo viro; qui & frater fuit Guidonis Fabricii Boderiani viri item doctiſſimi, & Conſiliarius regius in curia, quam vocant aquarum & ſilvarum, poſtremo Ludovici XIII. Francorum Regis praeceptor. Satis conſtat, hominem fuiſſe doctiſſimum & beneficentiſſimum, ut etiam ex multis illuſtriſſimi Cardinalis Baronii teſtimoniis patet. Collegerat ergo ille in ſuum uſum multos antiquiſ-

ſimos

ſimos codices manuſcriptos, eoſque, quod praecipuum eſt, evolverat, legerat, manu ſua in eis obſervationes ſuas ſcripſerat. Hi codices, qui & optimi ſunt & antiquiſſimi, nunc habentur in locupletiſſima bibliotheca Colbertina; & inter hos etiam ille, quem ex fide Iuſtelli Marca citat, qui fuerat antea doctiſſimi item viri Claudii Fauchetii. Porro, praeter illum Fabri codicem, alius quoque admodum vetus, qui olim celeberrimi viri Petti Pithoei fuit, extat in eadem bibliotheca Colbertina, in quo canon ille Africanus iiſdem omnino verbis habetur, quo editus eſt ex libro Fabri.

XVI. Diſſertationem ſeu potius interpretationem cap. *Clericus* 3. *q.* 4. olim edidi cum dialogis Antonii Auguſtini de emendatione Gratiani, in loco ſane non peregrino. At nunc viſum eſt eam coniungere cum ceteris illuſtriſſimi Archiepiſcopi opuſculis, ne lector eam quaerere extra cogatur. Scripta autem fuit in Monaſterio Murtenſi prope Barcinonem anno MDCL. die XI. Maii.

XVII. Diſſertatio de patria Vigilantii, cuius nomini celebritatem aeternitatemque dedit Hieronymi in eum excandeſcentia, ſcripta item fuit in Hiſpania Tarraconenſi, ut omnia ferme iſthaec opuſcula. Ceterum de tempore, quo ſcripta fuit, non mihi conſtat. Sane ante menſem Iulium anni MDCLI. oportet fuiſſe compoſitam, quum Marca tum ex Hiſpania reverſus ſit in Galliam.

XVIII. Diſſertationem de origine & progreſſu cultus beatae Mariae Virgini in Monteſerrato exhibiti elucubravit anno MDCLI. die decima Aprilis, poſtridie Paſchae. Poſtquam illa heic ſuo loco edita fuit, accepi ab excellentiſſimo doctiſſimoque viro Gaſpare de Mendoza Marchione de Mondexar & Comite de Tendilla, eam non ita pridem a Stephano Corbera editam Barcinone fuiſſe ad calcem Cataloniae illuſtratae. Sane varia illius exemplaria extabant apud homines Hiſpanos. Nam primo Marca unum reliquerat in Monteſerrato anno MDCLI. quod quum deperditum fuiſſet, aliud poſtea miſit ad Franciſcum Creſpum Abbatem Bagiarum, uti dictum eſt a nobis in libro de vita eius. Tertium quoque exemplar miſit ad illuſtriſſimum doctiſſimumque virum Petrum Valerum Diazium I. C. Hiſpanum, qui nunc rationum regni Neapolitani Praeſes eſt & Viſitator generalis in regno Siciliae.

XIX. Quo tempore ſcriptae ſint diſſertationes de origine monaſterii Scalae Dei, & de theca reliquiarum ſancti Ioannis Baptiſtae, adnotatum eſt in earum calce. Vnum heic monendum, Antonium Archiepiſcopum Athenienſem, & Iacobum Patriarcham Conſtantinopolitanum, quos Marca recte arbitratus eſt fuiſſe Epiſcopos Latini ritus, vere Latinos fuiſſe, & curiam pontificiam Avenionenſem ſecutos. Nam quod ad Antonium attinet, ei cognomen Baliſtario fuit, & ex reli-

Digitized by Google

religioſo ordinis ſancti Franciſci factus eſt Archiepiſcopus Athenarum anno MCCCLXX. VI. Kalendas Aprilis, ut docet Waddingus. Iacobus vero Patriarcha CP. eodem ferme tempore evaſit; vocabaturque Iacobus de Itro, natione Gallus, qui poſtea Hydruntinus Archiepiſcopus factus eſt a Gregorio XI. anno ſexto ſui pontificatus. Hunc Clemens VII. Cardinalem creavit anno MCCCLXXVIII. die XVIII. menſis Decembris.

XX. Oratio Marcae habita Barcinone, quae praecedere debuerat fragmenta, neſcio quomodo factum eſt ut poſt illa poneretur. Erat ille vir, quod omnes norunt, & in rebus literariis ſummus & in politicis. Itaque cum anno MDCXLIV. adveniſſet Barcinonem ſupremo illic magiſtratu functurus, & agnoviſſet Hiſpanos artibus ſuis conari illudere populo per eos, qui & confeſſiones eorum audiebant, & publice proponebant verbum Dei, praecipue vero per religioſae quam vocant vitae profeſſores, eoque iam ventum eſſe, ut & Provinciales eorum vetarent, ne quis de rebus publicis loqueretur in ſermonibus ad populum, & epiſtolam recenter a Roma miſſam eſſe ad Collectorem apoſtolicum illarum partium, in qua, inter cetera, redarguebantur duo concionatores, qui palam favere viſi erant rebus Gallicis, haec inquam omnia quum Marca cognoviſſet, orationem illam in ſuis aedibus habuit ad Provinciales & alios Superiores ordinum religioſorum illius urbis. Scripſit ille die vigeſima menſis Iulii, quo habita eſt oratio, ad virum ſuperilluſtrem Michaelem Tellierium, qui nunc merito ſuo ſummus Galliarum Cancellarius eſt, eam monitionem ſummo applauſu exceptam fuiſſe a religioſis illis, ac plures eorum proteſtatos eſſe, in meliori tunc ſtatu futuras fuiſſe res provinciae publicas, ſi iſta ante biennium praecepta fuiſſent, quae tum Marca ab illis exigebat.

XXI. Iſta nos aut ſimilia olim ſcripſimus ad Agobardum; eodemque tempore monuimus, hunc ſemper uſum in Eccleſia retentum, ut pro Principe oraretur inter myſteria, eiuſque inter ea nomen recitaretur. Quod adeo certum eſt ac conſtans, ut valde mirer, hominem plurimae lectionis Chriſtianum Lupum eo uſque progredi auſum eſſe in tomo quarto ſuorum ſcholiorum ad Concilia pag. 425. ut id falſum eſſe contenderet, quod ego de ea re ſcripſi; quum ſi quis verba mea ſincere expendat, & ea componat cum locis veterum a Lupo adductis, facile agnoſcet, me nihil falſe locutum eſſe, & Lupum ſuis ſe armis iugulare, ceu ſumus oſtenſuri in ſecunda editione operum Agobardicorum. Porro quia monueram, quendam Fr. Petrum Moliner puerilem admodum declamatiunculam eodem anno Tarracone edidiſſe adverſus illam Marcae orationem, & res iſta nonnihil adverſum me commovit animum religioſiſſimi viri, prima fronte conſtitue-

ſtitueram edere hanc declamatiunculam in calce iſtorum opuſculorum, ut hinc quivis colligere poſſet, falſone an vere id a me dictum eſſet. Verum quia illa mihi admodum inepta viſa eſt & abſurda, quippe quae multum loquentiae, ut ait ille, ſed parum aut potius nihil eloquentiae aut boni ſaporis habeat, abrupi conſilium meum, ut vitarem iuſtam eruditorum ac ſapientum hominum reprehenſionem.

XXII. Fragmenta nos collegimus, & edidimus, ne perirent. Primum, quod inſcriptum eſt *Adverſus ſatyras*, debemus otio, quo Marca fruebatur quum Regem, quem iuſſus fuerat Lugdunum aſſequi, expectabat in ea civitate anno MDCLVIII. menſe Novembri. Nam ſatyras adverſum ſe annis MDCLVI.& LVII. ſcriptas, quae quidem erant acerbiſſimae ac vehementiſſimae, hactenus contempſerat, gnarus viros graves & ſerios haec ſpernere quum eduntur, & poſteritatem nihili facere maledicentias, quae proferuntur adverſus magnos viros. Tum vero, quum nihil haberet quod ageret, hanc reſponſionem inchoavit: quae remanſit imperfecta, quia eodem die Rex Lugdunum advenit, quo iſta ſcribebantur, & ſtatim Marca revocatus eſt ad tractationem graviorum negotiorum.

XXIII. Quoniam vero res in libellis illis tractata magnam tunc contentionem excitavit, praecipue ob quorundam invidiam, qui aegre ferebant, Marcam ſupra ceteros eminere in celebri illo Epiſcoporum Gallicanorum conventu, qui anno MDCLVI. Pariſiis habebatur, & propterea has tragoedias adverſus eum excitarunt, res poſtulare videtur, ut totius iſtius controverſiae originem aperiam. Sed antea viſum eſt admonere, tantam fuiſſe optimi viri moderationem, tantum ac tam ſingularem amorem erga inimicos, quos probe noverat, quamvis ſe ſumma cura occultarent, ut non ſolum noluerit eis nocere quum poſſet, ſed etiam bona pro malis retulerit, & quidem in negotiis maximi momenti. Non nominabo illos, quum mortui iam ſint. Mihi ſatis eſt quod optimi viri benefacta non tacui. Nunc in viam redeo.

XXIV. Anno MDCLV. emerſit heic Lutetiae Libellus Gallice ſcriptus cum hoc titulo: *L' Obligation des fideles de ſe confeſſer a leur Curé*. Hic eſt famoſus ille libellus, qui tum vocabatur ANONYMUS. Adverſus illum eodem anno ſcripſit vir optimus & doctiſſimus Ioannes Bagotius e Societate Ieſu, ſummiſque ingenii viribus oſtendere conatus eſt, delegatos Romani Pontificis poſſe confeſſiones Chriſtianorum audire per univerſum orbem terrarum, etiam abſque conſenſu parochorum. Hinc ortum maximum certamen inter Bagotium & libelli illius defenſores; cuius arbitrium delatum eſt ad Epiſcopos tum Pariſiis congregatos. Agebatur de auctoritate Romani Pontificis: quam ut Bagotius tueretur, adduxit locum quendam Concilii Florentini, profeſſus ſe ſequi interpretationem, quam ei Marca adhibuerat in li-

Digitized by Google

bro de concordia. Tum prodiit alter libellus cum hoc titulo: *Regles tres-importantes tirées de deux paſſages, l'un du Concile de Florence, & l'autre de Glaber, rapportez par Monſeigneur de Marca Archeveſque de Toulouſe*. Et haec quidem anno MDCLVI. evenere. Anno poſtea ſequenti tertius libellus exiit ita inſcriptus: *Lettre de l'auteur des Regles importantes a Monſeigneur de Marca &c.* Adverſus hunc tertium libellum praecipue agit iſtud primum fragmentum.

XXV. Quo loco obſervanda eſt in primis modeſtia & ſanctitas optimi viri: qui quum in libro tertio de concordia Abrahamum Cretenſem doli mali accuſaſſet propter ſubdolam, ut ipſe tum putabat, interpretationem Decreti unionis Eccleſiarum in Concilio Florentino editi, eam invidiam illi poſtea detraxit, quia illi certo conſtitit Abrahamum verſionis illius auctorem non eſſe. Sane in authentico & originali, ut vocant, illius Decreti, quod extat in bibliotheca Colbertina ſcriptum iu charta Latine & ex adverſo Graece, hinc bulla plumbea Papae appenſa, inde chryſobullo Ioannis Palaeologi Imperatoris Conſtantinopolitani, diſerte ſcriptum eſt: *quemadmodum etiam in geſtis Conciliorum icumenicorum & in ſacris canonibus continetur*.

XXVI. Vtinam hanc illuſtriſſimi viri modeſtiam imitari poſſet aut vellet is, qui nuper famam eius maledicentiſſima ſcriptione lacerare conatus eſt, amicus olim meus, ſed neſcio cur nunc factus inimicus, Ioannes Gerbaſius Doctor Sorbonicus, & publica retractatione, ut ille fecit erga memoriam Abrahami, deleret convicia, quae in ſummum virum, alioqui mortuum, abſque ulla cauſa ac neceſſitate conjecit. Edidit is anno MDCLXXIX. diſſertationem de cauſis maioribus ad caput Concordatorum *De cauſis*, cui elaborandae & perpoliendae inſumpſit totos quindecim annos. Et quia Marca in admirabili illo & ab omnibus eruditis laudato opere de concordia ſacerdotii & imperii caput illud Concordatorum ſic interpretatus eſt, ut fato quodam, ſed tamen poſt totum iſtud negotium decocto iudicio expenſum, inciderit in opinionem, cui nunc Gerbaſius adverſatur; iſte non ferendum ratus, primo laudat hominem, ſed ſtatim ſubdolus laudator, ut de Ruffino aiebat Hieronymus, crudeliſſimam & ſuperbiſſimam ſatyram adverſus eum ſcribit, non animadvertens diffidentiam cauſae eſſe perſonas velle diſcutere, ut aiebat Fortunatianus Epiſcopus Siccenſis in tertia collatione Carthaginenſi. Quod adeo verum eſt, ut Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus ſcribens adverſus Petilianum Epiſcopum Conſtantinenſem Donatiſtam, qui relicto negotio principali, Auguſtinum conviciis confectatus erat, ita eum reprehendat lib. III. cap. I. *Relicto negotio quodammodo publico, privata quadam ſimultate hominis unius vitam maledicis opprobriis inſectatus es, quaſi homo ſit cauſa, quae inquiritur*. Debuerat ſane Gerbaſius legiſſe docti cuiuſdam

Do-

Digitized by Google

Doctoris Pariſienſis ac ſocii ſui librum de maioribus itidem cauſis: qui in praefatione ſua, tamquam adverſus Gerbaſium velut prophetico ſpiritu plenus ſcriberet, indignatur quod quidam Petrum de Marca Archiepiſcopum Pariſienſem, *virum ſcientia, virtute, & dignitate ornatiſſimum, quem in vivis adoraverat, aperto marte poſt mortem oppugnare non metuit, verum non ſine quadam ignaviae ſuſpicione. Imbecilli enim eſt militis hoſtem in ſepulchro debellare &c.* Sane & divinae ſcripturae & humanae vetant ne mortuos inſectemur.

XXVII. Quamvis igitur amicus ille olim meus virum magnum ſic atrociter dilaceraſſet, ut etiam me teſtem ſuae calumniae, quod eſt maximum nefas, faceret, dubitavi tamen an mendacia eius refellerem; certe diu ſuſtinui, experturus videlicet an eum poeniteret iſtius facinoris. Verum, ne ille longiorem diſſimulationem pro conſenſu interpretetur, ut verbo ſancti Ambroſii utar, hoc quoque dedi meae in optimum virum reverentiae, ut quae, ſi de mea tantum cauſſa ageretur, refellere nollem, in eius gratiam oſtendam non eſſe vera & omni ratione carere. Quod ut ordine procedat, apponam primum ipſa Gerbaſii verba ex articulo III. §. VI. pag. 60. & 61. licet cum dolore. Videor enim, ita agens, exprobare illi flagitium ſuum adverſus memoriam ſummi iſtarum, quas nos profitemur, literarum antiſtitis. Faciam tamen, quia ipſe me coegit. *Fateor igitur*, inquit, *adverſari mihi hac in parte illuſtriſſimum Marca, vel potius auram illam, qua tum ferebatur, quum diſſertationem ſuam compoſuit de Epiſcoporum iudiciis ac depoſitionibus. Nemo enim neſcit (atque ego ita accepi a viro clariſſimo Baluzio, qui ſtudiorum ipſius particeps diu fuit) nemo inquam neſcit, opus iſtud ab eo ſuſceptum eſſe iuſſu Eminentiſſimi Richelii, quo tempore Epiſcopi Galliarum nonnulli probatae minus fidei erga Regem regnumque inſimulati ſunt. Quum enim deſignaſſet Cardinalis Epiſcopos illos deiicere per commiſſarios, viamque illam novam inſolentemque in Galliis intelligeret, uſus eſt opera viri percelebris Petri Marcae: qui quidem, ut ingenii erat facilis, nec auram gratioſam invitus ſequebatur, ſtilum ſuum Cardinalis Eminentiſſimi votis haud aegre accommodavit. Quare mirum nihil eſt ſi neglecta antiquitate ius ipſe novum excogitaverit, ipſamque Concordatorum legem, quamquam certe repugnantem, ad commenti ſui probationem viſus eſt adhibere.*

XXVIII. Ac ne quis ſuſpicari poſſet, eam ſatyram illi inconſiderate excidiſſe, patere omnibus voluit, eam ſe conſulto ſcripſiſſe. Quare ut mendacia ſua iiſdem mendaciis confirmet, iſta ſcribit in articulo X. §. II. pag. 251. *Obſervavi enim iam antea, qua occaſione ſcripſerat illuſtriſſimus Marca de Epiſcoporum iudiciis, nempe ut morem gereret gratumque ſimul faceret Gallicarum rerum moderatori Richelio, qui quoſdam Epiſcopos quaſi maieſtatis reos tum temporis inſe-*

quebatur. Mirum itaque nihil eſt, ſi diſſertationem ſuam in id ius tandem inclinaverit, quod potentiſſimo Cardinali accommodatius gratiuſque futurum intelligebat.

XXIX. Videt clariſſimus Gerbaſius, agere me bona fide, neque falſi quicquam illi adſcribere. Itaque non poterit conqueri, aberraſſe me a praeſcriptione rationis, aut illi ea imputaſſe, quae ipſe neque dixerit neque ſcripſerit, quum ſint ipſiſſima eius verba. Nunc ego conqueror de atrocitate facinoris, quod abſque ulla neceſſitate, abſque ullo ſuo commodo, abſque ratione, virum maximum, in ſumma dignitate olim conſtitutum, ſic *maledicus conviciator*, ut rurſum verba Auguſtini uſurpem, *non veridicus diſputator* iudicaverit, ut accuſatoris potius partes egerit quam iudicis, non attendens, liberum & immunem eſſe debere a culpa qui alium iudicat. Vtinam recte antea ponderaſſet haec verba magni Apoſtoli: *Propter quod inexcuſabilis es, o homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas. Eadem enim agis quae iudicas.* Si virtutes ſuas & animi dotes comparaſſet cum virtutibus, & dotibus illuſtriſſimi Archiepiſcopi, rurſum vitia (ut ſic dicam propter comparationem) illius in una librae lance poſuiſſet, ſua vero propria in altera, equidem puto, abſtenturum illum fuiſſe ab iniquo iudicio, quod protulit adverſus memoriam eius. Praeterea quum ſolus Deus ſit ſcrutator cordium, & ut Auguſtinus ait contra Creſconium, homo iudex interiorum cordis noſtri eſſe non poſſit, qua auctoritate ſibi hanc licentiam attribuit Gerbaſius, ut in ſecreta Marcae penetrare tentet ultra omnem humani ingenii vim ac facultatem? Eadem auctoritate ego Gerbaſium dicere poſſem eſſe hominem ingenii facilis, eloquentiae profeſſorem, ceterum contentionis cupidiorem quam veritatis, cui praeponat ubique commoda rationeſque ſuas, & ut illi ſua verba reddamus, auram gratioſam ſequi non invitum, adeoque mirum non eſſe, ſi delirare in meditationibus ſuis & declinare interdum videatur a recta via, quam ſequi ſemper oportet virum ſapientiſſimum. Si haec ego dicerem, exclamaret ille, ſatis ſcio: Cur de me ita iudicas? Iniquus es adverſum me. Noli me iudicare ſecundum faciem. Hanc temeritatem nobis interdixit Chriſtus Dominus & Magiſter noſter; qui quum malediceretur, non remaledicebat. Sed ſatis querelarum. Lubet enim imitari magnum illum Hipponenſium Epiſcopum Auguſtinum, qui conviciis & maledictis proſciſſus a Petiliano, noluit maledicta reponere, ſed ad eum ita ſcripſit in loco ſupra laudato: *Proinde ſi & ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo maledici eſſemus, ut ii qui nos legerent, alii deteſtatos abiicerent ſana gravitate, alii ſuaviter haurirent malevola voluntate?* Venio igitur ad rem ipſam.

XXX. Ait ergo vir clariſſimus, Marcam ſcripſiſſe librum ſeptimum

de

de concordia, in quo agitur de iudiciis canonicis Epiſcoporum, eo tempore, quo Epiſcopi Galliarum nonnulli probatae minus fidei erga Regem regnumque inſimulati ſunt, quos vero Cardinalis Richelius deſignaverat deiicere per Commiſſarios. Hoc enim vocabulo utitur, tametſi ſciat non eſſe Latinum, ut invidiam creet Richelio & Marcae, quia novit illud odioſum vulgo eſſe. Ut vero vaniſſimae, quod mox oſtenſurus ſum, fabulae aliquam auctoritatem addat, me teſtem producit. Duo itaque, & quidem maximi momenti, mihi incumbunt probanda. Primum, verum non eſſe quod ait Gerbaſius, hoc opus a Marca ſuſceptum eſſe eo tempore, quo Cardinalis Richelius, quem perſecutorem Epiſcoporum vocat, quoſdam Epiſcopos maieſtatis reos in iudicium vocare ſatagebat. Alterum, neque me huius rei teſtem Gerbaſio fuiſſe neque eſſe potuiſſe. Id vero ita clare ac perſpicue oſtendam, ut nemo non ſit faſſurus, in eas anguſtias redactum eſſe amicum illum noſtrum, e quibus ſe non facile educet, niſi in auxilium ſuum advocet miſeram quandam interpretationem aut diſtinctionem.

XXXI. Ad primum quod attinet, ſic in primis ſtatuendum eſt, laeſae maieſtatis accuſatos fuiſſe quoſdam Epiſcopos Gallicanos anno MDCXXXII. & die octava Octobris eiuſdem anni ad preces Ludovici XIII. Regis Chriſtianiſſimi datos fuiſſe iudices ab Urbano VIII. Archiepiſcopum Arelatenſem & Epiſcopos Bolonienſem, ſancti Flori, & Maclovienſem, eiſque diplomate regio dato die XVI. menſis Auguſti ſequentis anni factam poteſtatem exequendi mandatum illud apoſtolicum, Epiſcopos illos reos peractos cathedriſque ſuis privatos iudicio lato anno MDCXXXV. die ultima menſis Maii, alioſque in eorum locis ordinatos. Ita enim inter nos convenit. Haec ſi vera fuerit, ut certe ſunt, evidens eſt, Marcam non ſcripſiſſe librum de iudiciis canonicis Epiſcoporum quo tempore Cardinalis Richelius Epiſcopos illos inſequebatur, quod valde notandum eſt. Ceſſaverat enim iamdiu illa Richelii cura, altoque in ſilentio conſtituta erat Epiſcoporum reorum cauſa quum Marca opus illud aggreſſus eſt. Scriptus eſt enim liber ille ſeptimus anno MDCXL. toto ſexennio poſt finitam cauſam Epiſcoporum, adeoque non illo tempore, quo agebatur de eorum deiectione.

XXXII. Quoniam vero articulus iſte, qui eſt graviſſimi momenti in hac mea expoſtulatione, his argumentis probandus eſt, quibus contradici non poſſit, afferam auctoritatem ex praefatione mea ad primam editionem librorum de concordia procuratam anno MDCLXIII. quum ego nondum notus eſſem Gerbaſio, quum nondum ille conſilium ſcribendi librum ſuum cepiſſet, quum praevidere non poſſem, controverſiam aliquando futuram de tempore, quo librum illum Marca compoſuit. Illic ergo tum ſcripſi, librum ſeptimum de concordia fuiſſe compoſitum anno MDCXL. idque etiam repetii in ſecunda editione,

tione, quae anno MDCLXIX. prodiit. Et quamquam haec teſtimonia, licet mea, ſint extra controverſiam, utpote data tempore non ſuſpecto, addam tamen etiam aliud, reverendi ſcilicet viri Pauli Fageti, qui tum in domo Marcae habitabat & amanuenſis eius erat. Is ergo in eo libro, quem de vita illuſtriſſimi Archiepiſcopi ſcripſit, quem adire amicus ille noſter poteſt, teſtatur eum anno MDCXL. ei lucubrationi incubuiſſe. *Poſt tam ingens & luculentum opus editum*, inquit, (id eſt poſt editam hiſtoriam Benearnenſem, quae an. MDCXL. prodiit.) *diſſertationibus tribus, alteri ſcilicet de Legatis Latine, duabus vero de Conciliis provincialibus & nationalibus, & de iudiciis Epiſcoporum vulgari idiomate ſcribendis ſummi Adminiſtri Cardinalis Richelii iuſſu reliquum anni tempus impendit*. Tum paulo poſt rurſum confirmat, haec anno MDCXL. fuiſſe peracta. Certum igitur eſt, tractatum de iudiciis Epiſcoporum non fuiſſe ſcriptum ad opprimendos Epiſcopos, adeoque gravis calumniae reum eſſe Gerbaſium.

XXXIII. Alterum, quod mihi probandum incumbit, illud eſt, neque me Gerbaſio dixiſſe quae a me ſibi dicta eſſe ait, neque vero ea me illi dicere potuiſſe, eo praeſertim tempore, quo ille ait ita ſe a me accepiſſe. Nam primo ego nunquam ſcivi, hunc tractatum a Marca ſcriptum eſſe iuſſu Cardinalis Richelii. Quod non diſſimulaſſem, ſi quid iſtiuſmodi mihi notum fuiſſet, qui non tacui, tractatum illum datum fuiſſe manuſcriptum Richelio. At ſi non ſcivi, certe Gerbaſio non dixi, praeſertim, ut id repetam, eo tempore quo ille ait ita ſe a me accepiſſe. Habeo enim prae manibus epiſtolium ab eo ad me ſcriptum & ſubſcriptum die nona Ianuarii anni MDCLXXX. in quo contendit, nullam eſſe cauſam cur conqueri debeam, quod teſtimonium meum uſurpatum ab illo ſit in hac cauſa, praeſertim quum illud mihi invidioſum eſſe non debeat &, quantum ad me attinet, nihil odioſum habeat. Tum addit, in diverſa me ſententia ante hoc decennium ſibi viſum eſſe, & eo quidem tempore non ſolum non improbaſſe hoc illius conſilium de me teſte nominando, ſed etiam ſignificaſſe, mihi non diſpliciturum, ſi meo teſtimonio uteretur ad eam fabulam confirmandam.

XXXIV. Igitur illud Gerbaſius a me ſibi dictum eſſe contendit anno MDCLXIX. quum ante decennium id eveniſſe mihi perſuadere velit. At ego lectores oro obteſtorque, uti iudicent verumne eſſe poſſit quod ait vir clariſſimus, quum ſupra oſtenderim & ſexennio ante hoc decennium, & eo ipſo tempore, quo iſta dicta ſcribuntur, monuiſſe me, tractatum de iudiciis canonicis Epiſcoporum ſcriptum a Marca, fuiſſe anno MDCXL. quem tum Gerbaſius vult fuiſſe compoſitum, quum Cardinalis Richelius Epiſcopos maieſtatis reos perſequebatur. Praeterea, quomodo ego Gerbaſio dicere potui, Marcam ei tractatui incubuiſſe iuſſu Cardinalis Richelii, qui nunquam ita vel fando quidem audi-

Digitized by Google

audivi, niſi poſtquam Fagetus id protulit in publicum? Certe qui per totos ſex annos fui apud Marcam, & qui ſecretorum eius ac ſtudiorum pro praecipuo illius in me amore particeps fui, quem ſaepe loquentem audivi & de Cardinale Richelio & de tractatu illo, Deum teſtor opt. max. me nunquam ab illo audiiſſe impoſitum ſibi a Richelio fuiſſe onus ſcribendi hunc tractatum. Multo minus id dixi viro clariſſimo. Et tamen is adverſum me contendit, ſe non eſſe mentitum, & aegre fert, me illi hanc notam velle inurere. Ego certe optarem, ne me ad hanc neceſſitatem impuliſſet, & ne facinus illud ſuum tueri vellet. Finem autem imponet huic noſtrae concertationi Lactantius, vir omnium ſuo tempore eloquentiſſimus, cuius haec ſunt verba: *Quid dicam de iis neſcio, qui quum ſemel aberraverint, conſtanter in ſtultitia perſeverant, & vanis vana defendunt.*

Fragmentum tertium, in quo agitur de interpretatione canonis XVII. Ancyrani, heic quoque poſuimus, tum ne vel imperfectas illas meditationes doctiſſimi viri perire ſineremus, tum ut ea ratione pauliſper recrearemus lectores, qui in tomo primo Conciliorum editionis Labbei pag. 1474. haec lecturi ſunt: *In eam rem diſſertationem paraverat vir illuſtriſſimus ac ſcientiae canonicae conſultiſſimus inveſtigator Petrus de Marca Archiepiſcopus Toloſanus ad Pariſienſem cathedram a Rege nominatus & ab apoſtolica ſede probatus.*

Vale, lector, & his magni viri vigiliis utere cum ea reverentia, quam a te exigunt ſumma eius merita in Eccleſiam & in rem publicam literariam. Memineris nihil peius eſſe animo ingrato; in quo vitio nihil mali non ineſt, ut ait ille noſter Tullius.

INDEX OPVSCVLORVM

Quae in hoc quinto Volumine continentur.

I. De Stemmate Chriſti. pag. 1.
II. De Adventu Magorum ad Chriſtum, & an Reges fuerint. 20
III. Diatriba de Tempore Synodi Sirmienſis plenariae, & de Valentis & Vrſacii venia. 23
IV. Diſſertatio de patria Vigilantii. 35
V. Diſſertatio de Origine & progreſſu cultus Beatae Mariae Virgini in Monteſerrato exhibiti. 38
VI. Diſſertatio de Origine Monaſterii Scalae Dei apud Bigerros in dioeceſi Tarbienſi. 44
VII. Diſſertatio de Theca Reliquiarum Sancti Ioannis Baptiſtae, quae ſervatur in Eccleſia Dominicanorum Perpinianenſium. 47
VIII.

Digitized by Google

VIII. Fragmenta adverſus Satyras. 52
IX. De Advocatione Comitum. 58
X. Quis ſit proprius Sacerdos. 61
XI. De Presbyteris, ubi ordinandi ſint. 62
XII. Oratio habita Barcinone Die XV. Iulii anni MDCXLIV. ad provinciales & alios ſuperiores ordinum religioſorum illius urbis. ibid.
XIII. Itinerarium a Lutetia in Galliam Narbonenſem anno MDCLIV. menſe Novembri. 64
XIV. De vino Frontinacenſi in Septimania Apophoretum. 66
XV. De Euchariſtiae Sacramento Diſſertatio. ibid.
XVI. Theodoreti ſententia de Sacramento Euchariſtiae. 97
XVII. De Sacrificio Miſſae Diſſertatio. 106
XVIII. Traité du Sacrament de l'Euchariſtie compsé par Meſſire Pierre de Marca Archeveſque de Paris. 118
XIX. Examen du Traité de Paſchaſius. 129
XX. Examen du Traitè de Bertram. 132
XXI. Examen du Traité de Lanfranc 136
XXII. Examen du Traité de Guitmundus. 138
XXIII. Examen du Traitè de Algerus. 140
XXIV. Du Sacrement de Penitence du meſme Auteur. 144
XXV. Du Sacrament de Mariage par le meſme Auteur. 148
XXVI. Lettre de Monſieur Baluſe a Monſigneur l'Eveſque de Tulle, Touchant les Diſſertations, que Monſieur l'Abbé Faget a fait imprimer ſous le nom de feu Monſeigneur de Marca Archiveſque de Paris. Enſemble Deux lettres eſcrites ſur le meſme ſujet a Monſieur de Marca Preſident au Parlement de Pau. 156
XXVII. Premiere lettre écritte a Monſieur le Preſident Marca. 159
XXVIII. Seconde lettre écritte a Monſieur le Preſident Marca. 161
XXIX. Deux lettres écrites par Monſieur l'Abbé de Faget, l'une a Monſigneur l'Eveſque de Tulle, & l'autre a Monſieur de Marca Preſident au Parlement de Pau, ſervant de réponſe aux trois lettres imprimées de Monſieur Baluze adreſſées aux meſme perſonnes, & datées des 22. Avril 27. May & 7. Juillet 1668. 165
XXX. Iacobi Sirmondi Diatriba I. Sirmitana de anno Synodi Sirmienſis & Fidei formulis in ea editis. 172
XXXI. Dionyſii Petavii de Photino haeretico eiuſque damnatione diſſertatio. 183
XXXII. Iacobi Sirmondi Diatriba II. Sirmitana. 202
XXXIII. Appendix. 217
XXXIV. Dionyſii Petavii Elenchus Diatribae utriuſque de Photino, & Sirmienſi Synodo. 218

OPV-

O P V S C V L A
PETRI DE MARCA
ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS.

DISSERTATIO
De ſtemmate Chriſti.

VARIAE ab eruditis viris initae ſunt rationes conciliandi ſtemmatis a Matthaeo propoſiti cum eo quod Lucas inſtituit in deſcriptione originis Ioſephi , qui fuit vitricus D. N. Ieſu Chriſti . Inter quae duo tam ingens & apertum eſt diſcrimen ut invicem pugnare videantur ; quum Matthaeus Ioſepho patrem Iacobum aſcribat, & huius avos, ſerie non interrupta, ab Abrahamo ad Davidem, ab iſto ad Salomonem, & ſtirpem Iudaeae Regum integram uſque ad Salathielem eiuſque filium Zorobabelem ducem deducat : quam deinde ad poſteros Abiudis, qui fuit Zorobabelis primogenitus, protenſam in Matthan eiuſque filio, quem dixi, Iacobo ſiſtit. At vero Lucas ab ipſo generis humani capite Adamo exordiens , ad Abrahamum delabitur , & ab illo deinceps ad Davidem pergit: in quo paria facit cum Matthaeo. Sed poſtea, omiſſa penitus Salomonis eiuſque ſtirpis mentione, ad Nathanem Davidis alterum filium

Digitized by Google

filium deſcriptionem ſuam deflectit, & ulterius progrediens, Neri patrem Salathielis & avum Zorobabelis deſignat; ſtatimque deſerto Abiude Zorobabelis primogenito, Rezae alterius filii a Zorobabele prognati ſtemma continua nepotum ſerie ad Heli terminat, quem Ioſepho patrem tribuit. Ex hac Evangeliſtarum contraria in ſpeciem deſcriptione duos Ioſepho patres affingere neceſſe eſt, & alios avos atque proavos uſque ad Zorobabelem & Salathielem; in quorum avis eadem pugna reperitur, quos a Davide per Salomonem Matthaeus deducit, & Lucas per Nathanem.

II. Non morabor in recenſendis, quas antiqui patres excogitarunt componendi adeo gravem de duplici patre Ioſephi controverſiam, rationibus, quae a recentioribus pleriſque diſcuſſae & partim expunctae ſunt. Id unum obſervabo, neceſſariam fuiſſe utramque deſcriptionem, ut plenam & integram haberemus originis iſtius cognitionem, ex qua liquido pateret Iudaeis atque gentilibus Chriſtum, cuius in eo ſtemmate maiores recenſentur ab Abrahamo & Davide arceſſiti, eum eſſe Principem & Meſſiam quem ex illa duorum procerum ſtirpe proditurum oracula Sacra tam ſerio ſpoponderant. Neque enim eorum ſententiae aſſentior, qui Matthaeum ſic origines ſuas Hebraeis edidiſſe, Lucam vero gentilibus, ſibi perſuaſerunt, ut ſolis illorum rationibus conſuluiſſe voluerint, qui ſcriptioni cauſam dederant. Imo vero utrumque ſtemma ad Iudaeorum inſtitutionem aeque ac gentilium omnino pertinet: ſed unum mutuatur lucem ab altero; ita ut quae in Matthaeo minus eruditis in antiquitate Iudaica negotium faceſſere poterant, a Luca, qui poſterius ſcripſit, plane illuſtrentur.

III. Quare ius regnandi Abrahami & Davidis nepoti eximio promiſſum, quum ad Chriſtum pertinere Matthaeus docere vellet, Davidem ipſum eiuſque primogenitum Salomonem ceteroſque Reges Iudaeorum invicem ſibi ſanguinis iure ſuccedentes proponit uſque ad Iechoniam & eius fratres, ſub ipſa Babylonici exſilii tempora. Subiungit ſucceſſionem principatus Iudaici in Salathiele & Zorobabele; qui quidem procedebant ex ſtirpe Davidis, iureque regnandi haereditate ſibi delato, quantum per Aſſyrios licebat, utebantur. Hoc ius ut a Zorobabele tranſmiſſum fuit ad Abiudem primogenitum ſuum, ita Matthaeus huius Abiudis poſteros ad Iacobum proſequitur; a quo Ioſephus vir Mariae originem traxit, iuxta fidem Matthaei.

IV. Quae quidem licet in ſe vera ſint, & ius regnandi ad Ioſephum & Mariam, a Davide repetito initio, tranſlatum probent; attamen quia ſeries generationis naturalis in ea deſcriptione maiorum apud Matthaeum bis interrupta fuerat, nempe in perſona Salathielis, & demum Iacobi, quorum ille, fictione iuris, filius erat Iechoniae Regis, Iacobus vero, iuris quoque fictione, erat pater Ioſephi, neceſſe fuit ut Lucas ex his anguſtiis fideles eriperet, patremque natu-

ralem Salathielis, tum etiam Ioſephi ediſſereret, eademque opera ius regnandi a Davide deductum recte per eas perſonas, quas recenſuerat Matthaeus ad Ioſephum, Mariam, & Chriſtum tranſmitti nos admoneret.

V. Enimvero ſcriptores antiqui de ſolo Ioſephi patre ſolliciti, in conciliatione Matthaei cum Luca laborarunt, quod ad iſtam ſtemmatis partem attinebat. Neque enim Salathielis ducis patrem alium a Iechonia Rege fuiſſe illis ſuboluerat. Quare nec illud Lucae conſilium, quod propoſuimus, de illuſtranda & explicanda Matthaei deſcriptione integre conſequi poterunt. Id unum apud ſe conſtituiſſe Lucam voluerunt, ut doceret Nathanis ſtirpem in Ioſepho una cum Salomonis progenie coaluiſſe; quod ſignificabat Iulius Africanus in epiſtola ad Ariſtidem. In quo non erat tantum momentum ut Lucae diligentia requireretur in expandenda Nathanis poſteritate; quum iuxta veterum iſtorum ſententiam nihil ad ius regnandi ſtirps illa contulerit, quod per Salomonem Iacobo patri, ut ipſi volunt, naturali Ioſephi conferri ſcripſerat Matthaeus.

VI. Haec enim apud illos, auctore Africano, invaluerat opinio, quum Iacobus a Matthaeo, & Heli a Luca pater Ioſephi dicatur, illum naturalem fuiſſe, hunc vero legitimum, vi legis, & fictione iuris. Quod ex Deſpoſynorum traditione hoc modo explicat Africanus apud Euſebium. Matthan Salomonidarum ſtirpis ſolus heres uxorem Eſtham cum duxiſſet, ex ea ſuſtulit filium Iacobum. Matthane mortuo, Eſtha vidua nupſit Melchi ex Nathanis ſtemmate; ex quo ſuſcepit filium Heli; in quo uno Nathanidarum iura collecta ſunt. Heli vero, ducta uxore, quum ſine liberis deceſſiſſet, Iacobus eius frater uterinus, legis imperio adactus, viduam coniugem ſibi aſcivit; ex qua Ioſephum ſuſtulit, naturalem filium ſuum, ut Matthaeus ſcripſit, ſed vi legis Heli imputandum, auctore Luca.

VII. Attamen hac in parte hallucinatum fuiſſe Africanum viri aliquot eruditione clari ante nos obſervarunt; & Ioſepho aſſignatum a Luca patrem, naturalem fuiſſe, adoptivum vero & vi legis inductum, quem Matthaeus tradit. Quippe res ipſa docet, Matthaeo curae fuiſſe iura regiae ſucceſſionis in perſonis a ſe deſcriptis contexere, exordio ducto ab Abrahamo, cui promiſſiones primum factae ſunt, Lucam vero, qui ab Adamo auſpicatur, ſecutum naturalis generationis ordinem. Quod aperte patet in Salathiele, quem a Iechonia genitum Matthaeus docuerat. Sed quia hoc ad principatus ſucceſſionem hereditariam, non autem ad naturae ſeriem pertinebat, ſuppetias obſcuro alioqui loco tulit Lucas, & contexta Nathanis nepotum ſerie, ad Neri progreſſus eſt verum Salathielis patrem. Idem inſtitutum ſecutus eſt in Ioſephi patre naturali demonſtrando. Legitimum enim & ultimum Salomonidarum heredem Iacobum Matthaeus dederat patrem Io-

Digitized by Google

Ioſepho. Sed quia haec pars ſtemmatis egebat explicatione, Lucas ſimilem priori operam navavit; & naturali Ioſephi patre quaeſito, Heli eſſe docuit.

VIII. Quoniam vero vis & veluti arx iſtius probationis, qua contendimus, Lucae ſtudium in eo poſitum, ut veros & naturales patres aſſignaret, conſtituta eſt in patre Salathielis demonſtrando, adnotandum eſt, Ieremiam cap. XXII. Iechoniae Regi & deportationem in Babylonium ſolum & orbitatem praedixiſſe, adeo ut nullus ex eius ſtirpe Davidis ſolium inſeſſurus vel poteſtatem in Iuda nacturus eſſet. Quare ne caſſa ſit oraculi ſacri comminatio, nullo pacto Salathielus filius Iechoniae aſcribi debet; etſi Matthaeus referat Iechoniam genuiſſe Salathielem. Gignendi quippe verbum, more loquendi Hebraeis familiari, non ſolum generationis naturalis ordinem ſignificat, ſed etiam ſeriem ſucceſſionis, ut docuerunt eruditi viri. Quod dicendi genus, ut in perſonis privatis mihi videtur durum, ita in regiae dignitatis ſucceſſione ſua elegantia non caret. Inde illud pſalmi de Davide in regnum evecto: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hinc apud profanos auctores dies adepti imperii natalis dicitur. Reſtat ergo ut ius regni hereditarium a Iechonia in Salathielem devolutum ſignificare voluerit Matthaeus. Capacem autem huius recipiendi iuris Salathielem docuit Lucas, utpote qui tunc temporis reperiretur caput ſtirpis Nathanidarum; in quem, extincta Salomonis ſtirpe, iura regni Iudaici & ſpes promiſſionum confluebant. Quod ut facilius Lucas evincat, ſubiicit oculis Nathanis poſteros, privatos homines, utpote qui Salomonidarum ſtirpe regnante vixiſſent, continuata ſerie uſque ad Neri patrem Salathielis; ad quem, fideicommiſſo a lege inducto, regia hereditas Davidicae familiae translata eſt, & deinde ad filium eius Zorobabelem Iudaici populi ducem & αἰχμαλωταρχην.

IX. Pari uſus eſt diligentia Lucas in aſſignando naturali patre Ioſephi, ut conſtans eſſet in ſuo inſtituto, illuſtraretque Matthaeum, qui ius regiae ſucceſſionis per Zorobabelis poſteros ex primogenito Abiude prognatos proſecutus fuerat. Sed eorum ultimo Iacobo ſine liberis obeunte, expandenda erat ſeries nepotum Rezae, qui fuit ſecundogenitus Zorobabelis; ut conſtaret agnationis iure hereditatem in ultimum ſtirpis illius Heli devolutam fuiſſe, quod Lucas egregie praeſtitit.

X. Neque nos ab hac ſententia movere debet Africani auctoritas, quum futili imo vero etiam inepto nitatur fundamento. Ait ille a Matthaeo tradi Iacobum genuiſſe Ioſephum, a Luca vero Ioſephum exiſtimatum fuiſſe patrem Chriſti, Ioſephum autem filium fuiſſe Heli. Sed verbum illud fictionis ad ſolum Ioſephum pertinet, ratione Chriſti, cuius exiſtimabatur eſſe pater, non autem ratione ceterorum, qui in eadem ſerie ad Adamum uſque deſcribuntur. Gignendi autem verbum,

Digitized by Google

bum, apud Matthaeum, vel ad ius ſucceſſionis a Iacobo ad Ioſephum deductae pertinet, ut dicebamus ſuperius, quamvis in privatis hominibus haec locutio durior videatur, vel potiùs filium legitimum, id eſt, vi legis adſcriptum, deſignat.

XI. Poſſet aliquam moleſtiam faceſſere Deſpoſynorum traditio apud Africanum, qui videntur naturalem patrem Iacobum agnoſcere, Heli autem legitimum. Sed auſim aſſerere detortam ab Africano in alium ſenſum hac in parte antiquam narrationem, vel eius rei famam temporis lapſu adulteratam; praeſertim quum Ambroſius lib. III. in Lucam, ſe alium antiquiorem ſecutus auctorem, Heli naturalem patrem fuiſſe ſcripſerit, Iacobum autem legitimum.

XII. Ceterum qua ratione acciderit ut alter natura, fictione iuris alter, Ioſephi pater fuerit, egregie nos docent iidem Deſpoſyni apud Africanum; quorum auctoritatem elevare conati ſunt quidam e recentioribus, quorum apud eruditos fama eſt illuſtrior. Illi vero robuſto in ſpeciem argumento ſibi viſi ſunt hanc fabulam evertiſſe. Quippe quum habeamus ex Africano, Iacobum & Heli patres fuiſſe uterinos ex communi matre Eſtha, Heli autem improlem obiiſſe, Iacobum vero eius duxiſſe viduam legis imperio adactum, ut demortuo fratri prolem ſuſcitaret, reponunt illi prudenter & acute legem *Deutoro.* XXV. de ſolis fratribus conſanguineis conſtituiſſe ad conſervanda familiarum iura, quae ex ſola agnatione cenſentur. Fratres autem uterini non ſunt inter agnatos, neque, ut diſerte ſcribit Moſes Maimonides, *in cauſa ducendae patriae aut hereditatis cernendae* pro fratribus habentur.

XIII. Attamen grave mihi ſemper viſum fuit ab ea traditione diſcedere, qua fulti veteres patres gentilium calumnias ob pugnas Matthaei & Lucae in aſſignando duplici patre Ioſephi diluerunt. Nolo in univerſum reluctari priori definitioni, quae fratres uterinos ab hereditate fratris & a nuptiis fratriae viduae removet. Sed aio eius regulae exceptionem dari in ſpecie propoſita; adeo ut, niſi daretur huic exceptioni locus, lex Deuteronomii corrueret. Quare, hoc caſu, exceptio eſt potius ipſa legis executio. Fingamus, ut accidit, abſque liberis obiiſſe Iacobum ultimum ex nepotibus Zorobabelis per Abiudem genus ducentibus. Statim ius hereditatis regiae devolutum eſt ad Heli; non quatenus erat Iacobi frater uterinus ex matre Eſtha, ſed quia ſolus erat heres ex poſteris Zorobabelis per Rezam ſecundo-genitum. Quare quum Iacobi hereditas ipſo iure tranſlata ſit in Heli fratrem, licet uterinum, & verbis & mente legis obſtrictus fuit iſte ad ducendam Iacobi viduam: cuius matrimonii onus una cum hereditatis honore coniunctum fuit, ſi fraternum vinculum intercederet non diſtinguente lege an ſint uterini vel conſanguinei, dummodo cum iſthoc onere ſit coniuncta hereditas.

XIV. Huius autem connubii legis imperio initi is erat effectus, ut pro-

Digitized by Google

proles edita iure ipſo tribueretur fratri defunđo; adeo ut filius & heres illius cenſeretur. Quod ſignificant haec verba Deutero. xxv. *Suſcipiet eam* (id eſt, viduam) *frater eius & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.* Etenim non eſt horum legis verborum ſententia, ut quidam putant, inter quos Auguſtinus, imponendum filio patris nomen, ſed filium defuncti nomini aſcribendum, dicendumque illius patris filium & heredem. Quam explicationem confirmat Booſus cap. IV. libri Ruth, qui fratris ſui Mahalon abſque liberis fato functi viduam Rutham quum duxiſſet, ait coram concione: *Teſtes vos eſtis hodie quod Ruth Moabitidem, uxorem Mahalum, in coniugem ſumpſerim, ut ſuſcitarem nomen defuncti in hereditate ſua, ne vocabulum eius de familia & fratribus & populo deleatur.* Nomen ergo defuncti ſervabatur, dato illi herede & filio, qui in tabulis cenſualibus filius illi adſcribebatur. Ceterum naturalis quoque patris ratio habita eſt, ut illius etiam filius diceretur, ſicque duorum patrum in ſolidum natus eſſet, potiore ni fallor, patris naturalis nomenclatura, quae fictioni iuris antecellebat. Quod unice docet eiuſdem Booſi exemplum, cuius filius e Rutha fratris Mahalon vidua, non iſtius appellationem obtinuit. Obedus quippe dictus eſt. Neque etiam a Matthaeo in ſtemmate dictus eſt filius Mahalon, ſed Booſi. Vnde colligemus, Ioſephum recte dici Iacobi filium vi legis & fictione iuris, ſed iure ſanguinis & naturae Heli filium indigetandum, atque adeo utrique parenti adſignandum.

XV. Antequam ad ſecundum diſputationis articulum accedam, monendi ſumus, ex Africani ſententia, Melchi tribuendum eſſe patrem filio Heli, & avum Ioſepho, apud Lucam; ita ut, hac admiſſa ſententia, duo ex vulgatis editionibus tam Graecis quam Latinis expungenda ſint nomina in ſtemmate Lucae, nempe Matthath. & Levi, totidemque generationes. Sane non dubito quin varia fuerit olim lectio apud codices Lucae, his duo illa nomina omittentibus, unde occaſio ſcribendi Africano, Melchi eſſe patrem Heli, & Irenaeo, ſeptuaginta duas generationes tantum apud Lucam agnoſcendi, quae ſunt hodie ſeptuaginta quinque, aliis vero exemplaribus duos illos avos Ioſephi deſcribentibus ab ipſa Gregorii Nazianzeni aetate, qui Matthath. & Levi inter Melchi abavum & Heli abnepotem interſerit. Quae ultima lectio quum & ipſa vetuſtate iuvetur & Latina veteri editione, non eſt quod viri eruditi in ea ſollicitanda, quae per tot ſaecula obtinuit, ſibi laborandum putent; ut recte monuit R. P. Roſſinus adverſus Hugonem Grotium & Ioannem Cordeſium.

XVI. Secunda huius illuſtris controverſiae diſceptatio verſatur in detegendo Mariae ſtemmate, a qua Chriſtus ex Davide per carnem ortus eſt, ut monuit Paulus Apoſtolus. Sane neque Matthaeus neque Lucas munere ſuo functi eſſent, ſi Chriſti originem & generis ſucceſ-

ſio-

Digitized by Google

ſioniſque ſeriem alter ab Abrahamo & Davide, alter ab Adamo exorſi, in ſolius Ioſephi pandendis maioribus haeſiſſent, incurioſius obliti Mariae generis; a qua ſola, non autem a Ioſepho, ſuum genus traxiſſe Chriſtum utrique profitentur. Sciebant a ſe hoc officium Chriſtianis praeſtari debere. Quare in ipſo evangelii ſui exordio Matthaeus pollicetur ſe Chriſti originem deſcripturum. Non eſt detrahenda fides auctori tam idoneo, nec dubitandum quin promiſſa impleverit.

XVII. Id ſolum inquirendum reſtat, quem modum conſilii ſui exequendi tenuerit, in quo veterum & recentiorum ingenia deſudarunt. Qua de re nihil video, quod certius & ſincerius afferri poſſit, quam id quod plerique veterum adnotarunt, ſcilicet apud Matthaeum eoſdem eſſe maiores Ioſephi & Mariae; adeo ut ſtemma unius pertineat ad alterum, & per utroſque ad Chriſtum, quamvis diverſo gradu. Duo ſunt capita in hac definitione. Primum eſt apertum ex verbis Matthaei, ſcilicet originem Ioſephi eandem eſſe cum origine Chriſti, hanc vero per Mariam derivari in Chriſtum, ac proinde ipſius Mariae avos eoſdem eſſe cum parentibus Ioſephi.

XVIII. Alterum caput reticetur a Matthaeo, nempe quo gradu diſtarent a communi ſtipite Ioſephus & Maria, quia res erat illa tempeſtate omnibus Iudaeam incolentibus notiſſima. Attamen ex Epiphanii, Chriſoſtomi, & Ambroſii teſtimoniis confici poteſt proximiori agnationis gradu invicem coniunctos fuiſſe. Etenim afferunt illi, ex veteri nempe traditione, ſe coniugio ſociaſſe Ioſephum & Mariam ut parerent legi, quae puellae Iſraëlitidis nuptias cum hereditate paterna, quae illi contigerat, proximo agnato deferebat, ne bona extra familiam tranſirent. Quod definitum fuit a Moſe, *Numeror c. ultimo*, in ſpecie illi propoſita; ubi enuptio extra tribum vetita, de ſtirpe & familia debet intelligi, ut recte a veteribus ediſſertum eſt, tribus nomen ad familias ſignificandas reſtringendo. Ut autem hoc loco familia deſignata intelligatur, exigit ratio legi addita, ne bona avita perpetuo iure ad exteros deveniant. Hinc eſt quod *cap.* III. *Tobiae* Sara conqueritur quod pater ipſius filios heredes non haberet, neque vero eſſet frater ei cuius filio ſe uxorem ex lege ſervaret, Iudithae quoque maritum eiuſdem fuiſſe cum ea non ſolum tribus, ſed etiam ſtirpis, & familiae πατριᾶς αὐτῆς, inquit hiſtoriae illius ſcriptor, quam vocem, *patriae*, Ambroſius in noſtrae legis explicatione retinuit. *In Ioſeph origine*, inquit, *eſt etiam origo Mariae. Nam, quum vir iuſtus ſit Ioſeph, utique & ex tribu ſua & ex patria ſua accepit uxorem, nec potuit iuſtus facere contra id quod lege praeſcriptum eſt. Sic enim habet. Quia unuſquiſque in hereditate tribus ſuae patriae adhaerebunt filii Iſrael, nec de tribu ad tribum tranſibunt; & omnis filia quae habet hereditatem tribuum filiorum Iſrael, uni ex populo & tribu patris ſui erit uxor.* Legibus Atticis, quarum pleraeque ex legibus Moſis

Digitized by Google

ſis deſumptae ſunt, idem invenitur conſtitutum. Vocabatur autem puella talis, ſive ſola ex aſſe heres eſſet patri, ſive ſorores, non etiam fratres haberet, vulgo ἐπίκληρος, ab ipſo Solone περικληρῖτις. Ad quem eius nuptiae lege pertinebant, agnatus proximus is dicebatur, ἐπιδικαζόμενος, ut erudite probat teſtimoniis Diodori Siculi, Demoſthenis, Iſaei, Ariſtophanis, Pollucis, & Terentii Grotius, & nuperus legum Atticarum collector.

XIX. Ceterum ius iſtud non pertinuit ad omnes puellas, ſed ad eas quae rerum ſoli hereditatem adirent. Quippe aliis liberum fuit extra tribum ſuam nuptias contrahere. Vnde in libro Iudicum c. XXI. tribus ceterae, quo minus filias ſuas nuptum darent Beniaminitis, oſtendunt ſe non lege divina, ſed iuriſiurandi religione prohiberi. Et David ex tribu Iuda Micholem duxit uxorem, quae fuit ex tribu Beniaminis, nunquam eo nomine reprehenſus. Adiici debet ex Ioſepho, potuiſſe quas vis virgines cuivis Hebraeo nubere, ſi hereditatem ſibi delatam repudiarent. Ex ſuperiori obſervatione colligitur, non ſolum eiuſdem ſtirpis & familiae paternae fuiſſe Ioſephum & Mariam, ſed etiam proxima agnatione invicem coniunctos fuiſſe, quum ille iſtam ducere teneretur uxorem ex lege.

XX. Quonam autem gradu agnationis ſe invicem contingerent, indicare conatus eſt Ioa. Baptiſta Poza Cantaber, Soc. Ieſu Theologus, *Lib.* II. *Elucidarii Deiparae Tractatu* XIII. *c.* I. his verbis: *Deipara & Ioſephus, fratrum duorum filii, eiſdemque paternis avis gaudebant, aut ſaltem proavis, quod arbitror eſſe neceſſarium ad mentem Evangeliſtae.* Sed agnationis gradum illum ſocietatis eiuſdem alter Theologus eruditione clariſſimus Poſſinus in Diallactico ſuo Theogenealogico demonſtravit, & reliquas quae in hoc ſtemmate occurrunt difficultates diligentiſſime diſcuſſit. Secutus itaque alterius ex eadem ſocietate eruditiſſimi viri Beſſoni ſententiam liquidis argumentis comprobavit, Heli communem patrem fuiſſe Ioachimi & Ioſephi; quorum ille pater, hic vir fuerit Mariae. Etenim, ut ſuperius monui, quum Evangeliſtae Chriſti genealogiam deſcribendam ſibi propoſuerint, illud quod agebant egiſſe ferio pius quiſque in animum inducet. Porro non deſcribent maiores Chriſti, niſi prius maiorum Mariae feriem ediderint. Eos vero alios a maioribus Ioſephi fuiſſe non ſignificant. Ergo communes cenſendi ſunt ambobus. Vnde ſequitur, quemadmodum ex Heli Ioſephus prognatus eſt, ex eodem ſtipite Mariam quoque proficiſci. Quum autem Ioſephus Mariam duxerit & ius faſque naturale vetet, fratrem cum ſorore ſua iungi connubio, neceſſe eſt ut inferiori gradu Maria poſita fuerit, neptiſque illi fuerit ex Ioachimo fratre. Quod ſatis ſignificat Matthaeus, qui Ioſephum ſuperiori quam ſit Maria gradu conſtituit.

XXI. Addamus huic argumento robur aliquod, petitum ex compa-

paratione utriuſque ſtemmatis apud Matthaeum & Lucam. Poſita enim priore illa certiſſima definitione, ab utroque Evangeliſta Chriſti maiores deſcribi, alia ratione conciliari non poteſt varia eorum deſcriptio, quam ſi dicamus Heli patrem Ioſephi apud Lucam, & Iacobum apud Matthaeum, inter Mariae & Chriſti maiores numerari. Etenim ſi ex avo vel proavo Heli procedat linea Mariae, vel e contrario ex avo Iacobi, alia erit generis ſeries quae ducit ad Heli vel Iacobum, & ab iis ad Ioſephum. Linea autem illa Mariae nulla ratione pertinebit ad deſcriptionem maiorum Chriſti relatam a Matthaeo vel Luca. Scio recte excipi poſſe, utramque Evangeliſtarum deſcriptionem conciliari admiſſa duplicis patris legalis & naturalis obſervatione in perſonis Heli & Iacobi. Sed quum iſthaec conciliatio cadat in ſolos Ioſephi patres: vel illi numerandi erunt inter maiores Mariae & Chriſti; vel alterius Evangeliſtae narratio nihil conferet ad genealogiam Chriſti, quod abſurdiſſimum eſſe antea diximus.

XXII. Nihil eſt quod huic ſententiae obiici poſſit praeter ius naturae; cui videtur iniuria fieri ſi admittantur nuptiae inter Ioſephum patruum & Mariam fratris Ioachimi filiam. Attamen eiuſmodi coniugium nec lege Iudaeis vetitum, & moribus receptum erat; ut erudite docuit Poſſinus. Sic Abraham Saram, fratris ſui Arani filiam, uxorem duxit, ut docuerunt Ioſephus & Hieronymus. Othoniel Axam duxit fratris filiam *Iudic. c.* I. Et apud Tobiam c. III. Sara unigenita patri ſuo ſe obſtrictam fatetur ex lege ad nubendum nepoti ex fratre nato, ſi quis extaret. Mardochaeus, illo exemplo, filiam fratris ſui Ediſſam, Eſtherem deinde dictam, ſibi adoptavit in filiam, ut reddit Latinus interpres, vel ut ſeptuaginta explicuerunt, *deſpondit eam ſibi in uxorem*. Eſtheris c. II. Alio iure uſi ſunt Iudaei in connubiis amitae vel materterae cum filio fratris, quae vetita ſunt *Levit. c.* XXV. quia quum uxor ſub manu ſit & poteſtate viri, alienum videtur a iure naturae ut amita, quae vicem matris implere debet erga filium fratris, iſthac auctoritate deiecta illi ſubiiciatur. Porro etſi Romanorum Principum legibus nuptiae patrui cum nepte ſunt vetitae, ab aliis gentibus abſque crimine olim frequentatae ſunt, ut apud Tyrios Iudaeis vicinos ex Iuſtino lib. XVIII. apud Macedones ex Diodoro, Lacedaemonios ex Herodoto, & Siculos ex Plurarcho. Quare non ſolum adverſus legis praeſcriptum non peccavit Maria, patruum Ioſephum ducendo, ſed contra legem peccaſſet, niſi eum ſibi ſociaſſet connubio.

XXIII. Diſcutienda nobis reſtat Graecorum mediae aetatis narratio a Ioanne Damaſceno tradita, Mariae patri Ioachimo patrem fuiſſe Pantherem, huic Barpantherem, Barpantheri vero patrem fuiſſe Levin, filium Melchi. Quae fama vitio remporis adulterata, vero tamen commiſta eſt. Pantheris agnomentum quin familiae Ioſephi

inhaeſerit, dubitare non ſinit Celſi apud Originem adnotatio; qui ait Mariam concepiſſe a quodam nomine Panthera, ἀπο τινος Πανθηρα τουνομα, quod paganus ille a Iudaeis acceperat, in quorum veteribus monumentis Chriſtus filius Panther dicitur. Itaque Panther eſt gentilitium cognomentum, non autem viri proprium. Quod etiam patet ex Epiphanio, qui Iacobum patrem Ioſephi, apud Matthaeum, cognomine Pantherem dictum fuiſſe docet. *Ioſephus*, inquit, *filius fuit* του Ιακωβ, ἐπικλην δε Πανθηρ καλουμενου. Quare manifeſta eſt Graecorum apud Damaſcenum hallucinatio, quod familiae cognomentum pro nominibus propriis avorum Mariae uſurparint.

XXIV. Sed gravius peccarunt in eo quod adverſus vetuſtam traditionem Pantheris cognomen ex linea Melchi a Luca recenſiti deducant, quum ex Epiphanii longe antiquioris teſtimonio conſtet cognomen illud in familia Iacob coaluiſſe. Ex hac in domum Heli una cum hereditate agnationis iure translatum fuiſſe dicendum eſt: quod ab Heli aſſumptum, in Ioſephum quoque devolutum eſt. Quare Ioachimi pater uterque Panther dictus eſt, ſeu Iacob, qui legitimus; ſeu Heli, qui naturalis; aſſumpta gentilitia appellatione Iacobi. Ipſius vero pater Matthan, accepto, ſi placet, etiam a progenitoribus cognomine Pantheris, ſive Barpantheris, uſus fuiſſe credi poteſt. Coeperant quippe apud Iudaeos, iam a Macchabaicis temporibus, cognomina quaedam gentilitia, a caſu vel alicuius rei memorabilis eventu deducta, in familiis uſurpari.

XXV. Occurrunt praeterea quaeſtiones aliquot non contemnendae tum in ſtemmate a Luca propoſito, tum in eo quod exhibet Matthaeus: quae copioſa diſſertatione indigerent, niſi Patris Poſſini opera factum eſſet ut in iis nobis non ſit valde laborandum. Tres tantum attingam; quarum prima inquirit quodnam fuerit conſilium Matthaei in dirigendo ſtemmate in tres teſſaradecadas. Non videtur mihi numerorum ſubtiles & ſcrupuloſas rationes conſectatus, ut placuit eruditis quibuſdam, qui myſteria in hoc quatuordenario numero hariolantur. Id unum ſibi propoſuit, ut memoriae iuvandae cauſſa ſtemma in tria tempora digereret, quae egregiis epochis diſtinxit, ante regnum, regni florentis, & regni deſinentis; rurſumque ternis his oridinibus perſonas pari numero adſcripſit. Enimvero quoniam in prima ſerie Abrahami ad Davidem quatuordecim perſonae revera tantum comprehenſae erant, eundem numerum in reliquis duabus claſſibus ſervavit. Ideoque in eo, quod eſt a Davide ad Iechoniam, intervallo tres Reges omiſit, Ochoſiam, Ioaſum, & Amaſiam, ne quatuordenarium numerum ſuperaret. Nec putavit hiſtoriae fidem violari, perſonas quaſdam minus nobiles arbitrio ſuo tranſiliendo; quia rem in ſummam conferebat. Cuius praeteritionis exempla habemus *lib.* I. *Paralip.* IV. & apud Solinum in Macedoniae Regibus. Ceterum recti ſermonis

Digitized by Google

nis ratio ſalva erit, etſi Rex Ioram, omiſſis intermediis, genuiſſe dicatur Oziam: quia genuiſſe non tantum pater filium, ſed & avus nepotem, & pronepotem proavus, abſque ullo vitio dicitur.

XXVI. Porro cur tres iſtos Reges ſilentio prae ceteris damnaverit Matthaeus, cauſſa eſt in promptu, recte a veteribus adnotata; quia peccatis ſuis exigentibus hanc infamiam commeruerunt. Quippe Ochoſias *ambulavit in vis domus Achab*, ut loquitur ſcriptura IV. *Reg. c.* VIII. Ioas vero Zachariam Pontificem Ioiadae filium lapidavit in atrio templi, II. *Paralip. c.* XXIV. Amaſias deos Idumaeorum coluit, eiuſdem libri c. XXV. Excipiet aliquis reperiri tres alios Iudaeae Reges ſceleribus inſigniores, qui mulctandi potius oblivione fuerant a Matthaeo: Achas ſcilicet, qui templum polluit omni genere idololatriae, & filium ſuum ſacrilego parricidio concremavit; Manaſſes, qui in ſcripturis Amorrhaeos ipſos impietate ſuperaſſe dicitur; quam filius eius Amon in maius auxit; ut habemus ex diſerto teſtimonio auctoris Paralipomenon.

XXVII. Huic difficultati facile ſatisfiet, ſi dicamus expunctionem iſtam numero trium Regum adſtrictam fuiſſe, ut ſervaretur quatuordenarii ratio, in eligendis autem tribus ex ſex illis ſceleratis merum fuiſſe arbitrium Matthaei: qui in priores illos tres, qui propius abſunt a Davide, quum in recenſenda Regum ſtirpe prius incidiſſet, illique ſeriatim ſe conſequantur, non habuit cur ſe curioſius implicaret expendendis ceterorum ſceleribus, etſi dici poſſit cauſſam aliquam fortaſſe habuiſſe, licet ſuo inſtituto non neceſſariam, cur trium ultimorum nomini parceret, Achaſo quidem ob Ezechiae filii & heredis pietatem eximiam, Manaſſi ob reſipiſcentiam, Amoni ob Ioſiae filii celebratum in religione vindicanda ſtudium. Quae Matthaei explicandi ratio a nobis propoſita facilior & planior eſt quam eruditiſſimi viri nobilis coniectura, qui putat tres illos Reges a Matthaeo praetermiſſos quod ob ſcelera ſua iudicio ſacerdotum expuncti eſſent e tabulis cenſualibus, quae in archivis templi ſumma cura a Pontificibus ſervabantur; ubi, teſte Ioſepho, praeter rerum geſtarum memoriam, origines quoque familiarum regiae & ſacerdotalis deſcriptae erant. Sed an Pontificibus & ſynedrio tanta fuerit in Reges etiam fato functos poteſtas ut eorum memoriam damnarent, nomenque e Faſtis eraderent, ut olim factum legimus a ſenatu Romano, prudenter dubitari poteſt, & illud quoque, ſi licuerit illud ſynedrio, an unquam uſurpaverit.

XXVIII. Secunda, quae ſequitur ex prima, eſt quaeſtio illa nobilis de numeri quatuordenarii apud Matthaeum ſupputatione, quomodo ſit ineunda ut auctori ſua ratio conſtet docenti, ſingulas claſſes conſtare generationibus ſive perſonis quatuordecim. Difficultas verſatur in perſona Iechoniae Regis, qui dicitur a Matthaeo filius Ioſiae in traſ-

tranſmigratione Babylonis, & genuiſſe Salathielem poſt tranſmigrationem. Non conſtabit autem numero ſumma, niſi praeter Iechoniam pater illius Ioakimus inferatur, & Iechonias det exordium tertiae teſſaradecadi.

Antequam nodum iſtum ſolvamus, pauca & certa ex ſcriptura praemittenda ſunt de filiis Ioſiae & de Babilonicae deportationis tempore. Interfecto Ioſiae Regi in praelio Mageddonenſi ab Aegyptiis ſuffectus eſt filius Ioachaz, dictus quoque Sellum: qui paullo poſt exutus regno, obiit captivus in Aegypto. Victor Pharao fratri ſucceſſorem dedit alterum Ioſiae filium, qui Eliakim & Ioakim nuncupatus eſt. Hic regnum per annos undecim varia fortuna tenuit. Ab Aegyptiorum ſervitute diſcedens, Nabuchodonoſori Regi Chaldaeorum quum ſeſe addixiſſet, fidem iam datam violare tentans, Syrorum & vicinarum gentium, quae ſociae Chaldaeis erant, incurſionibus vexatus, inter tot diſcrimina fato functus eſt. Regni atque defectionis heredem reliquit filium Ioachinum, Iechoniam dictum a Ieremia, natum annos octodecim, qui contumaciae paternae poenas luit, tribus in principatu menſibus exactis, deportatus Babylonem cum omni familia poſt Hieroſolymitanae urbis deditionem praeſenti Nabuchodonoſori factam. Iechoniae loco, regni ſpeciem potius quam vim a Chaldaeis obtinuit Sedecias, Ioſiae filius, & patruus Iechoniae, qui poſt annos undecim, oculis effoſſis, abductus eſt Babylonem.

Itaque ſub extrema tempora regni Ioakimi & exordia Iechoniae initium huiuſcè transmigrationis fuit: quae poſt annos undecim, incenſo templo, urbeque exciſa, totius populi una cum Sedecia Rege in Chaldaeam deportatione, nomen tranſmigrationis depoſuit, appellatione captivitatis Babylonicae aſſumta. Quare Matthaeus recte tempora inceptae tranſmigrationis ad Iechoniam retulit, & Salathielis ducatum ad id tempus quod eam conſecutum eſt, ante ſolutionem captivitatis quam Cyri beneficio Iudaei tandem obtinuerunt.

XXIX. Recentiores omnes in unam conſpirant ſententiam, mendoſum eſſe codicem Matthaei, & Ioakimum patrem Iechoniae omiſſum in ſecunda claſſe. Hanc labem obſervaſſe Epiphanium haer. VIII. & Hieronymum initio commentariorum in Danielem, atque Euthymium ad Matthaeum c. I. Duplici argumento mutilum eſſe locum demonſtrant. Primo, quia Iechonias fuit nepos Ioſiae, non autem eius filius. Vnde colligitur, veram lectionem ita conſtitui debere, ut dicatur Ioſias genuiſſe Ioakim, hunc autem genuiſſe Iechoniam. Secundo, quia niſi conſtituatur altera perſona praeter Iechoniam, qui limes fuit ſecundae teſſaradecadis, tertia intra numerum tredecim capitum ſubſidet.

XXX. Ego vero tria quaedam affero, nec locum Matthaei mendoſum eſſe in ſecunda claſſe, neque a veteribus ullis, non excepto Epipha-

phanio, lectionem hodiernam fuiſſe damnatam, licet recentiores omnes id ſibi omnino perſuaſerint, & ex ea quatuordenarium numerum tertiae claſſis recte colligi ex Hieronymi & Ambroſii ſententia. In prima huius aſſertionis parte mihi convenit cum erudito viro Poſſino, qui pluribus contendit & probat Matthaei editiones omnium linguarum atque manuſcriptos codices vetuſtiſſimos, (non exceptis, ut a viris fide dignis accepi, duobus illis venerandae antiquitatis codicibus Graecis qui ſervantur in Anglia) lectionem vulgatam praeferre. Quod enim vir omni laude ſuperior Dionyſius Petavius refert *lib.* IX. *de Doctr. Temp. c.* XVIII. in vetuſtis membranis bibliothecae regiae adnotatum ad marginem reperiri Ioſiam genuiſſe Ioachim, & iſtum genuiſſe Iechoniam, gloſſema fuit eruditi cuiuſdam viri, non autem varia lectio textus; ut recte monuit Poſſinus. Quod autem obſervavit Ioa. Faber Stapulenſis in codice antiquiſſimo Graeco Ioachim pro Iechonia legi in ſecunda claſſe, quum ea lectio repugnet Epiphanii teſtimonio, qui ſua aetate Iechoniae nomen, non autem Ioakimi, in evangelio lectum teſtatur, nec conqueritur de ulla interpretatione inibi facta, lectio Stapulenſis ſine dubio ſapit gloſſema eruditi lectoris.

XXXI. Non ſufficit autem lectionis veritatem confirmaſſe, niſi eius quoque ſententiam ſtatim ſubiunxero. Quod eo lubentius aggrediar quoniam ex eius explicatione patebit mens genuina Matthaei & antiquorum patrum. His ergo verbis, *Ioſias genuit Iechoniam & fratres eius in tranſmigratione Babylonis*, ſignificat Matthaeus Ioſiae liberos qui regnum obtinuerunt, ſcilicet Ioachazum, qui obiit improlis & captivus in Aegypto, Ioakimum patrem Iechoniae, & Sedeciam. Porro Ioakim alio nomine Iechonias dictus eſt per nominis Ioakim extenſionem. Pater vero fuit Ioachin; qui & Iechonias, eadem nominis Ioachini extenſione, appellatus eſt.

Porro Ioachim, ſive Iechonias primus, variis bellorum calamitatibus oppreſſus, ex quibus ſecuta eſt tranſmigratio in Babylonem, tribus ante illam menſibus obiit; & ſic ad illius uſque initia ſuperſtes fuit. Eleganter itaque ſecundam claſſem & quatuordenarium illius numerum Ioakimo ſive Iechonia primo concluſit Matthaeus; cuius limitem in transmigrationis initiis defixit. *A David uſque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim*. Quare nullum Regis caput in ſecunda iſta claſſe inſeri poteſt, ut tentatum a recentioribus, qui ſic reſtituendam lectionem putant; *Ioſias genuit Ioakim ſive Iechoniam & fratres eius. Ioakim autem, ſeu mavis Iechonias, genuit Iechoniam.* Quippe ſi vel Ioakimus per vim intrudatur, vel Iechoniae nomen in ea claſſe repetatur, unitas redundabit ſupra ſummam, & quindenarius numerus exibit pro quatuordenario. Quod Porphyrio in ſupputatione tertiae claſſis Matthaeum calumnianti veram obiurgandi cauſam in ſecunda praebuiſſet. Ie-

Digitized by Google

Iechonias autem, in tertia claſſe poſt tranſmigrationem commemoratus, eſt nepos Ioſiae, filius Iechoniae primi ſive Ioakimi; a quo deductus numerus, & deſinens in perſonam Chriſti, quatuordenarium plenum efficit, ut mox dicemus.

XXXII. Sententiam illam noſtram hauſimns ex ipſis Epiphanii verbis; tantum abeſt ut inde occaſionem ſumſerimus inſerendae alterius perſonae in ſecunda claſſe, ut tentarunt ceteri. Proferam auctoris locum: qui quum profeſſus eſſet a Matthaeo in tres ordines diſtributam fuiſſe generationum deſcriptionem, quorum ſinguli quatuordecim perſonis conſtarent, addit: οἱ δυο ἀνωτεροι ἀριθμοι σαφεις ἀπαρτιζονται, μηδεμιαν ἐκλειψιν ἀριθμου περιεχοντες. ἑως γαρ του Ιεχονιου περιεχουσι τους χρονους. *Duo priores numeri liquidi ſunt, nullam imminutionem patientes. Ad Iechoniam enim exacta conſtat perſonarum & temporum ſumma.*

Quae ſequuntur apud eumdem auctorem, perplexa quidem ſunt; ſed quae ad tertiam claſſem pertinent, de qua nulla eſt hodie apud eruditos lectionis in Matthaeo ſollicitandae controverſia. Ait enim tertiam ſeriem quatuordenarium non implere, ſed ad tredecim perſonas reſtringi: *Nimirum*, inquit, *quidam Iechoniam Iechoniae alteri continuatum offendentes, repetitum alterum exiſtimarunt, quae tamen non erat repetitio, ſed numerus exactus. Patris enim adiecto nomine, dicebatur Iechonias Iechoniae. Quidam ergo, veluti elegantiae cauſſa, alterum nomen imperite expungentes, propoſitam ter quatuordecim capitum ſummam & mutuam trium inter ſe claſſium habitudinem abolevernnt*. Huius loci a nemine hactenus, ut puto, intellecti haec eſt ſententia, antiquam apud Matthaeum lectionem hanc fuiſſe: *Poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias Iechoniae genuit Salathiel*, qua ſignificabatur Iechoniam ſecundum, filium Iechoniae alterius in ſecunda claſſe deſcripti, genuiſſe Salathiel. Vnde conſequebatur Iechoniae ſecundi generationem fuiſſe caput generationum huius tertiae claſſis, quae hoc pacto quatuordecim generationibus conſtabat. Quare non immerito carpit eorum temeritatem, qui emendatione importuna Iechoniae patris nomen delentes, generationis Iechoniae ſecundi omiſſa mentioue, occaſionem praebuerunt duas perſonas in unam commiſcendi, & tredecim tantum generationes tertiae claſſi imputandi.

XXXIII. Sane omiſſa mentio generationis Iechoniae ſecundi, ipſum quoque Auguſtinum traxit in errorem. Quippe exiſtimavit unum eumdemqne Iechoniam bis numeratum, & imputatum ſecundae & tertiae claſſi: quemadmodum accidit quando ab ordine recto deflectitur; id enim quod eſt in angulo, bis numeratur. Enimvero quoniam reponi poterat, in deſcribenda generis ſerie a patre ad liberos numerationem per lineam rectam fieri, non autem per traſverſam, a ſenſu tropologico ſubſidium petit, aitque a Iechonia factam fuiſſe in extraneas gentes deflexionem quando in Babyloniam transmigratum eſt, *lib.* 11. *de*

con-

Digitized by Google

conſenſ. Evangel. c. IV. Haec quoque generationis omiſſio negotium faceſſit Chryſoſtomo, ut inferius oſtendemus.

XXXIV. Attamen licet Epiphanii expoſtulationem adverſus male feriatos correctores ampleɛtar, non tamen cum eo demittendum animum puto, quin locus veritati ſuperſit poſt imperitam illam emendationem. Supplendum enim erit interpretatione petita ex Scripturis quod minus liquido explicare videtur hodierna lectio. Itaque Iechoniam Ioſiae filium eundem eſſe dicemus cum Ioakimo, praeſertim quum fratres habuiſſe dicatur, nempe Ioachazum & Sedeciam, qui nulli fuerunt Iechoniae ſecundo. Porro Ioakimus tribus menſibus obiit ante trasmigrationem. Quare non potuit poſt traſmigrationem genuiſſe Salathielem. Vnde aperte conficitur hunc Iechoniam ſecundum alium fuiſſe a primo, atque adeo primi filium, quod manifeſte docebat antiqua illa lectio ab Epiphanio commemorata; qua duce errari non poteſt. Et licet deleta fuerit ab imperitis criticis, manet tamen litura & ratio, quae diſcrimen utriuſque Iechoniae nos apertiſſime docet

Omiſſa eſt itaque mentio generationis primae in numero quatuordenario tertiae claſſis, ſed non perſonae. Quare fidem ſuam implevit Matthaeus, apud quem vox γενεὰς generatam perſonam ſignificat, ut loquar cum Iuriſconſultis, quorum haec eſt definitio: *Semper generata perſona gradum adiicit*.

XXXV. Hac ratione refellit Hieronymus impium illum Porphyrium, qui falſi arguebat Matthaeum, quod profeſſus in tertia teſſaradecade, ſicut in duabus reliquis, ſe quatuordecim generationes edidiſſe, in decima-tertia haeſerat, oblitus decimae-quartae. Ait enim Hieronymus alium eſſe Ioakim filium Ioſiae, in quo definit ſecunda claſſis, & alium Ioachin filium Ioakim, a quo incipit tertia, ſicque promiſſis ſtetiſſe Evangeliſtam numerando quatuordecim perſonas. Haec ſunt illius verba initio commentariorum in Danielem: *Ioakim filius Ioſiae regnavit ſuper tribum Iuda & Ieruſalem annis undecim; cui ſucceſſit in regnum filius eius Ioachin, cognomento Iechonias; qui tertio menſe regni ſui, die decimo captus eſt a Ducibus Nabuchodonoſor, ductuſque eſt in Babylonem: & in loco eius conſtitutus eſt Sedechias, filius Ioſiae patruus eius; cuius anno undecimo Ieruſalem capta atque ſubverſa eſt. Nemo igitur putet eundem in Danielis principio eſſe Ioakim, qui in Ezechielis exordio Ioachin ſcribitur. Iſte enim extremam ſyllabam chin habet, ille kim; & ob hanc cauſſam in evangelio ſecundum Matthaeum videtur deeſſe generatio, quia ſecunda τεσσαραδεχὰς in Ioakim deſinit filio Ioſiae, & tertia incipit a Ioachin filio Ioakim. Quod ignorans Porphyrius calumniam ſtruit Eccleſiae, ſuam oſtendens imperitiam, dum Evangeliſtae Matthaei arguere nititur falſitatem*. Egregium ſane teſtimonium, quo refelluntur qui vitium ſubeſſe putant in contexu Matthaei, & omiſſam inter exſcribendum clauſulam Iechoniae a Ioa-

Digitized by Google

a Ioakimo generati. Quippe Hieronymus profitetur aperte ſecundam claſſem deſiviſſe in Iokimo filio Ioſiae, & tertiam incepiſſe a Ioachino ſuperoris Ioakimi filio. Deinde ſi lectio ſe habuiſſet apud Matthaeum ut eam reſtituendam putant eruditi, illa una generatio, quae deeſſe videbatur, non defuiſſet; quippe diſertis verbis concepta in textu. Quod autem obſervat Hieronymus in fine claſſis ſecundae, Ioakimum Ioſiae filium poni, & in exordio tertiae Ioachinum Ioakimi filium, non eo pertnet ut illis nominibus deſignati putentur a Matthaeo, qui utrumque Iechoniam nuncupavit; ſed ut ſciatur diſcrimen inter utrumque, patrem & filium; etiamſi cognomines ſint in contextu Matthaei, & in libris Regum unius tantum litterae ſono differant.

XXXVI. Hanc nominum Hebraicorum differentiam, Ioakim, & Ioachin, non animadvertit Ambroſius. Vidit tamen in communione nominis diviſionem patris & filii *lib.* III. *in Lucam* tam liquidis verbis ut mirari ſubeat cur recentiores eius mentem non ceperint, vel ab ea ſibi recedendum putarint. *Duos Ioachin, hoc eſt, duos Iechonias fuiſſe hiſtoria indicat, unum ante tranſmigrationem, alterum in ipſa tranſmigratione generatum, id eſt, patrem, & filium. Ergo pater inter generationes ſuperiores eſt computatus, qui ſucceſſit Ioſiae; filius inter poſteriores, qui ſucceſſit patri, id eſt, nepos Ioſiae.* Mox: *Non igitur ſuppreſſit alterum Evangeliſta, ſed utrumque ſignavit, quod uterque Iechonias dictus ſit.*

XXXVII. Amplexi ſunt quoque nonnulli e veteribus Graecis hanc interpretandi Evangeliſtae rationem, ut docet Nicetas Epiſcopus Serrarum in commentariis ad Matthaeum ex editione Toloſana a Balthaſare Corderio adornatis: *Aiunt quidam alium eſſe ante captivitatem Iechoniam, & alium poſt captivitatem. Ille enim filius erat Ioſiae, alius autem poſt captivitatem genitus, ex ipſo Iechonia etiam dicto* (Corrigendus eſt textus Graecus, & ſic vertendus: *alius autem poſt captivitatem, illius nepos, & filius Iechoniae iam dicti*) *Hunc igitur ultimum Iechoniam in tertia parte aliis, & Chriſto annumerantes, quatuordecim illas generationes complent.* Φησι δε τινες ἑτερον ἐιναι τον προ της αἰχμαλωσιας Ἰεχονιαν, ϗ ἑτερον τον μετα την αἰχμαλωσιαν. ἐκεινος γαρ ὑιος ἦν Ιωσιυ: ὁ δε μετα την αἰχμαλωσιαν, αὐτυ ἐγγονος, ϗ Ἰεχονιυ εἰρημενυ. Addendum, ὑιος.) τυτον ὖν τον τελευταιον Ἰεχονιαν, ἐν τῃ τριτῃ μεριδι, τοις ἀλλοις, ϗ τῳ Χριςῳ συναριθμουντες, τας δεκατεσσαρας γενεας ἀναπληρουσι.

XXXVIII. Meminit quoque Euthymius, in huius loci enarratione, duplicis Iechoniae; quorum primum Ioſiae filium facit, alio nomine Ioacham vel Ioachas dictum, quem in libro Eſdrae Iechoniam nuncupari ſcribit: eique eo in libro tribui, tum de eius cum Amital connubio, tum de aetate viginti trium annorum, & de regno trium men-

menſium, quae in libris Regum & Paralipomenon Ioachazo tribuuntur. Sane in cap. I. libri III. Eſdrae, apocryphi quidem, ſed in re hiſtorica non contemnendi, ex veteri translatione Latina, Ioachas iſte Iechonias dicitur, quemadmodum in Graeco codice quem Euthymius laudat: quamvis in editione Graeca Aldina legatur *Ioachaz* quae lectio videtur recentior, & gloſſematis vice ad marginem poſita irrepſiſſe in textum. Vnde aſſeri poſſe videtur, non abſurde duos Ioſiae liberos Iechonias dictos.

Secundum Iechoniam, filium primi, ponit Euthimius, genitumque poſt traſmigrationem Babylone; quo Ioachaz ſive Iechonias ex Aegypto translatus fuerit a ducibus Nabuchodonoſoris poſt ſubactos Aegyptios.

Ex hac commentatione Euthymii palam eſt, nullam illum in textu Matthaei labem animadvertiſſe, ſed omnino ſecutum & interpretatum eandem, quae hodie extat, contextus lectionem. Quare non erat cur auctor iſte ab eruditis traheretur in Partes, ac ſi corruptum & mendoſum locum deprehendiſſet. Ceterum in eo quod duos Iechonias, patrem, & filium, fuiſſe obſervat, plane laudandus; carpendus tamen quod Ioachazum in terram Babylonicam adductum patrem Iechoniae ſecundo affingat. Hic enim Ioachaz, ulciſcente numine, & comminante per Ieremiam prophetam cap. XXII. his verbis, *non revertetur huc amplius, ſed in loco ad quem tranſtuli eum, ibi morietur*, in Aegypto moram perpetuam egit & obiit, ut traditur *lib.* IV. *Reg. c.* XXXIII.

XXXIX. Tot veterum patrum teſtimoniis fultus non dubito pronuntiare, ut initio monui, & ſanum eſſe Matthaei contextum, tum Iechoniam primum eundem eſſe cum Ioachimo Ioſiae filio, & Iechoniam ſecundum eſſe filium primi, Ioſiaeque nepotem. Placuit tamen erudito viro Poſſino, in ſecunda & tertia claſſe de uno eodemque agi Iechonia, eoque Ioſiae nepote, Ioachimi filio. Quam ille ſententiam eo praecipue nomine propoſuit, ut adverſus opinionem receptam illibatum & integrum praeſtaret Matthaei codicem, in quo comprobando feliciter laboravit. Sed eadem felicitas eum deſtituit, ut puto, in ſingularis Iechoniae coniectura, quam haec incommoda ſequuntur. Primum eſt, omiſſum a Matthaeo Ioachimum Ioſiae filium: cuius ſilentii cauſſa nulla reddi poteſt, quae plures quoque Reges non involvat, qui ob impietatem hac quoque oblivionis mulcta damnandi erant. Secundum eſt robuſtius, aſſignatos Ieconiae ſecundo fratres, qui nullos habuit; quum e contrario Ioachimo duo fratres fuerint, Ioachaz & Sedecias, qui regno potiti ſunt. Neque eſt quod novo & inuſitato loquendi modo fratres Iechoniae dictos putemus, tum illius patrem Ioakimum, tum Sedeciam patruum, quia eiuſdem regni participes fuerunt. Tertium, idque graviſſimum, incommodum eſt vis illata ver-

bis ſcripturae; quae, hac explicatione admiſſa, una eademque voce duplicem ſignificationem exprimit, naturalem & genuinam unam, alteram vero tralatitiam, *Ioſias genuit Iechoniam & fratres eius*, iuxta iſtum interpretandi modum, genuit vere & naturaliter Ioakimum & Sedeciam, nepotem vero ſuum Iechoniam regni reliquit heredem. Quartum ex hac ſententia ſequitur incommodum, nempe non conſtare rationem quatuordecim generationum in tertia claſſe, ſi Iechoniae capite minuatur, quod neceſſum eſt, ſi unus ponatur Iechonias, ſeu is Ioachimus fuerit, ſive eius filius, qui ſecundae claſſi iam imputatus eſt. Expendimus qua ſolertia conatus ſit Auguſtinus ſe iſto expedire nodo, ſed infeliciter, ut diximus.

XL. Moleſte autem habuit haec difficultas ſupputandi Chryſoſtomum apud Euthymium, cuius auſpiciis plerique Graecorum interpretum, qui duodecim tantum generationes in hac tertia claſſe diſerte expreſſas legebant, tranſmigrationis ſtatum unius generationis vice computarunt abſurde, & Chriſti perſonam; unde quatuordecim ſummam collegerunt. Et recte quidem, quod attinet ad Chriſtum, ex aperta mente Matthaei; qui quatuordecim generationes in prima claſſe ab Adamo uſque ad Davidem, & totidem in ſecunda claſſe a Davide uſque ad Iechoniam numerans, Davidem & Iechoniam in numero includit. Vnde ſequitur quatuordecim generationes tertiae claſſis deſignatas uſque ad Chriſtum, eiuſdem vocis uſurpatione, hic Chriſti perſonam, ut reliquas duas in limitibus duarum claſſium ſuperiorum poſitas, includi, non autem excludi; licet vox *uſque* vim habeat excludendi aeque ac includendi, prout rei argumentum exigit.

XLI. Diverſam a ceteris viam ingreditur doctiſſimus Poſſinus, & numerum quatuordenarium implet, praeter Ioſephum, Maria Chriſti matre computata; ut pote quae ſola, abſque viri Ioſephi conſortio, partum illum ediderit. Sane moris non fuit apud Iudaeos ut feminae in genealogiis cenſerentur. Sed reſpondet ille, moris quoque non fuiſſe ut virgines parerent, & ortum ſingularem ex ſola femina id exigere, ut in ſerie genealogiae matris nomen ponatur. Iſthoc argumento egregie probat, conſulto & neceſſario a Matthaeo mentionem Mariae factam in origine Chriſti ex ea nati, non autem ex Ioſepho. Enimvero non eſt conſequens Mariae perſonam pro una generatione accipiendam, diſtincta & ſeparata a Ioſephi eius viri perſona. Iungenda eſt mentio amborum coniugum, iuxta mentem Matthaei, ut perſona Chriſti generata dicatur; a Maria quidem naturali modo, a Ioſepho autem vi legis, quae patrem eum ſciſcit quem nuptiae demonſtrant. Id quidem omnibus generationibus commune eſt, ut filius ex patris & Matris connubio prodeat, qui unius generationis ſunt auctores. Quare ſi Saram uxorem Abrahami poſuiſſet Matthaeus, genitus ex illis nuptiis Iſaac una generatione diceretur, non autem duabus; nec in-

inter illius maiores Sara computaretur ad geminandum generationis numerum, ſed ad deſignandos ex utroque latere Iſaaci maiores. Eadem ratione Ioſephus & Maria connubio iuncti, unius generationis numerum conficiunt; licet novo quodam & ſingulari privilegio, quo ceteris generationibus antecellit. Quae cauſſa fuit Matthaeo ut Mariae meminerit in iſta deſcriptione, cuius partes in hoc ortu potiores erant quam Ioſephi. Attamen ita meminit ut ſimul adnotaret Ioſephum fuiſſe virum Mariae, ex qua natus eſt Chriſtus; ſcilicet ut diſceremus unicae illius generationis duos quidem eſſe parentes, ut accidit in ceteris, ita tamen ut Ioſephus pater eſſet iure connubii, Maria iure naturae.

XLII. Tertia reſtat quaeſtio de nomine Cainani ſecundi, quod inter Abrahami maiores Arphaxadum & Salem infixum exhibent codices Lucae; quum tamen in Geneſeos & Paralipomenon libris Hebraicis & Latinis, & apud Ioſephum, omnino praetermiſſum ſit. Qui Cainanum apud Lucam tuentur, adhibent LXX. interpretum auctoritatem, qui Cainani iunioris Arphaxadum patrem & Salem filium memorant. Attamen certum eſſe debet apud eruditos, ut copioſe & eleganter oſtendit Poſſinus, in antiquis codicibus LXX. praeteritum hunc Cainanum; ut colligi poteſt ex Theophilo Antiocheno, ex Chronico Graeco Euſebii apud Scaligerum, & eiuſdem Chronico Latino emendato: qui auctores, quum rationes LXX. ſequi ſe profiteantur, inſititio Cainano omiſſo, Arphadaxum patrem Sale docent, idemque tradit Hieronymus, iuxta interpretum illorum fidem.

XLIII. Ceterum accidit ut LXX. editio hac in parte, ut in pleriſque aliis, depravata olim fuerit, & ſubdititius iſte Cainanus in eam intruſus; quam labem Procopius Gazaeus deprehendit ſua tempeſtate. Ait enim in Hebraica veritate haberi Salam gentium eſſe ab Arphaxado: *Quae vero in medio ponuntur*, (ſcilicet Cainani nomen) *obeliſco ſignata eſſe*. Scimus autem ex Hieronymo in praefatione libri XVI. in Ioſiam, quae obelo confixa erant, nec in Hebraicis neque in LXX. codicibus haberi, ſed tantum in ea editione quae communis appellabatur. Vnde colligi poteſt, a Theodotione invectum Cainanum iſtum iuniorem, licet LXX. interpretibus incognitum. Quae cauſa fuit Epiphanio in Panario, *ad haereſim* V. *Melchiſedecianorum*, hunc Cainanum expungendi iuxta fidem LXX. quum tamen alibi eum agnoſcat pro Arphaxadi prole, nempe initio operis adverſus haereſes, & in fine haereſis LXVI. adverſus Manichaeos, & in fine Anchorati: ubi ſine dubio ſequitur editionem communem cum iſthac inſitione Cainani, quae eſt a Theodotionis manu. Hanc conciliandi ſecum Epiphanii rationem ſequi malo, quam tot loca, quae meminere Cainani, a deſcriptoribus corrupta comminiſci, ut placuit eruditis quibuſdam.

Ex hac diſputatione colligitur, quum nec in codicibus Hebraeis nec apud

apud LXX. editionem Cainani mentio reperiatur, fieri non potuiſſe ut á Luca in deſcriptione ſua infereretur. Quare in vetuſtiſſimis Lucae codicibus duobus ante mille ducentos annos deſcriptis, qui hodie apud Angliam aſſervantur; quorum alter e Lugduno avectus, alter ex alexandria devectus in eas oras; Cainani nomen omiſſum eſt: ſed exſcribentium audacia iam olim factum, ut ex Theodotionis, ſive ex communi Geneſeos interpretatione petitum Cainani nomen in Lucae Graecos codices, ea ſcilicet opera, ut putabatur, emendandos, intruſum ſit. Quod deinde vitium editiones omnes, etiam Latinam antiquam Hieronymo vetuſtiorem, pervaſit.

DISSERTATIO

De adventu Magorum ad Chriſtum, & an Reges fuerint.

TRES praecipue quaeſtiones moveri ſolent circa Magorum adventum; an acciderit antequam ſalvator ſiſteretur in templo vel poſtea; an ex Perſide vel Arabia profecti ſint; & modus conciliandi narrationem Matthaei cum Luca.

I. Prima conficitur ex verbis Matthaei, qui narrationem ortus Domini, angelorum nuntium, & paſtorum officia, nullo alio interiecto, cum Magorum adventu connectit. Deinde ad oppidum Bethlehemi acceſſiſſe docet antequam aliorſum Dominus diverteret. Huius argumenti vis ex dicendis detegetur. His adiungi poteſt vetuſta plurium patrum traditio, qui iacentem in praeſepio infantem a Magis adoratum ſcribunt; licet probabilior videatur eorum ſententia, qui e ſtabulo in domum puerperae opportunam ſeceſſiſſe Ioſephum & Mariam exiſtimant ex ipſis Matthaei verbis ſcribentis Magos intraſſe domum, non ſtabulum.

II. In ſecunda quaeſtione, quam aliqui veterum tradunt opinio, nempe ex Arabia profectos Magos, certior eſt. Altera quippe de Perſide non alio nititur fundamento, quam quod eius auctores ſibi perſuaſerunt Magorum nomen peculiare fuiſſe Perſis, quo ſapientes & ſyderum ſcientiae peritos ſignificabant. Sed in Arabia, quae quidem eſt vaſtiſſima regio in Deſertam, Petraeam, & felicem tributa, & a variis Regibus & Dynaſtis olim occupata, vigebat ſcientiae ſyderalis ſumma peritia & politici regiminis uſus, ut docet Strabo, Magorumque nomen pro ſapientibus non erat ibi incognitum. Porro Arabiae poſitus, ratione Iudaeae, erat ad Orientem, & intervallum itineris ex Arabia Felice ad Hieroſolyma poterat intra octiduum per camelos facile peragi. Quare quum Matthaeus profectos ab Oriente Magos dicat ipſam Arabiam fere deſignat. Quid ſi munerum ab illis oblatorum ſpecies addas? aurum nempe, thus, & myrrham, quae ſunt aromatum genera domeſtica & propria Sabaeae regionis in Arabia Felice; ubi

Digitized by Google

ubi quoque aurum non ignobile gignitur, ut docet Plinius. Quare tributa quoque populi Regibus ſolvebant olim, hodieque ſolvunt ex illis tribus ſpeciebus. Vnde factum ut Regina Saba ad colendum Salomonem aurum & aromata, thus ſcilicet & myrrham praecipue inter cetera obtulerit. Quo exemplo Magi Regem Regum adoraturi muneribus ſimilibus illum honeſtarunt; ex quorum diſcrimine Iuvencus Presbyter ſolerter collegit, Chriſtum pro Deo & homine adeoque Rege a Magis veneratum.

Aurum, thus, myrrham Regique hominique Deoque Dona fuerunt. quem locum laudavit etiam Hieronymus. Huius generis cultus a Davide & Iſaia praenuntiatus fuerat, qui Reges Arabum aurum & thus delaturos Chriſto ſpiritu praeſago cecinere. Itaque quum hiſtorica narratio cum praedictione congruat, non eſt quod Arabia relicta, ad Perſidem Magos inquiſituri pergamus, unde non poterat dierum tredecim intervallo ad Hieroſolymorum urbem Iudaeae umbilicum perveniri, ut factum a Magis. Eos plerique veterum Reges dixere ex prophetiae auctoritate, id eſt, Dynaſtas pagi alicuius, quales erant non pauci in Arabia, nulli vero in Perſide.

III. Ceterum illis ſtellarum curſus ex more meditantibus novum ſydus apparuit: de quo invicem conferentes, ex regulis ſuis hauſerunt novi Regis ortum portendi. In qua contemplatione per biennium defixi, interius a Deo tandem moniti ſunt, Regem illum in Iudaea iam recens in lucem editum, eiuſque dominio; utpote Dei atque hominis, gentes omnes ſubiiciendas, quarum ipſi veluti primitiae libari debebant. Extemplo acceſſerunt ad urbem Hieroſolymorum, putantes humanae rationis ductu (non autem ſtellae, cuius in hoc officio non meminit Matthaeus) Regem in regia ſede natum. Quare cum fiducia quaerunt ubinam ſit Rex ille Iudaeorum, quem ſtellae teſtimonio, quae illis in Oriente apparuerat, adoraturi venerant. Succeſſit conſultatio Herodis anxii de loco ubi naſciturus erat Meſſias. De alio quippe in Iudaea caeleſtia prodigia expectanda non putabat. Reſpondere principes ſacerdotalium familiarum & legis periti, a Michaea deſignatum nativitatis locum in Bethelemo Iudaeae, quae erat civitas Davidis ortu celebris. Tunc ipſe, ſemotis arbitris, ſtipulatur a Magis, prius de tempore apparitionis ſtellae percontatus, ut ad urbem redeant, ſibi omnia quae puerum tangerent diligenter narraturi, ut ipſe eodem adorationis officio defungi poſſet. Egrediuntur ex urbe Magi, Bethlehemum ſine dubio iuxta reſponſi a prudentibus dati fidem profecturi. Sed inſperato illis extra muros apparuit ſydus, quod in Oriente viderant, inquit Matthaeus, non autem in profectione ad Iudaeam, ut ſcribunt fere omnes contra diſerta Matthaei verba. Eius ductu ad ipſam domum, ubi erat puer, accedunt in oppido Bethlehemitico; ubi laboris ſui fructum capiunt ex aſpectu & adoratione pueri.

IV.

IV. Quis dubitat quin peregrinorum hominum iter Meſſiae adventum praedicantium & plures civium conſectati fuerint, & quin eorum veſtigia per exploratores & curioſos, qui ſolent eſſe in miniſterio aulico, Herodes alioquin ob rei novitatem & magnitudinem perturbatus preſſerit? Quare latere non potuit domus, in quam ingreſſi ſunt cum famulitio ſuo, quamque ſplendor fulgentis ſyderis cum ſtupore aſpectantium deſignabat; adeoque cunctis patuit filium Mariae pro Meſſia a Magis adoratum. Monentur autem in ſomnis a Deo ne Herodem inviſant; ne ſcilicet ſcelerati & impii hominis de parricidio cogitantis commercio polluerentur, non autem ut pueri habitatio Herodem lateret, quae non poterat illi non eſſe manifeſta. Interim dum magnitudine ſceleris territus apud ſe deliberat de nece Meſſiae fluxere dies praeſtituti a lege pro matris & partus luſtratione legitima, quam purificationem dicimus. Eius peractae ſolemnia deſcribit Lucas cap. II. & publicam Simeonis profeſſionem in templo factam, puerum illum eſſe tot votis expetitum Meſſiam pro ſalute Iſraëlis & gentium a divino numine datum. Commotus ex relatione Magorum Herodis animus vertit in apertum furorem, teſtationis a Simeone de Chriſti praeſentis perſona factae in templo coram frequenti ſacerdotum & populi coetu fama per civitatem ſparſa. Quare crudele illud conſilium de Chriſto interficiendo ſtatim exequi parat, dato ſpiculatoribus & militibus funeſto mandato. Interim eadem die poſt oblationes rite peractas Ioſephus & Maria cum puero redeunt Bethlehemum, quod non longe aberat ab urbe. In idem quoque oppidum paullo poſt ſe conferunt truculenti mandati executores. Nec dubium quin domum omnibus notam, ubi Chriſtus habitabat cum parentibus, invaſerint, ſpe certa iugulandi pueri. Sed in ſomnis monitus ab Angelo Ioſephus, ut ſaluti pueri conſuleret fugam in Aegyptum capeſſendo, nocte intempeſta, ut par eſt credere, ſe praepropere ad iter accinxit. Tum milites ex vetere aut novo mandato Herodis latere inter ſuos, non aufugiſſe, Chriſtum autumantis, infantes univerſos oppidi illius & vicini pagi abſque delectu iugulant, a bimatu tamen & infra, iuxta tempus ſtellae, quod Herodes exquiſierat a Magis, inquit Matthaeus. Quae verba errandi occaſionem quibuſdam veterum praebuerunt exiſtimantibus, bimulum fuiſſe Chriſtum quando Magi ſtella conſpecta itineri ſe commiſere. Ea vero ſic accipienda ſunt. Biennio ante Chriſti ortum apparuit ſtella. Illo vero naro demum moniti ſunt Magi, portendi nativitatem Regis Iudaeae, qui nationibus eſſet dominaturus, eumque ab ipſis colendum. Itaque Herodes a tempore apparitionis ſtellae, id eſt, a duobus annis antecedentibus natum fuiſſe Chriſtum, aut a tempore profectionis Magorum exiſtimans, interfici iuſſit pueros a bimatu & infra. Sed quare rationem in eo facinere quaeſumus, quod furore potius patratum eſt, quam conſilio? Scilicet obniti ſe poſſe credebat divini numinis de-

decreto de ſalute humani generis ſolliciti, & opprimere Chriſtum; quem ipſe religione avita Iudaeus, licet gente Idumaeus, ſciebat rectorem populo per vaticinia promiſſum.

V. Diximus ex Matthaeo Ioſephum cum puero & matre a Bethlehemo profectum in Aegyptum: quod fieri non potuit ante ſolennia purificationis. Porro poſt purificationem abiit in Nazareth, ut tradit Lucas. Qui ſane non pugnat cum Matthaeo, cuius evangelium legerat. Ideo quam iſte fugam in Aegyptum deſcripſerat, ille omiſit, & viciſſim expoſuit purificationis ſolemnia a Matthaeo praetermiſſa. Itaque ſignificat, expleta purificatione, poſt reditum ex Aegypto ſcilicet, Chriſtum in Nazaretho conſtitutam & fixam habitationem habuiſſe, non autem in Betelehemo, licet in eo oppido natus eſſet.

DIATRIBA DE TEMPORE

Synodi Sirmienſis plenariae, & de Valentis & Vrſacii venia.

I. DISSIDIVM ſententiarum in conſtituendo Sirmienſis ſynodi tempore videtur aliquo pacto componi poſſe, ſi recta Hilarii verbis interpretatio adhibeatur. Socrates ait diſerte, ſynodum illam coactam fuiſſe poſt conſulatum Sergii & Nigriniani, quod anno CCCLI. competit. Eius teſtimonio fidem habet V.C. Petavius in ſuis animadverſionibus ad Epiphanium, & in diſſertatione de damnatione Photini. Sed quia idem Socrates Oſii lapſum in hanc ſynodum Sirmienſem conicit, lapſus autem ille & conſenſus in Arianam impietatem ab eo ſene poſt ipſius ad civitatem Sirmienſem relegationem, quae anno CCCLVI. competit, expreſſus eſt Conſtantii artibus & minis, Baronius Socrati hac in parte adhaerendo, a Socrate ipſo diſcendendum putavit in conſtitutione temporis huius ſynodi. Eam ergo collocat ad annum, qui ſequitur Oſii relegationem, id eſt, ad annum trecenteſimum quinquageſimum ſeptimum. Vir clariſſimus Sirmundus diatriba prima & ſecunda Sirmitana Baronii partes tuetur, quas iuvari putat manifeſto teſtimonio Hilarii in fragmentis, qui biennio anteriorem facit ſynodum Mediolanenſem ipſa ſynodo Sirmienſi. Aliunde vero conſtare ait, ſynodum illam Mediolani habitam incidere in annum CCCLV.

II. Auctor diſſertationis, ut ſe his nodis eximat, Hilarii verba interpretatur, & ex iis probare nititur, Mediolanenſem ſynodum, quae biennio Sirmienſem praeceſſit, e catholicis Epiſcopis fuiſſe conflatam, & aſſignandam anno CCCXLVII. aliquot menſibus poſt Sardicenſe Concilium, non autem ex Epiſcopis Arianis fuiſſe compoſitam, cuiuſmodi erant illi, qui Mediolanenſem alteram ſynodum conſtituebant, quae a Conſtantio indicta eſt anno trecenteſimo quinquageſimo quinto. Porro non in eo haeret; ſed ex Hilarii loco novam ſynodum profert

fert Sirmienſem, quae Mediolanenſi nunc recens detecta ſit biennio poſterior, & ideo collocanda ſub annum CCCLIX. quam ſecuta fuerit altera ſynodus Sirmienſis; de qua eſt controverſia an competat anno CCCLI. an vero CCCLVII. Quod attinet a formulam Oſii, exiſtimat ille quidem in ſynodo quadam Sirmienſi fuiſſe conſcriptam poſt effoeti illius ſenis relegationem, circa annum CCCLVII. Sed negat id factum in Sirmienſi illa plenaria, de cuius tempore controvertitur. Et in hoc articulo fatetur Socratem hallucinatum fuiſſe, duoſque conventus in eadem civitate variis temporibus habitos permiſcuiſſe.

III. Vapulat itaque Socrates, & incuriae ſuae dat poenas callentiſſimis harum rerum & graviſſimis cenſoribus. Non eſt noſtrum tantorum virorum lites componere; praeſertim quum nec ipſi nobis huius cauſae arbitrium detulerint, nec nos, prae tenuitate virium, illud recipere in animum induxerimus. Videtur tamen auxilio Hilarii veritas aliquo pacto in lucem promi poſſe, modo eius veſtigia premamus. Proferam non ipſa verba Hilarii, de quibus nulla eſt controverſia, ſed eorum ſententiam, quantum quidem ego illam aſſequi poſſum. Et ſi qua in parte ab interpretatione quae iam eſt aſſerta diſceſſero, opinionem meam fulciam, & quid inde ſequatur ad praeſentem quaeſtionem, ſincere colligam.

IV. Photinus Epiſcopus Sirmii, quae Illyrici Occidentalis metropolis erat, Pauli Samoſateni virus a Marcello Epiſcopo Ancyrae, quae eſt provinciae Galatiae metropolis, hauſerat. Ad damnandum Photinum cogitur Concilium Mediolani, cui Romanae Eccleſiae Legati interfuerunt. Damnatur haereſeos Photinus. Valens & Vrſacius Pannoniae & Moeſiae Epiſcopi, Arianae factionis ſigniferi, qui ſententia ſynodi Sardicenſis (quae ad diſcutiendam Athanaſii & Marcelli & aliquot Epiſcoporum cauſſam iuſſu Principum Sardicam convenerat) a communione Eccleſiae catholicae abſciſſi fuerant, ab hac Mediolanenſi ſynodo pacem & veniam exorant. Biennio elapſo poſt conventum Mediolanenſem, iterum altera ſynodus cogitur ad pellendum epiſcopatu Photinum. Conventus habitus eſt Romae, ut nos quidem exiſtimamus, non autem Sirmii. Conventus huius & loci opportunitatem nacti Valens & Vrſacius communionem, quam Mediolani obtinuerant, quamque Iulius Epiſcopus Romanus approbaverat ea conditione, ut Athanaſii communionem amplecterentur & conflatas in eum calumnias detegerent, profeſſione data, ratam haberi libello ſupplici rogant, Athanaſium ſuſpiciunt, & praeterea Arianos damnant; prout altero libello, quem Mediolani porrexerant, ſe feciſſe profitentur. Damnati Photini a Romanis, id eſt a ſynodo Romana, decretum ab Occidentalibus, *ſicut mos poſcebat*, ad Orientales mittitur, *non iniuria extorquendi, ut nunc agitur, adſenſum*, inquit Hilarius *ſed inſtruendae univerſorum ſcientiae conſuetudine*. Libellus autem

Va-

Digitized by Google

Valentis & Vrſacii oblatus Iulio non ſtatim ad Orientem eſt delatus, ſed biennio poſt damnationem Photini a Romanis decretam, ut teſtatur Hilarius; licet poſt aliquantum temporis *poſtea quam ſuperiorem epiſtolam Romae emiſerant* Valens & Vrſacius, ut loquitur Hilarius, *ab Aquileia ad Athanaſium* epiſtolam alteram miſerint, qua locum cum illo & eccleſiaſticam communionem ſe habere ſignificarint. Enimvero epiſtola Iulio data miſſa non eſt niſi poſt biennium.

V. Itaque *ſuperioribus litteris* Iulio Epiſcopo oblatis, *venia indulgetur, orantibus reditus ad catholicam fidem cum communione donatur; maxime quum Sardicenſis ſynodi veritatem ipſae orantium veniam literae continerent. Verum inter haec Sirmium convenitur*, inquit diſerte Hilarius, ſcilicet poſt Romanam ſynodum, interim dum libellus ſupplex Valentis & Vrſacii ad Orientem mittitur. Ita enim hunc locum accipiendum ipſa narrationis ſeries omnino cogit, ut patebit iſta ſerio perpendenti. Quid autem Sirmii geſtum fuerit, docet Hilarius, nempe Photinum olim reum pronuntiatum, & a communione unitatis abſciſſum, ne tum quidem per factionem populi epiſcopatu amoveri potuiſſe.

VI. Porro Orientales, ad quos relatio miſſa fuerat a Romana ſynodo de damnatione Photini, reſcriptis ſuis inde occaſionem arripiunt iudicium quod de Athanaſio & Marcello latum fuerat in ſynodo Sardicenſi, callide ſubvertendi: quod tandem obtinuerunt in ſynodis Arelatenſi anno CCCLIII, & Mediolanenſi anno CCCLV. coactis. Color inde quaeſitus fuit quod Marcelli magiſterio Photinus perfidiam ſuam didiciſſet, in eo autem cauſſa Marcellum nunc eſſe, poſt ipſum Sardicenſe iudicium, ut Athanaſius ab eius communione ſibi temperandum eſſe duxerit. Itaque locum eſſe, etiam ipſius Athanaſii exemplo, rem Sardicae iudicatam retractandi. Excipit tamen Hilarius rectiſſime, Athanaſii factum reprobari nullo pacto poſſe, neque cum Marcelli communioni adhaeſit, ſynodi Sardicenſis auctoritatem ſecutus, quae calumniam creatam Marcello ob libri cuiuſdam ſinceri editionem diſcuſſerat, neque quum ab eius communione receſſit ob novas ſuſpiciones poſt ſynodum exortas, maxime quum Marcellus ipſe abſtinuerit Eccleſiae ingreſſu & ſe ipſum abdicarit ſine ſynodi auctoritate. Quod ultimum adiectum puto, ne Athanaſius in alienae dioeceſeos limites irrupiſſe videretur, Marcellum Ancyranum Galatiae Metropolitem, quae provincia erat Aſianae dioeceſeos, non autem Aegyptiacae, non ſolum communione ſua excludendo, quod ubique fieri poterat, ſed Eccleſiae Ancyranae ingreſſu prohibendo, etiam abſque ulla ſynodalis conventus auctoritate.

VII. Supereſt ut eum articulum, qui diſputationis erit cardo, liquido explicem, ſcilicet Photinum ſecunda vice in Romana ſynodo, non vero in Sirmienſi nunc recens excogitato, poſt Mediolanenſem fuiſſe

Digitized by Google

damnatum; vel ſi cautius loqui velimus, in priore quidem ſynodo, iam damnato Photino, in Romana de primae ſententiae executione diſceptatum. Id ſane ex ipſis Hilarii verbis mihi videor conficere, duplici argumento. Vnum eſt quod Vrſacius & Valens referantur ab Hilario *huius ſynodi opportunitatem* nacti, Romanae plebis Epiſcopum adiviſſe, & deprecatos eſſe ut per veniam in communionem admitterentur, Iulium ex Concilio veniam, quam orabant, impertiviſſe. Nempe fruſtra commendaretur captata ſynodi opportunitas, ut Iulius adiretur, niſi Romae coactam interpretemur; maxime ſi tanto intervallo a Roma coacta fuiſſet, videlicet Sirmii in Pannonia, ut aſſeritur. Iulius vero illos communioni reſtituit ex Concilio, inquit Hilarius, id eſt de Concilii ſententia. Ita enim ſcribendum & intelligendum puto. Secundum argumentum deſumitur ex iſtis Hilarii verbis, Photini haereſim a Romanis damnatam fuiſſe, id eſt, a ſynodo Romana, de qua agebat; praeſertim quum ad ſynodum Mediolanenſem niſi per vim apertam referri non poſſint. Quod tamen vir clariſſimus ſibi perſuaſit eo praetextu quod Legati Eccleſiae Romanae ei ſynodo Mediolanenſi interfuiſſent; quia ſola Legatorum praeſentia id obtinere non poteſt ut damnatio Photini profecta a Romanis eſſe videatur.

VIII. Vidit ante nos V. C. Sirmondus hoc loco de Romana ſynodo ſub Iulio habita tractari: ſed quod nos perpenſis verbis auctoris probavimus, id ille ſecundo ſuperiori argumento & praeterea coniectura quadam tuetur, quam trahit ex epiſtola Liberii Papae relata ab Hilario in fragmentis; qua Epiſcopis Orientalibus reſcribit ſe literas eorum accepiſſe ad Iulium deceſſorem ſuum ſcriptas, *de nomine Athanaſii & ceterorum factas*, inquit ille. Et ſubdit ſe Presbyteros urbis Romae Lucium, Paullum, & Helianum e latere ſuo Alexandriam ad Athanaſium Romam evocandum direxiſſe; ut quod Eccleſiae diſciplina exigit in eum ſtatueretur. Porro renuentem Athanaſium alienum feciſſe a communione ſua & Eccleſiae Romanae & a conſortio literarum eccleſiaſticarum. Haec eſt ſententia Liberii. Vnde colligit vir clariſſimus Orientalium Epiſcoporum litteras, Iulio directas, eas videri, quarum mentio iniecta eſt ab Hilario quum aſtutiam illorum in reſcribendo Occidentalium relationi de Photini damnatione planiſſime detegit, & Athanaſium iterum in iudicium trahendi, ſub colore communionis Marcello denegatae, propoſitum inſectatur. Tamen ut libere promam quod ſentio, litterae iſtae Orientalium non pertinent ad reſcriptionem, cuius meminit Hilarius; tum quod in his aperte accuſatur Athanaſius & γυμνῃ κεφαλῃ ut patet ex verbis Liberii, quum tamen apud Hilarium clanculum & per inſidias ſub nomine Marcelli reſcripto Orientalium peteretur; tum quod temporis ratio non patitur ut tot annis dilata fuerit reſponſio, ſcilicet ab anno CCCXLIX. qui eſt annus ſynodi Romanae, uſque ad annum CCCLIII. qui eſt primus ſedis Liberii. Nolim

lim autem, hanc epiſtolam Liberii alio tempore ab eo ſcriptam cenſeri, quam quum vi & minis Conſtantii ceſſit, & Athanaſii repetitae damnationi conſenſit; ad quam rem quum ſibi viam pararet, totam illam tragoediam a capite arceſſivit, Orientalium querelas ad Iulium commemorans & Legationem, quam ipſe Liberius longo poſt intervallo ad Athanaſium miſerit, qui contumacia ſua negationem communionis videatur provocaſſe. Narratione hoc modo inſtituta ſolvetur nodus, quem Nicolaus Faber in praefatione ad Hilarii fragmenta dignum ornatiſſimo annalium eccleſiaſticorum conditore putat, & facile componentur iſta quae ſunt in ſpeciem pugnantia; nempe Liberium profeſſum eſſe epiſtola luculenta apud Hilarium, ſe damnationi Athanaſii aſſenſum praebere nolle, & tamen ei communionem ſuam denegare epiſtola iſta quam tractamus.

IX. Inſpiciendum nunc eſt ad quem annum referenda ſit Romana ſynodus. Sub Iulio habitam teſtatur libellus ab Vrſacio & Valente illi oblatus. Porro quum V. C. Petavius apertiſſime probet ex Athanaſio, reconciliationem Vrſacii & Valentis contigiſſe ſuperſtite Conſtante Imperatore, qui XV. Kalendas Februarii anni CCCL. interemptus eſt, ſane dicendum eſt, Romanam ſynodum ſub finem anni CCCXLIX. collocandam ante obitum Conſtantis, ubi reponit ille ſuam novam ſynodum Sirmienſem. Plane de illo capite dubitari non poteſt, quum reſtitutio Vrſacii & Valentis, non ſolum illa, quae decreta eſt in Mediolanenſi ſynodo, ſed plena & integra communionis cum Eccleſia Romana reſtauratio, peracta ſit ante obitum Conſtantis. Quod evincitur, non ſolum ex Athanaſii loco a viro clariſſimo prolato, ſed etiam ex epiſtola Oſii ad Conſtantium Imperatorem. *Cur toleras*, inquit, *Valentis & Vrſacii criminationes, quum profeſſi fuerint ſcripto ſe calumniam feciſſe? Id enim confeſſi ſunt, non per vim, ut ipſi cauſantur, quum nulli milites adeſſent, & frater tuus neſciret,* ὀυκ ἐιδοτος του ἀδελοφου σου. *Nihil enim tale ſub ipſo agebatur qualia nunc fiunt; ſed illi ultro Romam venerunt, & coram Epiſcopo Presbyteriſque ibi praeſentibus ſcriptum dederunt, quum prius pacificam epiſtolam ad Athanaſium dediſſent.* γραψαντες πρωτον τῳ Ἀθανασιῳ φιλικην καὶ ἐιρηνικην ἐπιστολὴν.

X. Biennio praeceſſit Romanam ſynodus Mediolani habita ut in Photini cauſſam inquireretur, quemadmodum diſerte docet Hilarius. Numeroſiorem eſſe ſynodum oportebat, quum de ſtatu metropolitani Epiſcopi & de cauſſa fidei ageretur. Itaque & Italicae dioeceſis, cuius caput erat Mediolanum, & Illyricianae, ex qua erat Photinus, & Vrbicariae, ſeu Romanae dioeceſeos affuiſſe Epiſcopos, non eſt dubium; quum Eccleſiae Romanae Legatos huic ſynodo Mediolanenſi aſtitiſſe teſtetur Hilarius, & celebratam fuiſſe praeſentibus Romanae Eccleſiae Presbyteris doceat epiſtola ſynodi Ariminenſis. Praeſentibus, inquam, Roma-

nae Eccleſiae Legatis, non autem Conſtantino praeſente, ut ſe habet lectio epiſtolae Concilii Ariminenſis apud Hilarium, quae laborat interpunctione. Itaque ſenſus reſtituetur, ut idem cum eadem epiſtola ab Athanaſio & Socrate relata ſignificet, ſi interpunctio ponatur poſt haec verba, *Eccleſiae Romanae. Conſtantino praeſente in hoc, quum magno examine fuiſſet conſcriptum, quod tenens, baptizatus ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde aliquid mutilare*. In hoc, id eſt, in Nicaeno tractatu, cuius meminit ſuperius. Sane conventum iſtum Mediolanenſem catholicorum Epiſcoporum fuiſſe recte probat V. C. Petavius, tum ex Legatorum Romanae Eccleſiae praeſentia, tum ex verbis Hilarii, qui docet ſatis liquido in ea ſynodo Arianam haereſim proſcriptam fuiſſe; tum praecipue quod Vrſacius & Valens qui a Sardicenſi ſynodo abſtenti fuerant, rogata venia in gratiam recepti ſunt; ut docet epiſtola ſynodi Ariminenſis, & ipſe libellus oblatus Iulio ab Vrſacio & Valente apud Hilarium. Itaque quum apertiſſime conſtet, Mediolanenſem hanc ſynodum & Romanam habitas eſſe poſt ſynodum Sardicenſem & ante obitum Conſtantis, id eſt, ab anno CCCXLVII. ad initium anni CCCL. & Mediolanenſis biennio Romanam praecedat, neceſſario ſequitur, primam cadere ſub finem anni CCCXLVII. aut exordium CCCXLVIII. Romanam vero in annum CCCXLIX. deſinentem.

XI. Hic gravis quaeſtio, quae viros doctiſſimos exercuit, non eſt diſſimulanda. Auctor enim diatribae, fultus Hilarii teſtimonio & ipſo libelli ſupplicis ab Vrſacio & Valente porrecti exemplo, veniam & Eccleſiae pacem a Iulio Papa impetraſſe ambos illos haereticorum duces ab errore reſipiſcentes docet. Vnde robuſte colligere ſe putat eos non fuiſſe reſtitutos in ſynodo Mediolanenſi, quae biennio praeceſſerit pacem illis a Iulio datam. Quare ſibi perſuadet per errorem huius reconciliationis Mediolani peractae mentionem factam in epiſtola ſynodica Concili Ariminentis. Auctor diſſertationis excipit fruſtra inici ſuſpicionem mendi in ea epiſtola, quae totidem verbis deſcripta ſit ab Athanaſio, Socrate, Theodoreto, Sozomeno; & cuius ſynopſis referatur in fragmentis Hilarii; ubi patres teſtantur Vrſacium & Valentem veniam ſcripto petiviſſe & impetraſſe, ea vero geſta fuiſſe cum Mediolani conventus ſynodi haberetur praeſentibus Romanae Eccleſiae Presbyteris. Idem omnino teſtari ait Liberium Papam in colloquio quod illi cum Imperatore Conſtantio interceſſit, quod refert Theodoretus. Cur autem repetita fuerit illa reconciliatio, rationes a ſcriptoribus non eſſe memoriae proditas, ut nec multorum eventum, de quibus dubitare ſit nefas.

XII. Mihi autem videtur nihil novum aut inſolens in reſtitutione communionis Vrſacii & Valentis accidiſſe, ſed omnia rite & ſecundum canones peracta. Duo iſti adoleſcentes imperiti, ut loquitur Conci-

cilium Sardicenſe, degebant in Occidentis imperio ſub principatu Conſtantis Principis. Occidentalium Epiſcoporum ſententia deiecti erant, non ſolum a communione Eccleſiae, ſed etiam a ſedibus ſuis. Relatio ſynodi ad Conſtantem facta fuerat, ut executioni mandanda curaret quae decreta fuerant Sardicae. Quid agerent Vrſacius & Valens, ut periculo ſedium amittendarum defungerentur, quam ut ſtatim reſtitui in communionem poſtularent, depoſita haereſi? Id vero conſequi non poterant alibi quam in numeroſa Epiſcoporum ſynodo, ex praeſcripto canonum. Ideoque ſynodi Mediolanenſis opportunitatem nacti, libello ſuo Arianam haereſim eiurant, Ariumque & eius ſatellites anathematizant; ut ipſimet fatentur in libello, quem deinde obtulerunt Iulio. Synodus eis pacem Eccleſiae indulſit, & ſententiae adverſus eos in Sardicenſi Concilio latae gratiam fecit; ut docet epiſtola ſynodica Concilii Ariminenſis. Reſtitutio illa communionis accepta fuit Iulio Papae: qui hac de re certior factus, iuxta ſynodi Mediolanenſis decretum communionem ſuam illis impertivit. Quod fatentur his verbis in libello oblato Iulio: *Maxime quum ſanctitas tua, pro inſita ſibi benevolentia, errori noſtro veniam fuerit dare dignata.*

XIII. Verumtamen id unum videtur Iulius ab iis exegiſſe, ut Athanaſii communionem amplecterentur, de quo iudicium tuliſſet Sardicenſis ſynodus, & ut omnibus ſcripto teſtarentur, ſe per calumniam accuſationes in Athanaſium intendiſſe. Aegrum illis erat ſcripto ſibi calumniae notam inurere. Itaque litteris ſuis eos convenit Iulius ut ſtarent promiſſis, quod illi ſe proxima quaque die impleturos epiſtola ſua ſignificarunt. Cum autem tempus traherent, & in eas anguſtias ſe redactos viderent, ut a communione Eccleſiae proiiciendi forent, ſi longiores moras necterent, occaſione ſynodi Romanae uſi Iulium adeunt, & ſcripto profitentur ſibi falſo ſuggeſta fuiſſe ea crimina, quorum reum Athanaſium fuiſſe docuerant. Itaque ſe Athanaſii communionem amplecti. Haec eſt libelli Iulio oblati ſententia, ut patebit ſi quis verba recte perpenderit. *Quoniam conſtat, nos antehac multa gravia de nomine Athanaſii Epiſcopi litteris noſtris inſinuaſſe, atque litteris ſanctitatis tuae conventi*, (lege *conventos*) *eius rei, de qua ſignificavimus, non praeſtitiſſe rationem, profitemur apud ſanctitatem tuam cunctis praeſentibus Presbyteris fratribus noſtris, omnia quae antehac ad aures noſtras pervenerunt de nomine praedicti, falſa nobis eſſe inſinuata, atque omnibus viribus carere, atque ideo nos libentiſſime amplecti communionem praedicti Athanaſii; maxime quum ſanctitas tua, pro inſita ſibi benevolentia, errori noſtro veniam fuerit dare dignata.*

XIV. Tamen non eſt praetermittendum, e verſione Athanaſii, apud quem libellus iſte Graece perſcriptus habetur, alium ſenſum educi poſſe, ſcilicet Valentem & Vrſacium pacem quidem adeptos Mediolani,

ni, Ario anathematizato, ſed ab Athanaſii communione ſe ſuſpendiſſe intra certum tempus, quo fidem facerent eorum criminum quae Athanaſio obiecta fuerant; conventos autem a Iulio non potuiſſe implere probationem, cui ſe aſtrinxerant; ideoque cum viderent, aut cadendum a communione Eccleſiae, aut communicandum Athanaſio, profeſſionem ſuam obtuliſſe Iulio; qua teſtantur falſo ſibi ſuggeſtum fuiſſe contra Athanaſium, & eius ſe communioni adhaerere velle του πραγματος χαριν περι ού ἐδηλωσαμεν ὀυκ ἠδυνηθημεν λογον ἀποδουναι.

XV. Sed parum intereſt quo pacto iſta explicentur, quum ex utraque interpretatione id liquido conſtet, veniam illis fuiſſe conceſſam Mediolani ea conditione, ut aut Athanaſium reum peragerent, aut calumniam paſſum eſſe faterentur, & hoc caſu communionem eius amplecterentur delatores. Quod ultimum quum feciſſent ſcripto, calumniae ſuae poenitentes, plena illis, pura, & integra reſtitutio abſque conditione eſt indulta. Hoc eſt quod urget Hilarius, dum ſcribit in fragmentis, eis reditum ad catholicam fidem cum communione donatum. Si enim haec verba rigide acciperentur, quaſi tunc primum in Eccleſiam recepti fuiſſent, pugnarent non ſolum cum epiſtola ſynodi Ariminenſis, quae veniam & pacem conceſſam Mediolani fatetur, ſed etiam cum hoc libello, quo nulla venia nunc de novo petitur, ſed iam fuiſſe ante hunc libellum conceſſa oſtenditur. Quod etiam verſio Graeca liquido exprimit ἡ θεοσεβεια σου κατα την ἐμφυτον ἀυτȣ καλοκαγαθιαν τῃ πλανῃ ἡμων κατηξιωσε συγγνωμην δουναι. Itaque non eſt quod viri docti non liquere dicant, cur venia ſemel indulta Valenti & Vrſacio in ſynodo Mediolanenſi iterum indulgeatur in ſynodo Romana; quum ea quae ſub conditione conceſſa ſunt, eveniente conditione poſſint & debeant iterum pure concedi, vel, ſi mavis, confirmari.

XVI. Porro Liberius in colloquio apud Theodoretum docens, Valentem & Vrſacium libellos in ſynodo dediſſe, quibus veniam rogabant ob ea quae in Mareote provincia per calumniam eremodicio iudicio ſeu ex una parte ἐκ μονομερους confecta fuerant, non debet accipi de ſynodo Mediolanenſi, ſed de ſynodo Romana, ubi calumniam criminum Athanaſio obiectorum nunc primum profitentur, quum in ſynodo Mediolanenſi, ſolum Arianae haereſi renuntiaſſent, ut patet ex lectione libelli Iulio oblati ſub finem. Liberius autem falſitatem accuſationis delatae adverſus Athanaſium explicat, non iis verbis generalibus, quae concepta ſunt libello, ſed ἐξηγητικως, potiori capite illius accuſationis indicato, nempe fabula Mareotica. Hic, per occaſionem veram lectionem reſtituo in libello Vrſacii & Valentis: *Profitemur etiam quod ſi aliquando nos Orientales voluerint, vel idem Athanaſius, malo animo ad cauſſam vocare, citra conſcientiam tuam non adfuturos.* Legendum enim, *vel idem Euſebius*, e verſione Graeca Athanaſii. Vis autem profeſſionis in eo conſiſtit, quod his verbis renuntiant ſyno-

nodis Orientalium, & ſe coetibus Occidentalium adiungunt, licet Illyriciana dioecesis, in confinio Orientis & Occidentis poſita, ſibi liberum exiſtimaret eligendi quas vellet partes, ut docemus alibi accurate.

XVII. Si cui autem haereat ſcrupulus, cur non longo tempore a ſynodo Sardicenſi altera ſynodus Mediolani indicatur, poterit eximi facili negotio, ſi perpendamus tribus de cauſſis eum conventum neceſſarium fuiſſe. Prima eſt ut decreta ſynodi plenariae nota fierent ſynodis particularibus cura & ſtudio Metropolitarum & Exarchorum, praecipueque Romani Epiſcopi diligentia. In eum itaque finem ſtatim poſt Concilium oecumenicum provinciales ſynodi cogebantur. Secunda cauſſa, quae nunc copioſiorem ſolito ſynodum requirebat, fuit diſſidium illud Orientalium Epiſcoporum, qui Sardica diſceſſerunt, & Sardicenſis ſynodi nomine ad Imperatores Conſtantium & Conſtantem & ad univerſas Eccleſias litteras dederunt. Itaque ut huic vulneri mederentur Epiſcopi Occidentales, opus illis fuit auctoritate Conſtantis Imperatoris, qui Mediolani reſidebat, quo noſtri ſe tranſtulerunt, & ſynodum habuerunt in eadem urbe, ut turbis excitatis ad impediendum reditum Athanaſii praeſto eſſet auxilium & conſilium Occidentalium. Tertia cauſſa, eaque graviſſima, fuit damnatio Photini; quae non poterat peragi niſi in maiore & numeroſiore Epiſcoporum ſynodo. Haec eſt enim prima Photini damnatio; ut diſerte docet Hilarius in fragmentis, dum ait Marcellum communione Athanaſii privatum poſt ſynodum Sardicenſem *anteriore tempore quam Photinus arguitur*. Vt hinc pateat & paullo poſt ſynodum Sardicenſem Athanaſium (qui caput iſtud, admiſſi in communionem Marcelli, valde urgeri videbat ab Orientalibus qui Sardica diſceſſerant) a ſua communione ſeparaſſe Marcellum ante reditum in Orientem, & in ſynodo Mediolanenſi damnatum primo fuiſſe Photinum; etſi repetito iudicio, in Romana ſynodo, & poſtea in Sirmienſi, ſit confectus Photinus. Et ſic Athanaſius, exemplo communionis a ſe denegatae Marcello, praebuit auctoritatem iis, quae gerenda erant in Photinum, ut loquitur Hilarius, cuius mentem breviter expreſſimus. Itaque menſes aliquot neceſſe eſt interceſſiſſe inter Sardicenſe & Mediolanenſe Concilium. Neque enim biennium illud Hilarii per momenta eſt computandum, ſed benignius, ut partem utriuſque anni, primi & ſecundi, complectatur.

XVIII. Ad Photini damnationem quod attinet, diſcedere non poſſum ab Hilario, quin exiſtimem in Mediolanenſi ſynodo primo fuiſſe decretam; maxime quum epiſtola ſynodica Concilii Sardicenſis Orientalium, etſi debacchetur contra Marcellum ob novam haereſim ab eo promulgatam, recenſeatque eius condemnationem in ſynodo Conſtantinopolitana ſub Conſtantino Principe, Photini Epiſcopi a praeceptore Mar-

cel-

cello ſeducti vel etiam damnati ne verbum quidem faciat. Itaque Severo non eſt fides adhibenda, qui damnatum cum Marcello Photinum ſcribit; niſi quatenus per conſequentiam in auctore damnata haereſis, praeiudicio quodam damnata eſt in diſcipulo. Quod attinet ad ſecundam Antiochenam ſynodum, cuius confeſſio refertur ab Athanaſio, in ea perſtringitur ambigue Photinus ſub nomine Scotini, quaſi eadem cum Marcello ſentiret, & ſevere anathema profertur in impietatem illam, cuius ſuſpicione iam tunc laborabat Photinus. Sed prima Photini damnatio directis verbis in eum ut manifeſtum haereticum concepta tribuenda eſt ſynodo Mediolanenſi. Niſi malimus facilius ita Hilarium cum ſynodo Antiochena componere, ut prima damnatio, quae Photino ſit inflicta in Occidente, pertineat ad ſynodum Mediolanenſem, qui iam fuerat damnatus in Oriente a ſynodo Antiochena ſub Conſtantio. Vt recta ſit Epiphanii correctio, quam vir clariſſimus in ſuis animadverſionibus protulit; nec eſt quod eius emendationis eum poeniteat.

XIX. Sed, ut redeamus ad ſynodum Mediolanenſem, laudanda eſt V. C. Sirmondi obſervatio: qua poſita, deiicitur e praeſidio alter vir doctiſſimus quod ad ſynodi iſtius aſſertionem validum exiſtimabat. Petitum illud erat ex epiſtola Liberii Papae ad Conſtantium, qua Pontifex teſtatur, Demophilum, Macedonium, Eudoxium, & Martyrium Epiſcopos ante annos octo Mediolani ſententiam Arii noluiſſe damnare & iratis animis e Concilio exiviſſe. Etenim ſi ſcripta ponatur epiſtola anno CCCLIV. ut cenſuit Baronius, non autem CCCLV. ut putabat vir doctus, demtis annis octo incidet conventus ille Mediolanenſis in annum CCCXLVI. qui ſynodum Sardicenſem anteceſſit; cuius Concilii epiſtolae ſynodicae ab Arianis editae Demophilus ille, Macedonius, & Eudoxius ſubſcripſerunt poſt diſceſſum a Mediolano, quo ſe contulerant ab Orientalibus Epiſcopis ad Conſtantem miſſi ut Athanaſii damnationem tuerentur. Tamen non eſt omittendum, eundem virum clariſſimum in ſua diatriba alienam ſententiam affingere Hilario; quum exiſtimat damnationem Photini in Concilio Mediolanenſi, ab Hilario commemoratam, trahendam ad Concilium illud Mediolanenſe, quod coactum fuit anno trecentiſimo quinquageſimo quinto. Certum quidem eſt ex epiſtola illius ſynodi prolata a Baronio damnatos ibi fuiſſe Marcellum, Photinum, & Athanaſium. Sed hic conventus Arianorum fuit; ut omnes fatentur, & docet ipſa Athanaſii damnatio. At vero conventus Mediolanenſis, de quo Hilarius, conflatus erat ex Epiſcopis catholicis, & habitus fuit anno CCCXLVII. ut ſuperius eſt demonſtratum. Itaque duplex ſynodus Mediolanenſis ſtatuenda eſt in qua Photinus damnationem exceperit. Prima eſt Hilario dicta, ex Epiſcopis catholicis compoſita, & coacta anno trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Altera eſt Arianorum ſynodus anno CCCLV. qui damna-

nationem Athanaſii cum Photino coniungunt. Quod Hilarius ſine exprobratione non praetermiſiſſet, ſi eius feciſſet mentionem.

XX. His poſitis, reſtat ut inquiramus in tempus ſynodi Sirmienſis, quae coacta eſt ad damnandum Photinum. Vir iſte & facundiae nomine commendabatur, & flagrantiſſima gratia valebat apud Principem. Itaque magno conatu opus erat ut a ſede pelleretur. Imo vero, ut regulis quae tunc obtinebant adhaereamus, quum fidei cauſſa ageretur, neceſſe erat Orientis Epiſcopos in unam ſententiam conſpirare cum Occidente, ut haereſis profligata cenſeretur. Itaque relatione decreti adverſus Photinum miſſa ab Occidentalibus in Orientem ex more, ut docuit Hilarius, quid erat reliquum, niſi ut iuſſu Conſtantii Imper. Orientales Sirmium ſe conferrent, ut damnatione Photini ſuffragiis tot Epiſcoporum confirmata, haereſis confoderetur? Sane Concilium illud Sirmienſe ex Orientalibus Epiſcopis conflatum fuit., ut ſcripſit Hilarius, ſeu, ſi mavis loqui cum Vigilio, ex toto Oriente. Ex ea ſane ſatis eleganti coniectura ſequitur, non longo intervallo temporis abfuiſſe ſynodum Sirmienſem a ſynodo Romana, unde profecta fuerat relatio ad Orientales. Hoc etiam aperte docet Hilarius, dum ait: *Verum inter haec Sirmium convenitur*. Quaenam autem eſſet horum verborum ſententia ſuperius diximus. *Inter haec*, id eſt: Dum libellus Vrſacii & Valentis mittitur in Orientem, & Orientales litteris ſuis res Sardicae iudicatas per inſidias refricare conantur ſub praetextu damnationis Photini, & communionis Marcello denegatae ab Athanaſio.

XXI. Conſtituatur ergo Romana ſynodus, ut antea dixi, in anno trecenteſimo quadrageſimo nono. Poterit haberi ſynodus Sirmienſis, ex mente Hilarii, anno CCCLI. quae eſt Socratis & viri clariſſimi aſſertio. Reclamat ille tamen, & ſynodum Sirmienſem Hilarii aliam a Sirmienſi Concilio Orientalium omnino eſſe pertendit, hac praecipue ratione quod in iſto Photinus exauctoratus eſt, ut docent Sozomenus & ceteri hiſtorici, in illa vero teſtatur Hilarius, populi tumultu id effectum, ut epiſcopatu amoveri non poſſet. Hoc argumento tantum abeſt ut dimovear a mea ſententia, quin potius inde illi fulciendae ſubſidium petam. Etenim certum eſt ex Epiphanio & Socrate, damnatum Photinum ex more illius ſeculi a ſynodo ad Imperatorem provocaſſe. Conſtantius dedit iudices ex aula. In eo autem magiſtratuum conſeſſu Baſilius Ancyranus a ſynodo delectus ut cauſſam communem ageret, poſtquam diu cum Photino verbis conflixiſſet, hominem diſputatione oppugnavit; qui victus in exilium eſt actus. Itaque ſupereſt locus conciliandi Hilarii cum Sozomeno hac ratione. Photinus damnatus eſt in ſynodo Sirmienſi; ſed populo per ſeditionem intercedente, & Epiſcopo damnato ad Principem provocante, iudicium non eſt executioni demandatum. Tamen iudicum a Principe datorum

ſententia Photinus meritas haereſeos & impudentiae poenas dedit, in exilium actus.

XXII. Hoc iacto fundamento, profligata eſt altera quaeſtio de fidei formula ab Oſio ſubſcripta terrore, minis, & verberibus coacto, ut ipſe moriens profeſſus eſt, teſte Athanaſio; qua ut concordiae inter diſſidentes Epiſcopos ratio iniretur, ὀυσια, ὁμοουσιον, & ὁμοιουσιον reticentur, tamquam vocabula a ſcripturis non depromta. Tempus huius formulae cadit in annum CCCLVII. ut conſentiunt omnes. Ergo non fuit edita in ſynodo Sirmienſi, quae coacta fuit contra Photinum anno trecenteſimo quinquageſimo primo. Et hic Socratem hallucinatum fuiſſe, qui contrarium ſcribat, ſane fatendum eſt.

XXIII. Equidem Sirmii conceptam fuiſſe illam formulam in altera Epiſcoporum Illyricianae dioeceſeos, & aliorum, qui aderant in comitatu Principis, ſynodo docet ipſum formulae exordium. *Quoniam de fide deliberationem aliquam fieri placuit, diligenter omnia tractata ſunt & inquiſita Sirmii; praeſentibus Valente & Vrſacio ac Geminio ac ceteris.* Valens erat Murſae in Moeſia Epiſcopus, Vrſacius Singiduni in Pannonia, Germinius Sirmii, quae civitates ſunt in Illyriciana dioeceſi. Ergo in ſynodo Sirmienſi editam fuiſſe blaſphemam Oſii formulam dicendum erit cum Hilario, Phoebadio, & Vigilio. Frequentes erant illa aetate ſynodi; ut in eo haerendum non ſit, quod plures in eadem civitate intra breve tempus ſynodos coactas fuiſſe legamus. Itaque in conventu Sirmienſi, non illo plenario totius Orientis, ſed Illyricianae dioeceſeos, expreſſa fuit Oſii formula: quod adeo aperte docet Hilarius, ut eius teſtimonium nulla cavillatione poſſit eludi. Etenim recitata fidei formula edita in ſynodo Sirmienſi coacta contra Photinum, recenſet alteram formulam blaſphemiae apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptae. De hac ſecunda formula ait diſerte eam *non olim tunc, quum Photinus epiſcopatu deiectus eſt conſcriptam eſſe*. Quo quid apertius ad hanc rem dici poteſt?

XXIV. Nobilis autem & elegans eſt illa viri clariſſimi obſervatio, qua evincit in ſynodo Sirmienſi plenaria Orientalium Epiſcoporum non fuiſſe conceptam Oſii formulam, ex eo quod Baſilius Ancyranus eius ſynodi fere princeps non paſſus fuiſſet eius formulae interpolationem, (quae illum latere non potuiſſet, utpote quae Principis Conſtantii minis ſit exorta) cum tantis animis eam formulam a Conſtantio revocari, coacta in eam rem ſynodo Ancyrana, petiverit ſtatim atque in Orientem ecthefeos illius Oſianae cognitio penetravit. Imo vero non adeo obnixe poſtulaſſet ea quae Sirmii decreta fuiſſent confirmari, nulla habita exceptione, ſi eodem tempore perfidiae Oſianae formula Sirmii fuiſſet ab Epiſcopis concepta.

SY-

SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

SYNODVS Mediolanenſis, cuius meminit Liberius.

Synodus Mediolanenſis conflata ex Epiſcopis catholicis, in qua damnatur Photinus, & Valens & Vrſacius in communionem recipiuntur. *Ex Hilario in fragmentis & epiſtola ſynodica Concilii Ariminenſis*.

Synodus Romana ſub Iulio, in qua Valens & Vrſacius communionem Athanaſii ampleĉtuntur, & de Photini expulſione traĉtatur. *Apud Hilarium in fragmentis*.

Synodus Sirmienſis plenaria, ubi Photinus ab orientalibus condemnatur; cuius meminit Hilarius in fragmentis, qui eam conſtituit biennio poſt ſynodum habitam ſub Iulio, e Socrate.

Synodus Mediolanenſis Arianorum, in qua Photinus, Marcellus, & Athanaſius damnantur.

Synodus Sirmienſis Illyricianae dioeceſeos, in qua Oſius ſubſcribit formulae ab Vrſacio & Valente prolatae.

DISSERTATIO.

De patria Vigilantii.

I. DE patria virorum illuſtrium certaſſe legimus claras civitates, ſingulis ſibi natales eorum pertinaciter vindicantibus, ut ex ſplendida illorum fama ſuam augerent. Longe diverſo conſilio de Vigilantii patria differendum, qui monſtri horrendi inſtar in ultimas oras a nobis amandandus eſſet potius, quam in Gallicanae ullius urbis civem aſciſcendus. Sed quia hiſtoriae fides unam prae ceteris veritatem colit, indecorum eſſet in alias regiones invidioſum nomen refundere; praeſertim quum ex hominis unius ſacrilegio nulla pars infamiae patrium ſolum attingat. Vigilantium patria Pampilonenſem docuit Ioannes Valaeus in chronico. Baronius vero Calagurritanum in Hiſpania, teſte, ut ſibi videtur, locuplete Hieronymo, tam conſtanter aſſerit, ut acrius in Gennadium invehatur, quod Gallum eſſe ſcripſerit in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. XXXV. Nos autem, qui alieni a partium ſtudio, verum profiteri didicimus, Galliae parenti aborſum iſtum, ſeu mavis monſtrum, cum Hieronymo dicere adiudicamus: qui in Galliis quoque haereſim ſuam publicavit, licet delicatiores Hiſpani Barcinone id factum ſcribant?

II. Vt probem ſententiam meam, vel potius Gennadii Maſſilienſis, adeoque Galli, non remoti ab illis temporibus ſcriptoris, cuius ideo auĉtoritatem non erat quod hac in re tam facile Baronius elevaret,

nitar Hieronymi teſtimonio, ex cuius vera interpretatione tota pendet huius controverſiae definitio. Quae Gallum faciunt Vigilantium duo ſunt apertiſſima loca, quae nulla cavillatione ſubverti vel eludi poſſunt. Qui Calagurritanum in Hiſpania doceat, unus eſt locus: qui ſi conniventibus vel potius luſciciosis oculis inſpiciatur, ut favere huic opinioni videtur, ita acrius intuentibus aliam omnino ſpeciem praefert.

III. Muniamus ſententiam noſtram antequam alterius praeſidia expugnemus. In ipſo operis adverſus Vigilantium exordio ait Hieronymus, multa in orbe monſtra generata fuiſſe, quorum aliqua enumerat. Mox addit. *Triformem Geryonem Hiſpaniae prodiderunt. Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis abundavit. Extortus eſt ſubito Vigilantius &c.* Nihil diſertius potuit dici, ut originem hominis non in Hiſpania, ſed in Gallia quaereremus. Sed liberat nos iſto labore Hieronymus, qui ad ipſos pene hominis lares nos manu ducit. Saltem patrinam liquido ait eſſe Convenarum urbem ad radices Pyrenaei, quae deductis eo Hiſpanarum regionum fortioribus viris, a Pompeio Magno condita eſt, ſcilicet ut pacatiorem poſt diſceſſum ſuum relinqueret Hiſpaniam. Alioqui quod magnum operae pretium feciſſet, vilem latronum & graſſatorum gregem in Aquitaniae regione includendo? Libuit tamen Hieronymo, in Vigilantium excandeſcenti originis illi contumeliam exprobrare; arrepta ex Tito Livio locutionis occaſione, qui aliquoties obiurgat Hiſpanos quod bellantes latrocinia potius quam militiam exercerent. Sic ergo loquitur Hieronymus de Vigilantio: *Nimirum reſpondet generi ſuo, ut qui de latronum & convenarum natus eſt ſemine; quos Cn. Pompeius, edomita Hiſpania, & ad triumphum redire feſtinans de Pyrenaei iugis depoſuit, & in unum oppidum congregavit, unde & Convenarum urbs nomen accepit.* Deinde ut ſciretur quibus ex Hiſpaniae populis conflata erat colonorum multitudo, qui a Pompeio deducti erant, ſubiungit elegantem periodum, dummodo levi emendatione iuvetur lectio, quae in editionibus vitio laborat. *Huc uſque*, inquit, *latrocinetur contra Eccleſiam Dei*, & (lege *nec*) *de Vectonibus, Arebacis Celtiberiſque deſcendens, incurſet Galliarum Eccleſias, portetque nequaquam vexillum Chriſti, ſed inſigne diaboli.* Ex Vectonum, Arevacorum, & Celtiberorum populis, qui vicini ſunt apud Plinium, & fortitudinis fama apud veteres inclyti, delecti ſunt milites, qui deſcendentes in Aquitaniam, Convenarum urbem incolerent; atque adeo Vigilantius indidem vetuſtam originem trahebat. Unde colligit acriter Hieronymus, ſi ex origine peti poſſit auctoritas latrocinii exercendi, coercendam eſſe Vigilantio depraedandi licentiam & latrocinandi contra Eccleſiam Dei extra urbis ſuae ſinum, quae tam infauſtis auſpiciis dicata eſt, non autem incurſandi ceteras Galliarum Eccleſias

ve-

vexillo Chriſti praelato & Chriſtianae fidei teſſera; quum potius penes Vigilantium haereſeos auctorem, & propagatorem ſit inſigne diaboli, ementitus ille Chriſtianae religionis titulus.

IV. Subiungam tertium teſtimonium, quo & in Gallia ortum Vigilantium & in Galliis venenum ſuum ſparſiſſe probatur. *Galliae vernaculum hoſtem ſuſtinent, & hominem moti capitis atque Hippocratis vinculis alligandum ſedentem cernunt in Eccleſia*. Vnde quoque conficitur, etſi apud Gennadium dicatur Vigilantius parochiae Eccleſiam rexiſſe in urbe Barcinonis, id referendum ad prius aliquod tempus. Familiaris fuerat vir iſte ſanctiſſimo & nobiliſſimo viro Paulino Nolano Epiſcopo, ut patet ex mutuis Paulini & Hieronymi epiſtolis, qui domo Aquitanus, e Burdegalà, Vigilantium Aquitanum quoque e Convenis ſocium itineris & fortaſſe ordinationis habere potuit; eo diſcrimine, ut hic a Paulino commendatus matriculae & canoni Barcinonenſi ſub Presbyteri nomine adſcriptus ſit, Paulino interim libera & nulli Eccleſiae adſtricta ordinatione collata, quod ſolis egregiis perſonis beneficium conferebatur, ut Paulino iſti, Hieronymo noſtro & paucis aliis. Ea tempeſtate fuerit e clero Barcinonenſi, ut teſtatur Gennadius: videtur tamen poſtea in Galliarum Eccleſiam aliquam transmigraſſe, ubi ſedens docebat, quod eſt Epiſcoporum & Presbyterorum proprium. Non me latet, peregrinis ſacerdotibus indultam olim facultatem ut in aliena Eccleſia populum alloquerentur, ſed aliquando, non autem munere perpetuo, quod iſthic videtur tribui Vigilantio. Id ſaltem negari non poteſt, blaſphemias a Vigilantio propoſitas in Galliarum Eccleſiis. Quare dubitandum non eſt, ſanctos Presbyteros Riparium & Deſiderium Gallos fuiſſe, non Hiſpanos, ut vulgo putant, qui dolebant parochias ſuas vicinia iſtius fuiſſe maculatas, ut ait Hieronymus. Vnde quoque colligitur, quod iam dicebam, adſcriptum fuiſſe illa tempeſtate Vigilantium alicui in Galliis Eccleſiae. Quod altero quoque diſerto teſtimonio probatur: *Quia ad radices Pyrenaei habitas, vicinuſque es Iberiae, Baſilidis antiquiſſimi haeretici & imperitae ſcientiae incredibilia portenta proſequeris &c.*

V. Qui Calagurritanum ac proinde Hiſpanum fuiſſe Vigilantium exiſtimant, eum proferunt Hieronymi locum qui hominem iſtum cum claro illo oratore Quintiliano committit, & Calagurritanum fuiſſe ſignificat. Porro certum eſt Quintiliani patriam fuiſſe Calagurrim in Hiſpania. *Iſte caupo Calagurritanus*, inquit, *& in perverſum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miſcet aquam vino, & de artificio priſtino ſuae venena perfidiae catholicae fidei ſociare conatur*. Si aliquid intelligo in dicendi genere Hieronymiano, cognominem fuiſſe utriuſque patriam ſignificat, ſed longiſſimo inter ſe differre intervallo; cum patria Quintiliani ſit Calagurris in Hiſpania, coloniae dignitate ornata quondam, Vigilantii autem ſit viculus Calagurris,

nempe propter urbem Convenarum. Vnde aliud quoque prodit diſcrimen, hunc eſſe mutum Quintilianum, alterum vero celebrem & inſigni eloquentia rhetorem. Ceterum perſtringit ardelionem iſtum quod cauponariam exercuerit ea fide, qua ſolent huius negotiationis artifices, nempe miſcendo aquam vino; quam fraudem in religionis doctrinam invehere conetur, perfidiam genuinae fidei conſociando. Cauponum illud vitium faceto diſticho inſinuat Martialis, ludens in cauponem Ravennatem, qui fraude collegis ſuis contraria, vinum etiam non rogatus miſcebat aquae ob illius penuriam in urbe Ravenna; quae paludibus cum reſtagnet undique, limpidae aquae ſcaturiginibus caret.

Callidus impoſuit nuper mihi caupo Ravennae.
Quum peterem mixtum, vendidit ille merum.

DISSERTATIO DE ORIGINE

Et progreſſu cultus beatae Mariae virgini in Monteſerrato exhibiti.

I. QVVM piorum locorum vetuſtas auctoritatem ipſis, non ſolum apud vulgus, ſed apud viros graves & prudentes harum rerum aeſtimatores conciliare ſoleat, non alienum erit de Montiſſerrati ſanctiſſima domo paucis diſſerere, quae fidelium votis atque officiis frequentata, ob divina ex beatiſſimae Mariae opitulatione accepta beneficia per univerſum orbem Chriſtianum celebratur. Plerique officio ſe ſatisfeciſſe ſuo putant, ſi ad tempora poenitentiae a Ioanne Garino peractae antiquitatem iſtam referant, rei geſtae narrationem in ulteriora, quam par ſit, fortaſſe promoventes. Nos vero poſt expenſa quae in archivis eius monaſterii monumenta ſervantur, ut fidem nullam detrahimus iis, quae antiquitus ſcripto tradita vidimus, ita quae coniecturis ducti recentiores comminiſcuntur, nec admittimus, nec ſane reſpuimus; ne quis praeiudicio noſtro impediri ſe putet quo minus iudicio ſuo fruatur.

II. Illud unum polliceri poſſumus, nos exordia pietatis erga virginem glorioſiſſimam in hoc monte cultam longe antiquiora demonſtraturos, quam ſint Wifredi Comitis tempora, quae in annum circiter nongenteſimum incidunt. Cultus illius fundamenta ieciſſe Francos, quando Ludovici Regis ductu & Caroli Magni illius patris auſpiciis Barcinonam civitatem a Sarracenorum ſervitute vindicarunt, nullus mihi videtur dubitandi locus ſupereſſe, ſi rerum ea tempeſtate geſtarum ſeries expendatur. Obſeſſa Barcinone anno DCCCVI. & a Mauris erepta, Gallicorum armorum pondere atque Chriſtianorum indigenarum deditione, ad caſtrum quoque Terraciae eadem felicitate pugnatum eſt, Gothis, ſive indigenis, Gallorum vindicum arma foventibus; ut docent Regis Caroli Calvi litterae. Terracia oppidum non ignobile

bile in Vallenſi pago ſitum, eſt in conſpectu Montiſſerrati, modico ab eius radicibus intervallo. Eſt in eodem quoque Vallenſi pago ſancti Cucufatis monaſterium a Ludovico tunc excitatum in ruderibus caſtri Octaviani. Quid vetat quin ſuam quoque in beatam Mariam pietatem protulerit oratorio in montis illius iugis excitato, qui ſciret montem Sionis olim a Deo electum, ut templum in eo ſibi ſiſtendum doceret, atque illo proinde exemplo, victoriarum ſuarum veluti trophaeum in iugis illis poneret, altare dicatum Deo exercituum in honorem beatae virginis matris, longe auguſtius, quam fuerunt arae a Iulio Caeſare in Pyrenaeis montibus poſitae ob ſubactas Hiſpanias.

III. Sed ne coniecturis ſolum agere videamur, quas ſolas in aliis non probamus, neceſſe eſt in ulteriora progredi, unde noſtra fulciri poterat argumentatio. Anno DCCCXXV. accidit infauſta illa & nefanda Aizonis Gothi proditio, qui a comitatu regio ex Gallia ſecedens, Auſonam per dolum invaſit, & auxilio Abderrhamenis Sarraceni copias ingentes in hanc provinciam inferentis, avulſit a regno Gallico quicquid a Rubricato amne uſque ad Sicorim & Iberum intercipitur. Quae tamen ab Aizone vix retenta, in Sarracenorum ditionem mox integra ceſſere; donec victricibus armis Wifredi Comitis Barcinonenſis ex parte repetita ſunt, propagato per varias bellorum vices in reliquam regionem ſequentium Comitum imperio, qui tandem Ilerdam & Dertuſam recepere. Wifredus ille, cui Piloſi cognomen haeſit, primus Manreſae oppidum cum adiunctis agris ipſoque Monteſerrato uſque ad Equalatam eripuit a Saracenis, adiecta regioni iſti Manreſenſis comitatus nomenclatura & dignitate. Tum ad Auſonenſem pagum profectus cum exercitu, Mauris ex eo undequaeque pulſis, ad reſtaurandas Eccleſias animum convertit anno octingenteſimo octuageſimo octavo. Tunc Eccleſiam Vici Auſonenſis luculentis reditibus donavit, & monaſterium Rivipullenſe ordinis ſancti Benedicti a ſe conditum ſumma cum munificentia locupletavit. Inter cetera illi contulit Eccleſiam beatae Mariae in cacumine Montiſſerrati poſitam, ut patet ex tabulis donationis, quas Lotharius Rex Francorum confirmavit, facta mentione diſerta Eccleſiae beatae Mariae ſitae in cacumine Montiſſerrati. En Eccleſiam beatae Mariae dicatam; quae ne latere poſſet, in montis cacumine ſita eſſe dicitur. Editus locus, aſper, & aditu difficilis, ab hominum conſuetudine, ab urbibus & vicis remotus, ipſoque Moniſtrollo nondum condito, evincit Eccleſiam illam non fuiſſe miniſterio parochialis Eccleſiae deſtinatam ſed pietati colendae erga virginem. Quandiu Sarraceni montem obſederunt, non tantum erat Chriſtianis otium, ut de illa extruenda cogitare poſſent. Reſtat ergo ut condita fuerit ante proditionem Aizonis, id eſt ante annum DCCCXXV. atque poſt recuperatam Barcinonem, id eſt poſt annum octingenteſimum ſextum. Antea quippe Sarraceni, re-

regionis iſtius domini, qui vix neceſſaria cultui divino templa tolerabant, vetuiſſent proculdubio agreſtes Eccleſias, ne daretur Chriſtianis occaſio conventus agendi, unde coitiones adverſus rempublicam aliquando oriri poſſent.

IV. Scio quid replicari poſſit, nempe neceſſarium non eſſe ut ab anno DCCCVI. ad annum DCCCXXV. conditus Eccleſiae iſtius coërceatur cum potuerit ante Maurorum in Hiſpanias irruptionem, quae accidit anno DCCXIV. ſub Gotthici regni tempus, aedificata fuiſſe. Quod ſi admittimus, ut de Francorum gloria, quam hoc opere commendare volo, aliquid detrahetur, ita maior Eccleſiae vetuſtas adiicietur; quod eſt praecipuum huiuſce diſſertationis propoſitum. Enimvero praeter cauſas a nobis ſuperius relatas de conſilio excitandae Eccleſiae in montis iſtius iugo, haec una non parvi debet eſſe momenti, quae ex veteri traditione in ſcriptis redacta proficiſcitur. Refertur itaque in veteribus chartis imaginem beatae Mariae natum ſinu ſuo complectentis, colore fuſcam, ſed opere eximio perpolitam, fulgentium per noctem luminum indicio a paſtoribus deprehenſam in ſpelunca montis; ad quam ſedulo ſtudio vaccae, relicto grege, appellere ſolitae, craſſiores ſuis congregalibus, quae per teſqua montis errantes laetius paſcebantur, ad caulas redibant. Ea novitate perculſi vicini, atque adeo Franci regionis indeptae domini, una cum Gotholenſibus indigenis conſilium ſumpſerunt de conſtruenda Eccleſia, ubi manifeſte ſe Deus adorandum colendamque matrem ſuam his teſtimoniis demonſtrabat.

V. Non me latet quid eruditus aliquis obiicere poſſet ex ſynodo Francofordienſi indicta iuſſu Hadriani Papae & auctoritate Caroli Magni, ubi haereſis Felicis Vrgellitani damnata eſt, tum ex conventu Pariſienſi habito ſub hoc noſtro Ludovico, ſcilicet illis ſynodis imaginum adorationem, quam Graeci conſtituerant in ſecunda ſynodo Nicaena, vetitam fuiſſe. Sed obſervare oportet, adorationem quidem prohibitam, non autem aut uſum imaginum, quem Concilia illa probant diſerte, aut etiam honorem, quem non damnant, ea lege ut modum non excedat. Qui modus tandem egregie a ſynodo Tridentina explicatus eſt iuſta mentem beati Gregorii Papae, quam ſequi ſe profitebantur Epiſcopi Gallicani in illis ſynodis, & a qua non erat aliena ſynodus Nicaena ſecunda, ſi eius ſenſum genuinum non vitiaſſet perverſa Latina interpretatio ſynodo Francofordienſi propoſita.

VI. Florentem ſanctitate locum clariorem reddidit Ioannis Garini anachoretae praeruptam inhabitantis rupem ob caſtigatiſſimos illius mores & auſteriorem diſciplinam per regionem omnem ſparſa fama; adeo ut immundus ſpiritus, qui nobilem iuvenculam filiam Comitis Barcinonenſis vexabat, ſe ab energumenae corpore diſceſſurum non eſſe pervicaciter aſſereret, niſi Garini huius imperio. Quibus artibus tende-

debat inſidias anachoretae huius virtuti ; & divinum numen eadem opera fideles tum infirmitatis humanae, tum divinae benignitatis ſtupendo exemplo admonere ſatagebat. Ducitur puella, Comitis iuſſu, cum frequenti famulitio ad montanam Eccleſiam beatae Mariae, eius opem praeſtolatura, adhibitis Garini quoque precibus ex condicto, cui energumena ſiſtitur. Ille vero, qui humanis viribus nimium fidebat, formae venuſtate captus, ſuggerente quoque tentatore libidinis faces, orationis locum ſibi, remotis interim arbitris, dari expoſcit, cum daemone puellae corpus vexante, ſed ipſius interea mentem peſtiferis concupiſcentiae aeſtibus devaſtante, luctaturus. Seceſſerant palatini miniſtri in Eccleſiam, preces ſuas cum hominis pii, ut putabant, orationibus coniuncturi. Ille vero ſecreti occaſione arrepta, puellam comprimit; & ſceleris mox ab ea publicandi magnitudine, poenaeque imminentis terrore, ſubſidium ab audacia petens, ſtupri crimen homicidio cumulat ; cadaver immerentis puellae egeſta humo condit; ſeque praecipitem dedit in fugam. Attamen, ne tot olim recte factorum merces periret, ſcelerato homini poenitentiae ſpiritum Dei bonitas iniecit. Ex more iam tunc recepto & a graviorum ſcelerum reis uſurpato Romam Garinus contendit, poenitentiae beneficium a Romano Pontifice impetraturus & criminis indulgentiam poſt exacta indictae poenitentiae intervalla. Septennium elapſum erat ex quo Roma redux in ſpeluncis & dumetis latebat, nudus corpore, vitam ferinam ducens, Nabuchodonoſoris exemplo, quando Comes Barcinonenſis ad Montemſerratum orationis cauſſa ſe conferens, venationem quoque aprorum, qui ſunt in eo monte frequentes, exercuit. Occurrit novae & inexpectatae ferae ſpecies, humana forma, ſed ſqualenti atque horripili cute, & inceſſu quadrupedante, obſtinatoque ſilentio terrens potius ſpectatores, quam demulcens. Obiicitur conſpectui Comitis, qui portentum iſtud Barcinonem adduci iubet, procurandum non ex gentilium ſed ex Chriſtianorum more conſultis peritis. Dum illi fruſtra laborant, Deus arcanum ſuum aperuit ex ore infantium & lactentium. Quippe alter e filiis Comitis, qui per aetatem balbutiebat, palam omnibus ſerio mirantibus in hanc vocem erupit: *Garine, dimiſſa tibi ſunt peccata*. Quo verbo perculſus primum iſte, mox recreatus ob certam criminis ſui remiſſionem, quam ingenti miraculo ſolutae ad verba infantis linguae Deus omnibus patefecerat, ne tanto beneficio ingratus videretur, crimina ſtupri & homicidii a ſe patrata quondam cum pudore, qui operabatur ſalutem, gemebundus confitetur, indictam ſibi poenitentiam eiuſque a ſe geſtae modum ediſſerit. Noluit Comes divino iudicio reluctari, ſed potius ei, quem Deus ſuae gratiae reſtituerat, ſuam iniuriam condonavit. Enimvero, ut defunctae natae honor funeris non denegaretur, accedit ad ſpeluncam ; ex qua non deforme cadaver, ſed venuſtas humana

 ma-

maior erupit, prodeunte puella e ſepulchro, quae Dei excitantis imperio ſibi poſt fata ſuperſtes fuit, conſiliumque Domini aperuit de ampliore condenda in hoc monte ad Dei virginiſque laudem baſilica. Nulli poſthac dubium fuit quin delectus eſſet a divino numine locus iſte ad delenda per poenitentiam crimina quantumlibet atrocia, quum praeiudicio adeo inſigni ſancita eſſet veniae illis impertiendae pollicitatio.

VII. Res geſta nulla temporis nota nec Comitis nomine conſignata eſt in veteri membrana ante trecentos annos perſcripta. Vnde liberum fuit recentioribus narrationem ad tempora Wifredi Comitis promovendi, ut vetuſtate decus aliquod Eccleſiae beatae Mariae pararent, cuius initia cum Garino coniungebant. Sed nos, qui vetuſtiora huic domui exordia ex antiquis tabulis conſtituimus, liberi ſumus ab hac ſervitute, quae praetextu pietatis veritati officit.

VIII. Itaque temporibus Garini magnum incrementum accepit Eccleſia beatae Mariae, conſtructo a Rivipulli Abbate ex collatitia fidelium pecunia monaſterio. Ei Priorem cum duodecim monachis praefecit, qui curam gererent fovendae peregrinorum illuc confluentium pietatis. Prioris atque monaſterii mentio aperta in veteribus membranis ab anno milleſimo quadrageſimo, & frequentes alodiorum huic monaſterio collatorum donationes leguntur ab anno decimo quinto Henrici Regis Francorum in tabulario eius monaſterii; adeo ut circiter illa tempora ſtupendum Garini eventum accidiſſe putem, qui conditum monaſterii anteceſſit, ut dicebam. Neque eſt quod aliquis puellarum monaſterium his rupibus affixum cum recentioribus quibuſdam comminiſcatur, quo ſe filia Comitis rediviva cum ſociis concluſerit. Id enim abſque ullo veterum actorum teſtimonio aſtruitur; refragante quoque huic inſtituto loci aſperitate & ſolitudine, quae ne ſuſpicari quidem patiuntur puellare monaſterium aliquando hic poſitum fuiſſe.

IX. Congruit cum ea, quam adnotavi, temporis epocha collata Garino anno tertio Philippi Regis, id eſt anno milleſimo ſexageſimo tertio, ab Vdalardo Vicecomite Barcinonenſi & Viva eius uxore donatio caſtri de Bonifacio ſive de Gardia, quo potitur hodie monaſterium. Poenitentis quippe Garini fama omnium oculos ad ſe converterat, huius praecipue Vdalardi, qui fortaſſe puellae redivivae pater erat, facili permutatione nominum Comitis & Vicecomitis in narratione, de qua non conſtat ex actis ea tempeſtate confectis. Iuvat hanc coniecturam quod nulla extant veterum Comitum Barcinonenſium; alioqui liberalium in pios locos; in hanc domum collata beneficia, ſed ſolius Vdalardi Vicecomitis, ut dixi. Sane tantopere Deo grata fuit reſtitutio Garini poſt ruinam, quam perennibus lacrymis & ieiuniorum afflictatione delevit, ut eius oſſa cum eximiae ſanctitatis

opi-

Digitized by Google

opinione in huius Eccleſiae ſacrario hodie quoque aſſerventur.

X. Infinitum eſſet ea perſequi miracula, quibus Dominus hanc ſacratiſſimam domum continuatis beneficentiae ſuae donis illuſtravit eorum preces exaudiendo, qui ſe tutelae virginis glorioſiſſimae in hoc monaſterio cultae committebant olim, ſeque hodie illius praeſidio devovent; quorum vota pie pronuntiata vix unquam irrita ſunt, niſi quando viſum fuerit divino numini ex eorum repulſa ſaluti fidelium ſuaeque gloriae melius conſulere.

XI. Peregrinorum huc adventantium copiam Iacobi I. Regis Aragonum litterae teſtantur datae anno MCCXVIII. quibus tuitionem ſuam illis impertitur, liberoſque eſſe iubet, tum in rebus, quas ſecum duxerunt, tum in corpore, ab omni iudiciaria diſtrictione, a die qua ſe itineri accinxerint uſque ad reditum; *ita quod nec debito, nec offenſa, nec aliqua alia ratione ab aliquo occupentur ſeu pignorentur*. Quae privilegia tuitionis, paullo licet uberiora, indulta in Concilio Claromontano ſub Vrbano II. meminimus iis, qui cruce ſuſcepta Hieroſolymitanum iter, pugnaturi pro fide, aggrediebantur.

XII. Invitavit quoque Chriſtianos ad hanc peregrinationem ſtequentandam Bonifacius IX. Papa litteris datis anno octavo pontificatus ſui; quibus huic Eccleſiae communicavit die nativitatis beatae Mariae & ſeptem ſequentibus indulgentiam illam plenariam, quae ab Honorio tertio, petente beato Franciſco, conceſſa fuerat Eccleſiae de Portiuncula nuncupatae in civitate Aſſiſii. Harum indulgentiarum infrequentia, quae poenarum a canone inflictarum & quarumlibet aliarum onere poenitentes ſolvebant, quaeque ob labores varios exantlatos, ſumptus in itineribus expenſos, & pericula vitae adita, per quandam veluti compenſationem ultramarinis & Romanis peregrinationibus olim concedebantur, tanto cariorem fecit locum, cui hoc privilegium tribuebatur. cuique caeleſtis Reginae praeſentia & opportuna poſtulantibus ſuffragia favebant.

VIII. E prioratu in abbatiam evexere hoc monaſterium Martinus V. & Eugenius IV. ſummi Pontifices; atque in eam poſtea vetuſtam abbatiam ſanctae Caeciliae eiuſdem montis iugo impoſitam ſequentes Pontifices transfudere; collata inſuper iuriſdictione quaſi epiſcopali in baſilica Montiſſerati & oppido Moniſtrollo ſubiacente cum Bruci & Marganelli ruſticanis parochiis; adeo ut Montiſſerrati monaſterium ſe nullius eſſe dioeceſis aſſerat, in eaque ſit hodie poſſeſſione; litteris quoque Apoſtolicis huic intentioni faventibus, quae hoc monaſterium *Vicenſis ſive nullius dioeceſis* nuncupant. Reformationem Congregationis Valliſoletanae Alexandri VI. Summi Pontificis auctoritate, poſtulante Ferdinando Rege Catholico, in hoc monaſterium inductam hodie quoque fovent Abbas & conventus; licet belli vigentis occaſione a Generalis Caſtellani ditione & obedientia ſint exempti Pontificiis litteris ea de re datis.

Digitized by Google

DISSERTATIO DE ORIGINE

Monaſterii Scalae-Dei apud Bigerros in dioeceſi Tarbienſi.

I. ORIGINEM monaſterii Scalae-Dei inveſtigantibus duo quaedam certa conſtituenda ſunt, prior nempe domus illius conditus in agro, qui vulgo dicirur *Capadur*, deinde ſubſecuta translatio eum in locum, quem hodie occupat. Vtriuſque loci ſitus proponendus eſt, & temporum epocha paullo accuratius obſervanda. Ac primo quidem ſciendum eſt, Aturrum fluvium e ſummo Pyrenaei iugo digreſsum vallem illam apud Bigerros ſecare, quae deſinit ad municipium Campanum famoſum ob butyri copiam, quod venale defertur ad civitates; quae inſigniores ſunt apud Occitanos & Aquitanos, ſcilicet hinc Toloſam & Narbonem uſque, illinc Burdegalam, Aginnum Auſcios, Baionam, Aquas, & Palum in Benearnio. In ſuperiori parte Campanae vallis uſque ad montium praerupta adiacet orae Aturri regio quaedam agri montani, quamplurimis domibus ruſticis exculta, quam vulgo vocant *Capadur*, & quae in veteri iſtrumento vocatur *Capatur*, quaſi diceres *Caput Aturri*, quod quidem fluvii caput eſt in faſtigio montis, cuius declivia nomen illud occupavit.

II. Ea in regione condita olim fuerat abbatia Scalae-Dei, indito nomine boni ominis capti ex celſiſſimis montium vicinorum iugis, quae in ſcripturis ſacris propter Sionem Dei maieſtatem velut praeſentis & orationum aſcenſiones ſignificant. Viſuntur illic hodie veteris domus maceriae; cuius fundamenta iacta fuerant in agro Comitis Bigorritani proprio, ut docet veteris ſchedae ſtatim proferendae fides. A quo tamen agro Centullus ſecundus Comes praecipuam partem, petione Fortonis viri nobilis fractus, avulſerat. Dein, poſt obitum Centulli, pudore & poenitudine ductus Forto iuri ſibi ceſſo renuntiavit in commodum monaſterii ex auctoritate & conſenſu Petri Comitis Bigorrae atque Beatricis Comitiſſae eius uxoris. Proferenda ſunt & expendenda vetuſtae chartae verba, ut recte primae illius fundationis tempus conſtitui poſſit. *Grangiam de Cabatur, ubi abbatia primitus facta fuit, Forto de Vico, qui locum illum a Centullo Comite impetraverat, conſenſu & voluntate Vuillermi Bigorritani Epiſcopi & Petri Bigorrae Conſulis eiuſque uxoris Beatricis dedit Valcherio Abbati Morimundenſi & Bernardo Scalae-Dei Abbati in manu Willermi Auxienſis Archiepiſcopi & Romanae Eccleſiae Legati.*

III. Si extaret integrum iſtius donationis inſtrumentum, patefaceret primam monaſterii originem, quam tamen beneficio Comitis Bigorritani deberi ſatis perſpicue docet, quum in agri ſive grangiae dominicae parte conſtructum oſtendat. Domus quippe religioſae conſtru-

ſtructio; imò vero & abbatiae dignitas hanc Fortonis donationem antecedit, utpote collatam in Bernardum iam tunc Abbatem Scalae-Dei. Quum autem in Valcherium quoque Abbatem Morimundenſem collata fuiſſe dicatur, metiendum eſt illius tempus ex annis Valcherii, qui Galterus dicitur in annalibus Ciſtercienſibus ab Angelo Manrique conſcriptis, ubi obiiſſe illum ſcribitur anno MCXXXI. poſtquam per quinquennium Morimundenſem abbatiam rexiſſet, ab anno ſcilicet MCXXVII. uſque ad annum MCXXXI. Sed in priorem huius quinquennii annum non poteſt coniici, quoniam Centullus ſecundus Comes adhuc ſuperſtes erat anno MCXXVII. ut manifeſte docent acta a nobis laudata in hiſtoria Benearnenſi lib. IX. cap. VII. Donatio autem Fortonis incidit in annos Petri Bigorrae Comitis, qui etiam Marciani vicecomitatu potiebatur, atque Beatricis Comitiſſae eius uxoris. Haec cum filia foret Centulli ſecundi & Mabiliae Centulli coniugis, cuius nomen huic veteri ſchedae debetur, hereditario iure comitatum paternum obtinuit, eiuſque nomen ac dignitatem cum Petro marito communicavit; cuius ſucceſſionis initia, de quibus laborabamus in capite octavo eiuſdem libri, ex iſtius chartae auctoritate annum MCXXXII. antecedunt.

IV. Quare, ut hunc articulum concludam, neceſſum eſt ut in hoc intervallum, quod intercedit ab anno MCXXVIII. uſque ad annum MCXXXI. donatio Fortonis coniicienda ſit. Ceterum abbatiae dignitas promovenda eſt in tempus anterius, ut dixi, ſcilicet ad tempora Centulli ſecundi, qui ab anno MCXIV. comitatum obtinuit. Quod autem intra fines iſtos coërceam primum monaſterii conditum movet me & Bernardi primi Abbatis aetas, qui praetergredi non potuit exordia Centulli, tum etiam quod Petrus Comes & Beatrix in actis donationum ſuarum preces pro ſe atque Centullo patre Mabiliaque matre excipiant, omiſſa Centulli avi & Bernardi fratris mentione; de quibus non tacuiſſent, ſi prima monaſterii conſtitutio eorum curae deberetur.

V. Egregium profecto virum & virtute monaſtica clarum fuiſſe hunc Abbatem Bernardum oportuit, qui domum ſuam in ipſis cunabulis inſignium pietate monachorum frequentia adeo inſtruxerit, ut ex ſua familia potuerit deducere Colonias in Hiſpaniam, ubi nova monaſteria inſtituit, quas filias vocare ſolent; inter quae primum fuit Olivae monaſterium, quod auctore Bernardo conditum eſt anno MCXXXIV.

VI. Translatum fuit monaſterium illud cum veteri abbatiae dignitate in locum a priore diſſitum quinque leucarum intervallo, intra fines comitatus Bigorritani, retento veteri Scalae-Dei nomine, quod hodie etiamnum ſupereſt ad ripam Roſſii fluvii, nemoribus & praecelſis collibus cinctum; quarum uni impoſitum eſt caſtrum de Malovicino, de *Mauveſi* vulgo dictum, quod caput eſt vicariae eiuſdem nominis.

VII. Eum locum donaverant olim Azenario Priori ſanctae Chriſti-

ſtinae duo viri nobiles, Arnaldus Vicecomes Levitanenſis, & Raymundus de Burgo. Monaſterium illud ſanctae Chriſtinae, quod obiter admonendum videtur, ſitum erat in faucibus Pyrenaei, poſt ſuperatam vallem Aſpae, in confinio Benearnii & Aragonenſis regni, ad hoſpitium peregrinatibus illac, & mercatoribus praebendum, poſſidebaturque a Canonicis regularibus beati Auguſtini, donec arrepta occaſione bellorum in Gallia ab haereticis excitatorum, Philippi II. Hiſpaniarum Regis opera deſtructum fuit, & bona piis locis diſtributa Romani Pontificis auctoritate; Prioriſque dignitas ac beneficium additum fuit Capitulo metropolitano Caeſarauguſtae, ceu monuimus in hiſtoria Benearnenſi. Porro Azenarius locum a viris illis nobilibus ſibi collatum de illorum conſenſu donavit Bernardo Abbati Scalae-Dei anno MCXLII. quo *tranſmutatio facta eſt*, ut loquuntur & docent veteres chartae.

VIII. Poſtmodum Petrus Marciani Vicecomes & Beatrix eius uxor Bigorrae Comitiſſa eo in loco elegantem Eccleſiam & ſatis amplum monaſterium conſtruxerunt, atque latifundiis aliquot & dominiis locupletarunt ad alendos monachos inibi Deo militantes; ſola hac adiecta conditione, ut orent pro redemtione animae Petri Comitis atque Beatricis, huiuſque patris Centulli Comitis & Mabiliae matris. Additumque inſuper fuit, ut iidem monachi viverent ſub inſtituto Ciſtercienſium; cuius ordinis particeps facta fuit Beatrix in vigiliis, ieiuniis, & orationibus, & *inter fratres Scalae-Dei ſoror numerata de conſenſu mariti ſui*, ibique deinceps ſepulta fuit.

IX. Dedicata autem fuit Eccleſia in honore beatae Mariae ſemper virginis anno Chriſti MCLX. *die* XXII. *Septembris*, *Epacta* XXII. *Indictione* VIII. *Concurrente V. Papa Alexandro Romanae Eccleſiae praeſidente, regnante Ludovico Francorum Rege, & Henrico Anglorum Rege & Normannorum & Aquinatorum Duce*. Dedicationi huic praeſentes fuerunt Gulielmus Archiepiſcopus Auſcitanus, B. Bigorritanus Vitalis Aturenſis, R. Laſcurrenſis, Gulielmus Aquenſis, A. Convenenſis, Bonushomo Conſeranenſis, & R. Toloſanus Epiſcopi. Totam porro fundationem ceteraque confirmavit eadem die Centullus III. Petri & Beatricis filius *in manu Vitalis Adurenſis Epiſcopi*, praeſentibus Petro Comite ipſius Centulli patre & aliis quibuſdam, qui in charta toties citata nominantur.

X. Ad extremum monemus, variis domus iſtius religioſae direptionibus per bella pluſquam civilia & haereticorum dilaceratione factum, ut egregiis illis monumentis careamus, quae teſtarentur, & Verolenſis abbatiae in agro Aragonenſi a Bernardo Scalae-Dei Abbate conditum, miſſis eo familiae ſuae monachis anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto, & datum anno MCL. Fiterii monaſterio apud Navarros conſtruendo celeberrimum illum Caſae-Dei monachum Raymundum; eum

eum videlicet, qui poſtea militaris Calatravae ordinis in Hiſpaniis auctor fuit, ſancti Gaudentii oppidi civem, (nempe dioeceſis Convenenſis) ut ait vetus charta ab eruditiſſimo nobiſque amiciſſimo Ohienarto laudata libro II. Notitiae utriuſque Vaſconiae cap. III. Ex qua etiam charta illud addiſcimus, Fiterii monaſterium & pleraque alia, *velut filias*, Abbatis Scalae-Dei viſitationi ſubiecta fuiſſe. Haec ſcribebam apud oppidum Vicanorum Aquenſium, quod hodie Bagnerias appellant, in gratiam religioſorum piiſſimorumque virorum monachorum Scalae-Dei anno MDCLIX. XIII. Kalend. Octobris.

DISSERTATIO DE THECA

Reliquiarum ſancti Ioannis Baptiſtae, quae ſevatur in Eccleſia Dominicanorum Perpinianenſium.

I. IN monaſterio fratrum Dominicanorum in urbe Perpiniani ſtudio ac pecunia Iacobi I. Regis Aragonum circiter annum MCCLII. condito ſunt inſignes ſancti Ioannis Baptiſtae reliquiae, nempe pars brachii ſiniſtri paullo infra cubitum reciſi ad extremam manum in digitos quinque diſtinctam, quibus ungues intime adhaerent, pelle pauliſper corrugata, carnei, licet marcidi, coloris, oſſa & nervos ipſoſque ductus venarum, quae veluti livorem quendam retinent, circumtegente, extantibus in metacarpio vinculorum veſtigiis

II. Harum reliquiarum fidem cum exploraret Iacobus Prior de Aſpirano Canonicus regularis ordinis S. Auguſtini, eam in rem a Petro, dein a Raimundo Epiſcopis Elnenſibus delegatus, anno MCCCLXXVII. receptis gravium religioſorum teſtimoniis, in acta retulit ea, quae nos hic in pauca contrahimus. Anno MCCCXXIII. elegantis formae adoleſcens acceſſit ad F. Petrum de Alenia monaſterii illius religioſum caſtigatae vitae, qui pretioſum ſibique cariſſimum pignus, Compoſtellam pergens, apud eum depoſuit, ea lege, ut ſibi poſtmodum reduci redderetur, alioqui ad monaſterium dono ſuo perventurum. Tradidit ergo thecam, ſeu mavis loculum ligneum incruſtatum, longitudine palmi unius ac ſemis, amplitudine & latitudine quadrantis, in qua pars illa brachii erat recondita, depicta in operculo ſancti Ioannis praecurſoris imagine alis ad humeros adornata, manu ſiniſtra caput in diſco, dextra librum inſcriptum tenente. Latera vero thecae continent decem & octo verſus, ſingulos duodecim ſyllabis & pedibus ſenis, eorumque ultimo fere Iambico, conſtantes, uncialibus litteris Graecis vetuſtis deſcriptos. Peregrini reditu inutiliter expectato, tandem Alenia iam morti proximus monaſterio ſacrum depoſitum dono dedit iuſta voluntatem adoleſcentis; quem nemo dubitavit fuiſſe angelum, qui, ut Perpinianenſibus Ioannem Baptiſtam iam tum a quingentis annis

nis ut loci patronum colentibus gratificaretur, pignus reliquiarum huiuſce martyris eo detulerat. Interim, quemadmodum acta illa docent plurima miracula patrata ſunt a Deo in curatione morborum varii generis, implorato ab aegris beati Ioannis auxilio, & vice verſa, dolore tum brachii ſininiſtri tum capitis afflictis iis, qui reliquiarum veritati fidem detrahebant. Quam ut firmius comprobarent religioſi, circiter annum MCCCLXX. unum e ſuis Athenas miſerunt Guillermum Albertinum, qui litterarum in pergameno deſcriptarum interpretationem a peritis linguae tum Graecae tum Latinae exquireret; quam retulit tandem litteris atteſtatoriis Archiepiſcopi Athenarum munitam, quas R. P. Lotius Dominicanus theologiae profeſſor in Perpinianenſi univerſitate edidit anno MDXC. noſque hic inferendas duximus cum veteri illa verſione ab Archiepiſcopo Thebano adornata.

III. *Nos frater Antonius Dei & Apoſtolicae ſedis gratia Archiepiſcopus Athenarum, ac Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Iacobi permiſſione divina Patriarchae Conſtantinopolitani tam in temporalibus quam ſpiritualibus Vicarius generalis, notum facimus per praeſentes litteras Priori & fratribus conventus Perpiniani ordinis Praedicatorum Elnenſis dioeceſis, & univerſis ſupraſcriptarum in Graeca & Latina lingua ſcripturarum cupientibus intelligere veritatem, quod frater Guillermus Alberti ciuſdem ordinis praeſentavit & legit coram nobis & Reverendo Patre Domino Archiepiſcopo Tebano, necnon & aliquibus diſcretis viris in Graeca & Latina lingua bene peritis quandam litteram ſigillo praefati conventus ſignatam, in qua continebatur quod ipſe frater Guillermus interpretari faceret & transferri ſupra adnotatas Graecas litteras in litteram & linguam Latinam; quarum tenor ut omnibus nobis patuit, eſt quoddam carmen ſtylo Graeco ſatis profundo & rhetorico ad laudem praecurſoris Chriſti beati Ioannis Baptiſtae ad devotionem reliquiarum eius orantes provocans, & ad devotionem pariter inducens. Quapropter ſupradictus Pater Dominus Archiepiſcopus Thebanus Hebraea, Graeca, & Latina linguis & litteris ſufficienter imbutus, devotione praedicti ſancti affectus & ſupradicti fratris Guillermi ſupplicatione humili, ſupraſcriptam de Graeco in Latinum de verbo ad verbum tranſtulit cum magna deliberatione, ac noſtra & aliorum multorum in utraque lingua peritorum approbatione, nihil addito, nihilque remoto. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum impendenter apponendum duximus, necnon per manus publici Notarii haec omnia in Latina lingua ſcripta fideliter conſtrui & ſignari mandavimus, ut patet volentibus intueri.*

IV. Quae Graece ſunt in operculo thecae deſcripta, Archiepiſcopus Thebanus ſic vertit. Supra caput: *Sanctus Ioannes Praecurſor*. In libro manus dextrae: *Clama Praecurſor, Miniſter Verbi. Poenitens oſtende naturam mortalium*. Ad pedes: *Quid te vocabimus, Prophetam, An-*

Angelum, *Apoſtolum*, *aut Martyrem?* In lateribus loculi ſunt deſcripti verſus Graeci, quos vetus ille interpres ſic vertit.

Deus deſcendit in omnium ſalvationem.
Veni tu, Praeco, declarare verbum.
Omnia tua miratu plena extant.
Dixit Grabiel nativitatem tuam extranee.
Patris renitentiam punire vult,
Poenam autem mutitiam infert cito.
Supra apparuiſti virtutes ter beatas
Melior Prophetis, aequalis Apoſtolis.
Martyrum apparuiſti ornamentum plenum quid, beate.
Non guſtans cibum qualiumcunque quae in natura ſunt.
Genufle&tens adiuva omnes, ut mos eſt,
Praebens ſuccurſum adiacentibus voto
Honorabili tui poſitioni reliquiarum.
Negotiorum volutiones, & revolutiones vitae,
Sanitatem corporis cum laetitia ligans;
Benedicens autem ipſe & gubernans, ut tibi fas eſt.
Fers alas, adaequatus angelis,
Materialis exiſtens immaterialiter, ut ſalvator dixit.

V. Ex ipſo litterarum ſtylo & contextu manifeſtum eſt, Antonium fuiſſe communionis Latinae Archiepiſcopum, praecipue quum illa tempeſtate Athenas & vicinas regiones obtinerent Catalani, unde Coronae Aragonum quaeſitum Ducatus Athenarum & Neopatriae nomen. Porro Antonius, ut pleniori iuriſdictione frueretur, adiunxit ſuae vicariam auctoritatem Iacobi Patriarchae Conſtantinopolitani, eius nempe qui a Romano Pontifice inſtitutus erat, non autem Patriarchae Graeci degentis in urbe Conſtantinopolitana.

VI. His per tranſennam adnotatis, pergendum eſt ad examen veteris verſionis; quae facta eſt *de verbo ad verbum*, ut teſtatur Antonius Athenienſis. Quod ipſe quoque deprehendi, comparando verſus, qui ſuperſunt integri in loculi lateribus, cum verſibus translationis. Adeo enim ſcrupuloſe textum ſequitur interpres, ut nec ordinem dictionum pervertat, nec pura Latina adhibeat; unde obſcurior redditur ſententia interpretationis. Sane quae ſunt in loculi operculo deſcripta aprime reſpondent verſioni veteri, quam exhibuimus. Graeca autem ſic ſe habent. Supra caput ὁ ἅγιος Ιωαννης προδρομος. In libro manus dextrae. Φωνει προδρομος ὑπηρετης λογου. Μετανοιαν δεικνει την φυσιν των βροτων. Ad pedes. τι σε καλεσωμεν προφητην, ἄγγελον, ἀποστολον, ἢ μαρτυρα; Caeterum ex decem & octo verſibus, ex quibus integra inſcriptio conſtat, ſuperſunt tantum duodecim, ſex aliis una cum incruſtatione thecae deperditis. Quare alteram paullo faciliorem aggreſſus ſum interpretationem, ut lector genuinam verſuum ſententiam abſque labore aſ-

 ſequa-

ſequatur; relicta tamen ſex verſuum deperditorum verſione, niſi ſi quando iuvanda fuit dictionis alicuius ſupplemento.

VII. Ponam itaque verſus qui ſuperſunt, eccleſiaſticos illos quidem & ad tropariorum ſimilitudinem modulationi aptos, ſed elegantioris quoque ſententiae.

. . . .
. . . .
Ἀπαντα τα σου θαυματος πληρη εἰσι.
Λεγει Γαβριηλ την γεννησιν σου ξενως.
Πατρος την ἀπειθειαν τιμωρων θελει,
Δικην δε την κωφειαν εἰσφερει ταχος.
Ὑπερθεν ὤφθης ἀρετων τρισολβιων,
Κρειττων προφητων, ἰσος ὢν ἀποστολων.
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
Τη τιμια σου θηκη τη των λειψανων.
Πραγματων ἑλιττεις τε, καὶ στροφας βιου,
Ρωσιν σωματος, συν θυμηδια δεων.
Εὐλογων δ᾽ αὐτος, κυβερνων ὡς σοι θεμις.
Φερεις πτερυγας, ὡς ἰσωθεις ἀγγελοις,
Ἐνυλος ὤν, ἀΰλος, ὡς σωτηρ ἐφη.

VIII. Eos verſus ſic vertendos duximus, admixta in locum deficientium, ut dixi, veteri verſione.

Deus deſcendit in omnium ſalvationem.
Veni tu, Praeco, declarare verbum.
Omnia tua miraculi ſunt plena.
Nativitatem tuam exponit Grabiel extra ordinem.
Patris vult punire incredulitatem.
Poenam ſtatim infert, ut ſit mutus.
Apparuiſti ſuperior ter beatis virtutibus,
Potior Prophetis, Apoſtolis aequalis.
Martyrum apparuiſti ornamentum pleniſſimum, beate.
Non guſtans cibum qualiumcunque, quae in natura ſunt.
Genuflectens adiuva omnes, ut mos eſt.
Praebens auxilium procidentibus ex voto
Ad honorabilem tuarum loculum reliquiarum.
Rerum complicationes & vitae viciſſitudines,
Salutem corporis cum iucunditate nectens.
Benedicens autem ipſe & gubernans, ut tibi fas eſt.
Fers alas, ut aequatus angelis,
Materialis cum ſis, materiae expers, ut ſalvator dixit.

IX.

Digitized by Google

IX. Non diſſimulandus eſt error Lotii in verſu nono, ubi Ioannes dicitur martyrum decus & ornamentum pleniſſimum, quod interpres ſic e Graeco expreſſerat, *plenum quid*, πλήρες τι. cuius dilectionis adiectio auget prioris verbi ſignificationem. Putavit autem Lotius interrogandi vicem *quid* habere, ſicque diſtinxit contra mentem auctoris & interpretis. Nos autem, ne quis iterum ceſpitaret, maluimus ſenſum reddere, & *pleniſſimum* vertere, non autem *plenum quid*.

X. Quod autem praefert verſus decimus, Ioannem nihil ediſſe, id poſitum eſt ad demonſtrandam eius auſteriorem ac ſeveriorem abſtinentiam iuxta phraſim a Domino uſurpatam, qui ait in evangelio, Ioannem veniſſe nec manducantem nec bibentem. Obſervanda eſt locutio undecimi verſus, qua ſic imploratur auxilium Ioannis, ut ipſe quoque illud petat a Deo, *genuflectens*, id eſt, γονυπετῶν Graece.

Ex decimo tertio addiſcimus, verſus iſtos ad uſum huius thecae ſive loculi, quo conduntur reliquiae ſancti Ioannis, fuiſſe compoſitos. Sed decimi ſeptimi & decimi octavi, quibus tota inſcriptio concluditur, ſententia eſt elegans. Alludit ad alas in imagine depictas, ac ſi eſſet unus ex angelis, quibus uſus vetuſtiſſimus Eccleſiae ex ſcripturis petitus alas tribuit. Auctoritatem vero huic angeli nomenclaturae addit ex dicto Chriſti, qui in evangelio angeli nomen dedit Ioanni. Vnde concludit auctor, poſſe dici Ioannem materiae expertem, licet ſit ex materia concretus ἔνυλος ὤν, ἄϋλος.

XI. Alteram eorum verſuum interpretationem ab Herſenio Epiſcopo Graecorum Nicoſiae in Cypro factam anno MCCCCVII. edidit Lotius: quam nos omittimus, quoniam paulisper ab exacta ſententia textus deflectit; quamvis diſerte exponat, hanc eſſe capſam reliquiarum ſancti Ioannis. Hoc enim verbum capſae uſurpat. Huius verſionis novae perquirendae occaſio petita fuit ex lite, quae in cauſſa appellationis pendebat coram Antonio Abbate monaſterii ſanctae Mariae de Regali in urbe Perpiniani ſiti delegato a Benedicto XIII. quam fratres Praedicatoros interpoſuerant adverſus prohibitionem a Bartholomaeo Epiſcopo Elnenſi ſibi factam, ne publice exponerent has reliquias in die feſto decollationis beati Ioannis, eo praetextu quod auctoritate Romanae ſedis nondum eſſent approbatae. Delegatus, recenſitis actis illis primis a Priore Aſpirani confectis, pluriumque curationum poſtmodum factarum (etiam per anulos contactu brachii vim curatricem indeptos) teſtimoniis in poſſeſſione veteri reliquias illas publice exhibendi fratres Praedicatores conſervandos decrevit anno MCCCCVII. deſinente.

XII. Quare quum in hac urbe Perpiniani aegritudo quaedam nos detinuiſſet, poſt ſolutam quam cum Regis Hiſpaniae delegatis ex mandato glorioſiſſimi Regis noſtri de limitibus utriuſque regni collocutionem habueramus, exiſtimavimus nihil nos ab officio noſtro

alienum facturos, ſi poſt Archiepiſcopos Athenienſem & Thebanum, noſtrum quoque de verſiculorum ſenſu ſuffragium adiungeremus, & fugientes Graecas litteras ſiſteremus huic noſtrae lucubrationi per intervalla febris elaboratae inſertas. Actum Perpiniani anno MDCLX. VI. Nonas Maii. Quo die hinc diſcedimus, Toloſam ad ſedem noſtram redituri.

F R A G M E N T A

Adverſus ſatyras.

I. PRODIERAT in lucem infauſtis auſpiciis libellus quidam, tacito auctoris nomine, pro aſſerendis Presbyterorum parochialium iuribus adverſus regularium varios conatus, quibus illa perturbari querebatur. Putavit partium ſuarum eſſe Ioannes Bagotius Societatis Ieſu Presbyter pietate & eruditione clarus hominis impetum contundere; habiturumque operae ſuae fautores Epiſcopos ſperabat, quod eorum dignitatem auctoritatemque, libello illo laeſam, ſuo diſerte vindicaret; non omiſſa tamen regularium cura, quibus tuendis tractatum pene integrum abſumſit. Interim cleri Gallicani coetus generalis habitus eſt Pariſiis, quam in civitatem ſe contulerant delecti a provinciis ſingulis Epiſcopi duo, totidemque ſecundi ordinis delegati, viri ſane muneri, ad quod deſtinati fuerant, non impares, utpote qui pietatis, ingenii, eruditionis, prudentiaeque dotibus erant ſingulariter inſtructi. Alienum itaque ab officio ſuo eſſe quum exiſtimaſſent indiſcuſſos relinquere & libellum anonymum eique adverſum Bagotii tractatum, quum in eis de ſacramento poenitentiae & aliis capitibus ad ſalutem fidelium Epiſcopis ſpecialiter & principaliter commiſſam pertinentibus ageretur, diſpunctionis illius curam delegarunt ſelectis quibusdam ex primo & ſecundo ordine viris; qui negotium illud ſtudioſe amplexi, diuturno & ſerio labore quod ſibi munus mandatum erat frequentibus ea de re ad coetum cleri relationibus factis impleverunt. Pupugerat Epiſcopos, inter cetera, definitio illa Bagotii, qua velut ex D. Thomae doctrina ſcripſerat, poſſe Romanum Pontificem omnes epiſcopales functiones in ſingulis dioeceſibus, non expectato propriorum Epiſcoporum conſenſu, per ſe vel per alios a ſe delegatos perficere. Huic de ſe factae expoſtulationi reſpondit ſcripto Bagotius; profeſſuſque eſt, inter cetera, ſententiam ſuam illam eo ſe modo intelligere, quo poteſtas Pontificis explicata fuerat a Concilio Florentino, prout ego ſynodi illius verba interpretatus fueram in praefatione voluminis noſtri de concordia ſacerdotii & imperii; tandemque eum in ſenſum articulum ſuum clero Gallicano oblatum expolivit, quo poteſtatem inter atque illius uſum diſtinxit; huiuſque modum a iure & regulis in eo expreſſis petendum docuit iuxta noſtram de ſenſu decreti Florentini ſententiam.

II. Dum

II. Dum iſta ſatis calide agerentur apud coetum cleri, libellus quidam emerſit inſcriptione ſua pollicitus ſententiae Bagotianae confutationem, quam trahendam aiebat ex Concilii Florentini & Glabri teſtimoniis deſumptis, ut ipſe dicebat, e libro noſtro de concordia. Itaque ſtatim auſpicatur opus illud ſuum ab exhibitione commentationis eius, quam in decretum Concilii ediderannus in corpore voluminis, omiſſa interim quam in praefatione operis uberiorem & minus invidioſam decreti illius interpretationem praebueramus. Hac autem ſcribendi arrepta occaſione, contendit ex noſtris illis principiis non tantum falſam eſſe Bagotii opinionem, quatenus abſque ullo diſcrimine poteſtatem gerendi vel delegandi functiones omnes pontificales in ſingulis dioeceſibus, invitis earum Epiſcopis, Papae permittit, ſed porro nullum ius competere Romano Pontifici agendi aliquid in aliena dioeceſi, aut regulares alioſve coetus ab Epiſcoporum iuriſdictione eximendi. Deinde in auctoritatem Papae per univerſas Eccleſiae partes diffuſam plenus Luthero, Calvino, & Antonio Spalatenſi debacchatur, veterem illam conqueſtionem Gregorii M. adverſus Ioannis Conſtantinopolitani audaciam detortis interpretationibus ad ſuum propoſitum trahendo. Tandem Ianſeniani erroris confixi dolore preſſus, quamvis de poteſtate in miniſteriis obeundis ſolum ageretur, ille propoſiti ſui tenax, quod praecipuum animo volvebat, ſe ad differendum accinxit de auctoritate Papae in definiendis articulis fidei, quam non ſolum infallibilem non eſſe dixit, ſed potius nullam, eam lectoribus per ludibrium irridendam propinando, advocatis aliquot e Bagotii Apologetico teſtimoniis, ac ſi cauſſam illius ageret.

III. Sparſo per urbem & apud collegas noſtros clancularii artibus libello illo, amici quidam meae famae ſtudioſi me monuerunt doli mali, quo auctor ille veteratorie in me utebatur, ut incautis ex meo nomine, quod operi ſuo praeſcribebat, facilius perſuaderet quos ille errores ſeu potius haereſes congerebat, vel a me doceri, vel ex libri mei definitionibus colligi. Has artes ego quoque etiam non monitus agnoveram. Sed contemnendum exiſtimabam latentem poſt columnas mali nominis debitorem, praecipue quum opuſculum iſtud a noſtris Epiſcopis non ſolum contemptu ſed etiam indignatione communi iam exceptum viderem. Attamen nolui deeſſe conſilio amicorum, conqueſtuſque ſum tandem apud religioſiſſimos patres de iniuria mihi facta ab auctore libelli, qui errores ſuos obtento nomine meo tegere vellet, in eorumque me conſortium & evictionem vocare. Faſſus quidem ſum, me opere illo noſtro ſcripſiſſe, regendam iuxta canones Eccleſiam a Pontificibus Romanis, hancque eſſe regulam, quam ipſimet ſibi praeſcribunt; ſed auctorem illum diſſimulaſſe dixi exceptionem, quam illo eodem opere docui, quoniam propoſitum illius funditus evertebat, ſcilicet penes ſedem Apoſtolicam plenam poteſtatem eſſe canones illos

los remittendi & temperandi, quando res ita ferunt, eaque diſpenſandi auctoritate uſos eſſe ſummos Pontifices a mille & ducentis annis tam in Occidente quam in Oriente. Adiunxi etiam priori conqueſtionis capiti devolutum auctorem ad ſubſannandam & traducendam auctoritatem ſummi Pontificis in decidendis controverſiis fidei, quum ſummopere auctoritas illa & colatur & ſuſpiciatur ab Eccleſia Gallicana, cuius ea de re ſententia patefacta erat in tribus epiſtolis datis ad Innocentium X. & Alexandrum VII. a coetu Epiſcoporum in cauſſa Ianſenianae haereſeos, & ex eius mandato a me compoſitis. Petivitque tandem a religioſiſſimo coetu, daret operam ut libellus ille quantocyus conquireretur, quo debita cenſura a coetu notari poſſet; interim vero ut auctoritate publica Regis eius lectio vetaretur, interpellato Domini Cancellarii praeſidio.

IV. Summo applauſu ab univerſis excepta eſt conqueſtionis meae ratio. omniumque ſuffragiis decretum, ut Dominus Epiſcopus Meldenſis provinciae Pariſienſis delegatus, cuius ſingulares animi dotes Gallia colit, a ſuper illuſtri Cancellario fratre ſuo libelli ſuppreſſionem impetraret. Cautumque praeterea, ut expoſtulatio mea una cum decreto in acta pubblica redigeretur, quo poſteris conſtaret quantopere ab haeretici illius vecordia clerus Gallicanus abborreret. Debuerat cedere tot procerum ſacrorum iudicio, niſi in animum induxiſſet per calcatam, quae patribus debetur, pietatem gradus ad patricidalem famam ſibi facere. Quare poſt quindecim menſium ſilentium, quas interim meditatus erat adverſus ſummi Pontificis & Epiſcoporum auctoritatem profanas definitiones, quaſi conqueſtioni meae reſponderet, praelo commiſit, longiſſima epiſtola ad me directa ab errorum ſociis poſtmodum publicanda.

V. Poſuit in fronte excerptam ex actis publicis cleri expoſtulationem meam coetuſque ſanctiſſimi decretum, cuius auctoritatem obſervationibus ſuis, quas ſubiungit, infringi poſſe ſperabat. Ait decretum illud a me ſubornatum & ſuppoſitum. Quaſi ſuſpicio falſi in me cadere poſſit, qui quondam Parlamenti Navarrae Praeſes in criminis illius reos lege Cornelia frequenter egi, qui tria iuris praecepta per totum vitae decurſum in ſtatu ſeculari laudabiliter, quod ad hominum iudicium attinet, implevi, quique in ſtatu eccleſiaſtico caſtigatiorem, quantum fieri potuit, inſtituti mei tenorem ſequi ſummopere curavi. In huius ergo criminis ſocietate coniuncti mihi erant & Praeſes comitiorum, qui actis ſubſcripſit, religioſiſſimus & candore animi atque ſinceritate conſpiſcuus Dominus Archiepiſcopus Narbonenſis, tum qui acta illa ſubſcriptione ſua firmata publicarunt, tum coetus ſecretarii, moxque pro meritis in Eccleſiam quiſque ſuis, hic Coadiutor Archiepiſcopi Viennenſis creatus, alter Epiſcopus ſancti Papuli. Sed quam falſus ſit animi, qui ſola falſi allegatione adverſus decretum, quam patitur damnationis infamiam, diluere ſe poſſe confidebat, vel

fal-

Digitized by Google

ſaltem ex ſchola rhetorum, quam excoluiſſe declamatoria ſua oratione cupit videri, didiciſſe potuerat, docentibus magiſtris, accuſationem eius criminis, quod non eſt veroſimile, ſe ipſa refelli, non expectata rei exceptione. Quid autem alienius a veroſimili, quam virum non alioqui vecordem octoginta hominibus attentis & ſagacibus, qui deprehendere reum poſſent in manifeſto ſcelere, falſum decretum obtrufiſſe? Facetus autem homo vult ſibi plaudere doloremque ſuum minuere alterius calumniae remedio, quam comminiſcitur, aſſerens tam odioſe exceptam ab univerſo coetu conqueſtionem meam, ut ab amicis quoque meis palam irriſus fuerim. Addere debuerat id patere ex decreto, quod ea de re latum eſt, niſi quod ab eo ſe liberatum putat ſola audacia falſi confictii.

VI. Enimvero deriſum tunc me fuiſſe fatebor, ſi unquam ea fuerit infelicitas mea, ut quae in coetu celebrium eruditione & dignitate virorum, tum in Senatibus, & conſiliis regiis, tum in aliis provinciarum & urbium conventibus, ſaepius de negotiis publicis & privatis ediſſerui, non fuerint prono audientium favore recepta. Ita nec pipulo aliquis unquam ante fores me diſtulit, nec convicio in os affecit, neque a tergo ulla ciconia pinſit. Ingratus autem erga ſanctiſſimum illum Epiſcoporum & Presbyterorum conventum fuerim, ſi me ingentes illi gratias debere non fatear ob ſingularem illam humanitatem, qua meas ſaepe de negotiis eccleſiaſticis & politicis extemperaneas commentationes excipiebat, quaſque frequenter a me licet invito & ſponte tacente exigebat; tantum aberat ab eorum, quae a me dicebantur, ſubſannatione & ludibrio. Quare callide ſe geſſit tenebrio ille dum capiti ſuo velum obtendit, ſub quo lateret, ne duplicis calumniae nota frons eius inurenda ex veteri lege calumniatorem in hominum oculis velut in theatro cum elogio criminis traduceret.

VII. Iſtis calumniae praeſidiis paratus, eadem bona fide aggreditur conqueſtionis & capitum de concordia a me citatorum diſpunctionem. Contendit primum, nullam mihi fuiſſe cauſſam conquerendi de teſtimonio Glabri, ſed praecipue Concilii Florentini ab eo in priore libello adducto, quum eo uſus fuerit iuxta interpretationem meam, pro confutanda ſcilicet Bagotii opinione, quae permittit Papae omnes epiſcopales functiones per ſe vel per delegatos ſuos obeundas abſque conſenſu Epiſcoporum. Atque adeo in eadem illa interpretatione ſe iterum prolixius iactat in hac epiſtola, ut fidem faciat, ex meis quoque principiis, ſuae doctrinae, quam tamen profert ultra limites rei controverſae. Deinde progreditur ad ulteriorem diſquiſitionem capitum illorum libri de concordia, in quibus contendebam, contrariam auctoris menti ſententiam comprehendi & explicari; ubi vafris cavillationibus, quam apertis verbis expreſſi, mentem meam obſcurare, troquere, & quaſi per vim mihimet ipſi eripere conatur.

VIII.

VIII. Tandem pondere veritatis velut in equuleo diſtentus fateri cogitur, meas definitiones ſuis opinionibus adverſari, atque adeo de illis mecum ſatis inhumane digladiatur, mihique velut capitale laeſae antiquitatis crimen obiicit, quod derelicto veteri iure canonico, novum amplexus ſim, ſicque argentum meum verſum ſit in ſcoriam, ut ipſe ſcribit ex Propheta. Et qua narratione patet ſtupor hominis, qui quum nullam mihi conquerendi cauſſam fuiſſe velit ex eo capite, quod dicerem, eum alienam a meo ſenſu opinionem mihi affinxiſſe, idque ſe demonſtraturum toto hoc libello profiteatur, attamen in eas ipſe tandem ſe deductum videt anguſtias, ut mecum confligere de principali capite diſputationis cogatur, de poteſtate ſcilicet ſupra canones Apoſtolicae ſedi pridem iuxta canones quaeſita, & de viribus iuris novi, quod veteri derogat.

IX. Haec velut in folle & quaſi per averſionem dixi, ut facilius larvati hominis vaſities detegatur, qui cauſſae coniectionem mutat, & quod de ſingulari quadam Bagotii opinione vera vel falſa, de qua ſola tunc agebatur, diſcutiendum ſibi propoſuerat, ad generalem quaeſtionem de poteſtate univerſali Pontificis Romani in omnibus cauſſis & caſibus transfert, ut eam funditus evertat.

X. Bagotius, quemadmodum dicebam initio, invitatus ab Epiſcopis ut apertius mentem ſuam aperiret, non alio duce ab hoc labyrintho extricare ſe voluit, quam decreto Concilii Florentini iuxta interpretationem, quam illi adhibueram in praefatione operis de concordia. Ex adverſo tamen ſtat adverſarius, qui ex mea quoque interpretatione dirimendam litem vociferatur. Itaque quum ab utroque litigantium delectus arbiter, addictus ſim formulae, quam mihi ipſi & aliis praeſcripſi, non poſſum defugere auctoritatem, nec iudicii ferendi onus detrectare. Quod ut faciam breviter, ſed robuſte, obſervare debeo verba decreti Florentini, comparata Graeca oratione cum Latina, me illo propoſito expendiſſe, ut pateret ſincera mens patrum, ne amplius decreti verbis quidam e noſtris Theologis, ut factum olim temporibus Concilii Tridentini, terrerentur quo minus illis liquido ſubſcriberent. Itaque dixi, poteſtatem regendi univerſalem Eccleſiam tribui quidem per decretum illud ſummo Pontifici, ea tamen lege, ut modus in illa poteſtate exercenda ſequendus ſit, quem & acta Conciliorum & canones exhibent. Unde ex Graecis Latina ſic diſpungenda dicebam: *quem ad modum & in actis Conciliorum & in canonibus continetur*, ϰατὰ τὸν, *quemadmodum etiam*, prout hodie legitur in editis. Sane in capite octavo libri tertii errorem lectionis illius dolo Abrahami Cretenſis, qui primus Concilium Latine vertit, tribuendum ſcripſeram. Sed re melius expenſa, doli invidiam interpreti detraxi, & ex hodierna lectione priorem patrum ſenſum colligi poſſe ſcripſi in praefatione operis; quamvis emendari debeat iuſta veterem lectionem ſaltem in voce *etiam*, cuius loco legitur

& apud

& apud Nauclerum, Fulgoſium, & Antoninum, qui referunt verba decreti temporibus ſuis editi. Si quis vero caſtigationem illius vocis, quamvis apertius decreti ſenſum patefaciat, inſuperhabeat, nihil demi perſpiciat de vera decreti ſententia, quam primus, ut puto, publicavi. Ex hac probe intellecta Bagotius controverſam petionem ſuam Epiſcoporum coetui probavit, docens, poteſtatem Papae in ſingulis dioeceſibus iuxta modum in canonibus praeſcriptum eſſe exercendam, & in caſibus a iure expreſſis, fortean ſi neceſſitas urgeat ſupplendae negligentiae praelatorum, ad evidens commodum & aedificationem Eccleſiae atque fidelium. Sed adverſarius meam ſententiam, & decreti concepta verba in pravum ſenſum detorquens, non in eo haeret, ut modus poteſtatis exerceatur iuxta canones, ſed addit amplius quod a malo eſt, nempe ſic exercendam iuxta canones, ut nihil Papae liceat ſupra canones, atque adeo quum ſecundum canones Epiſcopi nihil agere poſſint in aliena dioeceſi abſque conſenſu proprii Epiſcopi, eandem eſſe cauſſam Papae, qui iiſdem canonibus ſubiicitur. Haec conſecutio additur quidem ab adverſario decreti verbis, & meae interpretationi. Sed iam olim damnata eſt ab actis Conciliorum & canonibus, & tandem anathemate in auctoribus ſuis fulgurita, ut oſtendam ſuo loco; ubi Glabri mentem, & quodnam ſit illius teſtimonii pondus, expendam. Quis ergo non faveat conqueſtioni meae, quum videat & Concilio & mihi portentum illud ſchiſmaticae, imo & haereticae, nequitiae imputari quod maioribus hoſtiis procurari debeat, ſi non effuſo, quod nolim, ſaltem ſuffuſo adverſariorum ſanguine, quoadusque eos ſceleris ſui pudeat & poeniteat.

XI. In quamplurimis ſane operis noſtri locis diſerte ſcripſi, in canonibus & decretis Pontificum veram eſſe regendae univerſalis Eccleſiae regulam, quam ſibi ceteriſque ea religione obſervandam proponunt ipſi ſummi Pontifices, ut ſi per obreptionem contrarium illis aliquod Apoſtolicae ſedis reſcriptum importuna petentium ſuggeſtione elicitum fuerit, irritum eſſe decernant. Sed longiſſime diſtat haec definitio ab illa, quam adverſarius invehit opinione. Iſta enim Papae adimit omnem auctoritatem de canonibus ipſis decernendi, ſeu per remiſſionem & temperationem iuris, vel aliam diſpenſationem, ſeu per ſpecialem in cauſa aliqua derogationem. Quare conſulto obſervavi in mea conqueſtione, ea omnia, quae de canonum viribus & auctoritate a me ſcripta fuerant, ſic capienda quemadmodum veteres Pontifices, atque tandem Pius IV. de Concilii Tridentini canonibus, & decretis conſtituerant, ſcilicet iuxta illam regulam componendas eſſe controverſias eccleſiaſticas. Deinde ſubiunxi caput aliud, quo nefaria adverſarii opinio aliena & a veritate & a mea mente demonſtrabatur, nempe regulam illam accipiendam eſſe cum exceptione auctoritatis pontificiae in diſpenſationibus canonum concedendis, qua ſummos Pontifices iam mille & du-

ducentis abhinc annis uſos fuiſſe in Occidente & Oriente notavi, docuiſſe me eiuſdem operis libro tertio, per quatuor integra capita.

XII. Sed urget adverſarius, & in me velut mirmillonem; retiarius ſcilicet emeritus; agit, meque non ſuis tantum ſed meis quoque retibus captum ludibrio lectorum traducendum exponit. Aſſerit, veluti iuris ſui fiducia fretus, inanem eſſe querelam meam, etiam poſitis quae deſcripſi poteſtatis pontificiae fundamentis in remiſſione canonum. Quod ut evincat, minutis ad pleroſque paragraphos notis id unum prae ſe fert, hoc vel illo loco nihil detrahi ſuae opinioni. Quod ioculare eſt, quaſi ſcilicet ſingulae periodi ad controverſiam nondum exortam dirigi debeant. Hic monendus (ut reſipiſcat, ſi qua illi pars ſanae mentis ſupereſt) quatuor illa capita voluminis noſtri ſuperius laudata complecti longiſſimam & eruditam, praefiſcine dixerim, diſſertationem de antiqua auctoritate ſummi Pontificis in diſpenſatione canonum. Hanc materiem methodo quadam noſtris auctoribus intacta, propoſitis a vetuſtate petitis exemplis, & progreſſu illius iuris animadverſo, in unum corpus compegi. Veterem diſpenſandi modum eum docui, qui verſabatur in venia canonis violati & in viribus reſtitutis, tum ordinationi, tum ceteris actionibus, quae ſummo iure ex vi canonum erant nullae, ceterum a ſexcentis annis invaluiſſe uſum remittendae obligationis canonum, ne ſcilicet per factum contrarium violati cenſeantur. Porro ut quam vetuſtus eſſet uſus poteſtatis illius pontificiae demonſtraretur, recludenda fuerunt ſcrinia antiquitatis eccleſiaſticae, & quae ſparſa erant in unum colligenda, quo manifeſtius pateret in omni cauſſarum genere uſurpata diſpenſationum poſſeſſio. Itaque nunc de. . . . . . .

Heic ſubſiſtit auctor.

De advocatione Comitum.

QVI de ſeculari advocatione tractant, eius originem repetunt a Concilio Africano. In quo ſane viros graves hallucinatos fuiſſe ſuſpicor, & in eum errorem impegiſſe ductos verbis lemmatis, quod Dionyſius exiguus canoni LXXV. praefixit *De defenſoribus Eccleſiarum ab Imperatore poſcendis*. Tamen ſi canonis verba expendantur, & eius conſuetudinis ratio habeatur, quae tum in Eccleſia vigebat, facile ſententiam veram patrum aſſequemur. Epiſcopi interceſſionem ſuam erga Principes iis praeſtabant, qui potentum vi oppreſſi, de iniuriis ſuis apud Eccleſiam conquerebantur, & eius auxilium flagitabant, ut docet canon octavus Concilii Sardicenſis: *Honeſtum eſt autem, ut Epiſcopi interceſſionem his praeſtent, qui iniqua vi opprimuntur, aut ſi vidua affligatur, aut pupillus expolietur; ſi tamen iſthaec nomina iuſtam habeant cauſſam aut petitionem*. Sed quia moleſtum erat tam

fre-

frequentibus querelis Imperatoribus negotium faceſſere, & ut adeundi comitatus praecluderetur occaſio Epiſcopis Afris, quibus ſolemne erat ob leves cauſas in comitatum proficiſci, ut docet canon octavus Sardicenſis, illud conſilium inierunt patres, ut ab Imperatore defenſionem pauperum alicui ſedulo & induſtrio demandari poſcerent, qui delegata iuriſdictione oppreſſos tueretur. Verba canonis ſunt haec: *Ab Imperatoribus univerſis viſum eſt poſtulandum, propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, ut defenſores eis adverſus potentias divitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur*. Itaque defenſores iſti, quos conſtitui poſcebat Concilium, non poterant dici Eccleſiarum defenſores, ſed pauperum. Tamen mirari ſubit, cur Epiſcopi de his defenſoribus petendis eſſent adeo ſolliciti, quum pauperiorum & tenuium iniuriis iam proſpectum & cautum eſſet legibus publicis, quae unicuique civitati defenſores ſuos, qui plebis parentes dicerentur, iam dederant; quorum munus in eo praecipue verſabatur, ut plebem & decuriones ab omni improborum inſolentia & temeritate tuerentur, parentis vicem plebi exhiberent, deſcriptionibus ruſticos & urbanos non paterentur affligi, officialium inſolentiae & iudicum procacitati ſalva reverentia pudoris occurrerent, & ſimilia id genus peragerent, quae conſtitutionibus huic magiſtratui concedebantur *L. 4. 5. & paſſim Cod. de defenſoribus civitatum*. Itaque eo feror, ut mihi perſuadeam, non in eam praecipue curam incubuiſſe Concilium Africanum, ut pauperibus defenſores delegandos procuraret, qui iam erant conſtituti, ſed ut in delegandis defenſoribus Epiſcoporum ſuffragia ſuum locum obtinerent, eo ſcilicet colore, quod Epiſcopis pauperum ſublevatio eſſet velut ex officio concredita. Haec eſt canonis ſententia, ſi recte verba iſta perpendantur: *ut defenſores eis adverſus potentias divitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur*. Sane ratio habita eſt huius adeo iuſtae petionis, non quidem ſtatim atque Principibus porrecta fuit, ſed poſt aliquot annos; ut patebit liquido, ſi quis calculum ineat & componat annum CCCXCVIII. (quo eſt habita ſynodus illa Carthaginenſis, in qua de iſtis defenſoribus eſt conſtitutum) & annum CCCCIX. legis ab Honorio editae, qua ad Afrorum poſtulata videtur omnino reſcribere. Iubet enim, defenſores civitatum Epiſcoporum ac clericorum aeque ac honoratorum & poſſeſſorum decreto conſtitui, & ſedis praetorianae auctoritate firmari; ita ut ſi quid a qualibet perſona contra diſciplinam publicam in laeſionem poſſeſſorum fieri cognoverint defenſores, referendi habeant poteſtatem ad Praefectos praetorio, magiſtros militum, magiſtros officiorum, & Comites ſacrarum largitionum. *L. 8. Cod. De defenſorib. civitatum*. Iuſtinianus non ſolum obliteratam & detritam defenſorum dignitatem reſtituit, ſed etiam auxit Novella XV. qua inter cetera cavet, ut ex honeſtioribus civibus eligantur, ſed decreto Epiſcopi, cleri & honora-

torum, ut patet ex epilogo Novellae. Quamvis autem nullum apud me dubium ſuperſit, quin ſententia Afrorum eo praecipue tendat, ut defenſorum delegationi interſint Epiſcopi, tamen inficias non eo quin Zonaras eo mentem canonis trahat, quaſi ſcilicet Epiſcopi coërcendorum potentium una cum defenſoribus auctoritatem ſibi demandari peterent. αἰτουσιν ὁι της συνοδου ταυτης τους βασιλεις, δοθῆναι τινας ἐκδικους, ὥςε μετα των ἐπισκοπων ἀνας́ελλειν τας των πλουσιων τυραννιδας, inquit Zonaras canone LXXXI. Grecae collectionis. id eſt. *Poſtulant ab Imperatore huius ſynodi patres, ut defenſores aliqui conſtituantur, qui ſimul cum Epiſcopis potentiorum tyrannidem reprimant*. Etſi nullum ſubſidium interpretationi Zonarae conferre poſſit collectionis Graecae textus, quin potius liquido oſtendat, quaeſitam tantum ſuffragii epiſcopalis in conſtituendo defenſore neceſſitatem: ὥςε ἐκδικους τουτοις μετα της ἐπισκοπων προνοιας ἐπιλεγηναι κατα της των πλουσιων τυραννιδος. Hoc perſpectum fuit Balſamoni, qui canonem ſincere ſic enarrat, ut verba iſta *cum Epiſcoporum proviſione* ita reddat, *cum Epiſcoporum electione*. Ἀναγκη πασα ἐπικειται τοις ἐπισκοποις ἀντιλαμβανεσθαι των ἀδικουμενων. ἐπει δε τινες, ὡς ἐοικεν, ἐπισκοποι λεγοντες ὑπερ πτωχων ϗ καταπεπονημενων ὀυκ εἰσηκουοντο, πτυποκασιν οἱ πατερες ὑπομνησθῆναι τους βασιλεις, ὥςε δοθῆναι δια τουτων μετα της των ἐπισκοπων ἐπιλογης ἐκδικους χαριν των ἀνας́ελλεσθαι τας των πλουσιων τυραννιδας, ϗ ὀυτω παυθῆναι τον ἐπηνεχθεντα γμενην ἀπαυςον ὀχλησιν ταις ἐκκλησιαις ἐκ των προσερχομενων ἀυταις δια το ἀδικεισθαι ὑπο των παραδυνας́ευοντων. id eſt. *Neceſſe habent omnino Epiſcopi eos, qui iniuria afficiuntur defendere. Quia autem nonnulli, ut eſt veriſimile, Epiſcopi, quum de pauperibus & afflictis dicerent, non exaudiebantur, ſtatuerunt patres ut imperatores admonerentur, ut cum Epiſcoporum electione ab eis darentur defenſores pro reprimenda divitum tyrannide; ut ſic ceſſet aſſidua Eccleſiarum perturbatio, qua ab eis afficiuntur, qui ad eas accedunt, quod a potentioribus iniuria affecti ſint. Recte autem ſibi perſuaſit Balſamon D* . . . . . ***

Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius putat, eoſdem eſſe defenſores iſtos cum iis, quorum frequens mentio apud Gregorium M. in regeſto, qui negotia quamplurima defenſoribus Eccleſiae Romanae demandat. Sed, pace tanti viri dixerim, alii ſunt defenſores e clero petiti a defenſoribus Principis auctoritate conſtituendis e coetu civium. De his loquitur Africanum Concilium, ut vidit etiam Theodorus Balſamo. De alteris ſtatuit Concilium Chalcedonenſe, cui accepto ferenda eſt prima defenſorum Eccleſiae cognitio; quorum mentionem facit canon XXIII. eiſque vagantium Conſtantinopoli clericorum ab urbe expulſionem commendat. His ab Epiſcopo ex cleri gremio ſelectis tuendarum viduarum, orphanorum, & imbecillium hominum, qui eccleſiaſtico indigerent auxilio, cura committebatur. Qua in parte Epiſcoporum vices ſubibant, & ſtudio ſuo, ſedulitate, & gratia erga potentes aut

ipſos

ipſos iudices iuvabant eos, qui ad Eccleſiae patrocinium ſe conferrent. Id aperte docet canon ſecundus Concilii Chalcedonenſis, quo cavetur ne clerici ſe immiſceant ſecularibus negotiis, niſi forte *orphanorum & viduarum earumque, quae ſine proviſione ſunt, perſonarum, quae maxime eccleſiaſtico indigent adiutorio, propter timorem Domini, cauſſa depoſcat*. ἢ ὀρφανῶν, καὶ χηρῶν ἀπρονοήτων, καὶ τῶν προσώπων τῶν μάλιστα τῆς ἐκκλησιαστικῆς δεομένων βοηθείας, διὰ τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ. Porro eos, qui ſuppetiis Eccleſiae foveri debent, Zonaras recte interpretatur eſſe eos qui, ut iniurias & vim potentium propulſent, ad Eccleſiam confugiunt, aut certe, ut criminis perpetrati veniam adipiſcantur, ſacrorum locorum aſylo ſe committunt, vel in libertatem proclant. διοι εἰσιν οἱ τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ προσφεύγοντες, δεδιότες δυνάστας ὑφ' ὧν ἀδικοῦνται, ἢ πταίσαντές ἴσως, καὶ τὴν τῆς ἐκκλησίας ζητοῦντες ἐπικουρίαν, καὶ οἱ ἀδίκως εἰς δουλείαν ἑλκόμενοι, καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι, δι' οὓς ἔκδικοι γίνονται. *Zonaras in can.* III. *Chalcedon.*

Quis ſit proprius Sacerdos.

L. 35. Cod. De Epiſcopis & Clericis. Ε'κάστη πόλις ἴδιον ἐπίσκοπον ἐχέτω. *Vnaquaeque civitas proprium Epiſcopum habeto*. Lex iſta refertur a Photio in Nomocanone tit. VIII. cap. I.
ἴδιος ἐπίσκοπος dicitur etiam canone tertio & ſexto Concilii Antiocheni. Proprius etiam Epiſcopus dicitur can. IX. Concilii Africani; & canon decimus eiuſdem Concilii loquitur de Presbytero, qui eſt a proprio Epiſcopo condemnatus. Et in Canone XXXI. Apoſtolor. Ε'ί τις πρεσβύτερος καταφρονήσας τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου. Canone etiam XV. Apoſtolorum.

Meminit quoque ἐπίσκοπον ἴδιον canon XVI. Concilii Nicaenii, & canon VIII. Concilii Chalcedonenſis.

Ad iſtum exemplum dicuntur proprii Presbyteri, ſive ſacerdotes, qui in eccleſiis parochialibus ordinati ſunt; ut in Concilio Nannentenſi habito anno DCLVIII. dicitur proprius Presbyter qui praeeſt Eccleſiae parrochiali. In ſynodo Romana Gregorii VII. tum Eugenii & Calliſti ſecundi decernitur, Eccleſias committi debere propriis ſacerdotibus, non autem conductitiis. Vnde in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio dicitur proprius ſacerdos qui praeeſt Eccleſiae parrochiali.

Illi etiam dicuntur Presbyteri cardinalis a Waltero Aurelianenſi Epiſcopo in capitolis ſynodalibus ab eo editis anno DCCCLXIX. ut ſignificaret, eos vacanti Eccleſiae praefectos in titulum ſive incardinatos; ut de eiuſmodi Presbyteris loquitur Hincmarus in ſuis capitulis Rhemenſibus. Quod incardinandi verbum traxit ex epiſtolis Gregorii I. qui commendatos Epiſcopos vacantes ad regendam ad tempus quandam Eccleſiam opponit Epiſcopis incardinatis, id eſt, epiſcopatui vacanti

Digitized by Google

canti in perpetuum regendo mandatis, ac ſi Eccleſiae epiſcopali veluti cardini infixi & inſerti eſſent.

Iſtud referri poteſt ad Presbyteros, quos diximus cardinales; qui ſic addicti ſunt Eccleſiis, ad quas ἰδικῶς ordinati ſunt iuxta canonem ſextum Concilii Chalcedonenſis, ut ab iis diſcedere abſque Epiſcopi proprii ſententia non poſſint; ut docet canon xv. Apoſtolicus, Nicaeni Concilii canon xvi. Antiocheni can. iii. Quamvis Epiſcopi auctoritate ab una Eccleſia in aliam eiuſdem dioeceſeos poſſint transferri, ut monuit loco ſuperiore Hincmarus, & docet aperte Novella Iuſtiniani in authenticis, ubi determinatur ſynodus clericorum.

De Presbyteris, ubi ordinandi ſint.

PRESBYTERI & Reliqui clerici ordinandi ſunt ſpecialiter in Eccleſia civitatis aut vici, vel in martyrio, aut monaſterio, iuxta Concilium Chalcedonenſe. Vnde patet, nondum Eccleſias publicas conſtitutas fuiſſe in poſſeſſionibus ſeu in villis: quamvis paullo poſt poſſeſſionum domini, qui eas adſcriptitiorum numeroſorum opera excolebant, oratoria a ſe in poſſeſſionibus illis extrui ab Epiſcopis impetrarint: quorum oratoriorum meminit Iuſtinianus in novellis. Illis autem oratoriis nulli adſignabantur ſpeciales clerici. Attamen id fieri poſſe docet egregius Novellae locus in authent. *Adſcriptitios* Cod. De Epiſc. & Cler. ubi habetur exceptio ad legem Leonis & Anthemii. Illi enim conſtituerant in l. *Iubemus*. 36. eiuſd. tit. ne adſcriptitii ordinari poſſent clerici; niſi dominorum poſſeſſionum, unde oriundi ſunt, evidens concurreret conſenſus. Iuſtinianus vero conſtituit, adſcriptitios in ipſis poſſeſſionibus, in quibus aſcripti ſunt, clericos etiam praeter voluntatem dominorum fieri poſſe; dummodo per ſubſtitutum agriculturam, cui adſcripti erant, exercerent. Hinc explicari debet locus Concilii Agathen. cap. xxi. quo permittitur dominis, propter fatigationem familiae, ut Miſſas teneant in oratoriis villarum ſive poſſeſſionum; exceptis diebus ſolemnibus, in quibus accedere tenentur ad Eccleſias civitatum.

ORATIO HABITA BARCINONE
Die xv. *Iulii anni* MDCXLIV. *ad Provinciales & alios Superiores ordinum religioſorum illius urbis.*

NISI me publica utilitas, Reverendi Patres, ad evocandum hunc venerabilem coetum impuliſſet; non illibenter veſtro meoque labori peperciſſem. Quid autem in hoc temporis articulo a vobis exigam paucis docebo; praeſertim quum mihi res agenda ſit cum gravibus & cordatis viris, quibus res honeſtas aperuiſſe perſuaſiſſe eſt. Novit unuſquiſque veſtrum quibus ex cauſſis, iiſque neceſſariis, haec pro-

provincia ab imperio Regis Catholici receſſerit, qui cladem & excidium toti Cataloniae, immiſſo valido exercitu, minabatur. Conſultatione habita cum graviſſimis & lectiſſimis ex ordine veſtro viris, illa ſe dein tuitioni & dominio glorioſiſſimi atque invictiſſimi Principis Ludovici XIII. Regis Chriſtianiſſimi contulit, qui gladium a faucibus & iugum a cervicibus Catalanorum amovit, validiſſimis copiis in provinciam tranſmiſſis, & ſumtibus inexhauſtis ad vitae, famae, fortunarum, civium denique omnium praeſidium profuſiſſimis impenſis; cuius exemplo Rex Ludovicus XIV. eius natus, una cum matris ſapientia & pietate praecellentis Reginae conſilio, ſummis viribus hanc quoque provinciam hereditario iure ex pactis conventis ſuae fidei commiſſam ab hoſtium invaſione tuetur. Satis compertae ſunt hoſtium artes, qui quod vi nequeunt, dolo obtinere tentant, ſubornatis male credulorum mentibus & ad ſua ſtudia per inanium pollicitationum faſcinationes pellectis. Quod aperte docet ſcelerata illa & proditoria aliquot Ilerdenſium coniuratio, qui a noſtris extra muros civitatis eiecti, & ab hoſtibus ipſis deinde repulſi, meritas proditionis ſuae poenas luunt. Itaque ne hoſtilis verſutia per reliquam provinciam ſerpat omni labore innitendum eſt. Quod aliter conſequi non poſſumus, niſi quod conſiliis ipſi ab initio conſtituiſtis, Reverendi Patres, id porro ſtudiis quoque veſtris & hortamentis confirmetis pro ea, qua apud populum non immerito valetis, gratia, & pro eo quo Regem Chriſtianiſſimum proſequimini devoto cultu, qui labores veſtros, praeter privilegiorum veſtrorum tuitionem, beneficiis ſuis prolixe cumulabit.

Quare a vobis enixe contendo, ut in haec quatuor monita, quae vobis proponam, omni cura atque ſollicitudine incumbatis. Primum eſt, ut praedicatoribus diſtrictius iniungatis quatenus e pulpito frequenter populum commonefaciant de fide, quam Regi Chriſtianiſſimo inviolatam praeſtare tenetur, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ut loquar cum Apoſtolo, id eſt, non formidine poenae, ſed eo officii ſui ſenſu, quo ad Dei mandata exequenda obligatur.

Secundum eſt, ut eadem mandata Confeſſariis detis, nempe ut inter functionem audiendarum confeſſionum poenitentes ad Regis obſequium impellant, idque eo ſtudioſius ſatagant, quo ea, quae ſpecialiter in huius miniſterii executione monita traduntur, fidelium animis efficacius & penitius imprimuntur.

Tertium quod a vobis exigo, illud eſt, ut inter Miſſarum ſolemnia iuxta D. Paulli praeceptum, antiquorum patrum traditionem iam ab ipſo Tertulliano teſtatam, ipſiuſque Miſſalis Romani contextum, Regis Chriſtianiſſimi ſpecialis & expreſſa ab omnibus ſacerdotibus fiat commemoratio, ita ut non tantum Regis mentio generaliter iniciatur, ſed Ludovici nomen diſerte exprimatur; quemadmodum exigit uſus

uſus Eccleſiae quotidianus; ne alioqui ſuſpicio inde naſcatur, aliud animo geri, aliud verbis ſimulari.

Vltimum & quartum monitum illud eſt, ut Religioſos vobis ſubditos in ea, quam de rebus publicis & Regis Chriſtianiſſimi obſequio expoſui, ſententia contineatis; aut ſi qui renitantur, eos tamquam perduellionis reos mulctis regularibus caſtigatos a provinciis veſtris expellatis, vel apud Magiſtratus deferatis; ne iſti, ob negligentiam Superiorum, iſtius criminis adeo atrocis & pernicioſi cognitioni extraordinariae ſe immiſcere cogantur.

Haec ſunt quae a vobis ſequenda fore nullus omnino diffido, cui perſpecta eſt illa, quam erga patriam & Regem Chriſtianiſſimum geritis, animi propenſio & obſervantia cultuſque ſingularis. Ego vero apud Regis noſtri piaeque eius ac ſemper auguſtae matris maieſtatem ſtudia veſtra publicare & omnibus officiis fovere non deſinam.

ITINERARIVM

A Lutetia in Galliam Narbonenſem anno MDCLIV. menſe Novembri.

DA veniam ſi te, Regina Lutetia, laeti
Linquimus. In patriam nos pia cura vocat.
Saevit hiems, properamus iter; nix illud ademit.
Concreta hanc tumidus ſparſerat Eurus aqua.
Mox autem celeres Borea ſtridente per auras,
Cuncta obſtipatum comprimit arva gelu.
Sic quae damna viae nobis infeſta videntur,
Propitio fiunt numine ſubſidia.
Imbribus hibernis nam quae madefacta ſolebat
Sorbere & rhedas triſtis equoſque via,
Indurata gelu facilem ſe praebuit actis
Curribus, & timidos commoda mulſit equos.
Nos quoque concuſſos recreant libata Niverni
Praeſulis eximio fervida menſa mero.
Aſt iuga quadrupedantibus exſuperanda ſuperſunt,
Scandere praeruptus quae rigor ille vetat.
Aſpirat felix Auſter, flatuque ſecundo
Frigore conſtrictam ſolvit abunde viam.
Tandem ſic Araris Rhodanique allabimur oris,
Vrbs ubi Lugdunum tollit in aſtra caput.
Qui tenet antiſtes toto celebrem orbe cathedram,
Collegas lautis excipit officiis,
Et quem Palladiae ſacra ornat vitta Toloſae,
Et quem Montalbani infula ſacra tegit.

Po-

Digitized by Google

Poſtridie incorruptae exordia matris aguntur,
Qua primum ille fuit feſtus in urbe dies.
Rhetor ubi Auguſti ſteterat dicturus ad aram,
Nunc poſita eſt Chriſto quae fovet ara pios.
Numinis auſpiciis hic nos committimus undae,
Qua Rhodano placidas Sagona miſcet aquas.
Antiquis ſeſe oſtentat decorata colonis
Quae populos mater iure Vienna regit.
At pius antiſtes nos in ſua tecta recepit
Condriaci, oppiparo ſplendidus hoſpicio.
Hic adimunt feſſis elegantia vina labores,
Quae vena felix divite fundit humus.
Turnonum Muſis devota ſacraria pandit,
Percelebre eximiis quos habet aedituis,
Clara ſitu, ſacra pollenſque Valentia ſede
Dum paſtore caret, trudimur in ſtabulum.
Vivarium impoſitum rupi deſpectat euntes,
Elvia gens regimen ſuſcipit unde ſacrum.
Exin quae laetis ſe attollit Arauſio campis,
Sede quoque & ſynodis nobilitata ſuis.
Inclyta Romano ſuccedit Avenio faſtu,
Orbi quod pridem Gallula Roma fuit.
Egreſſi tandem fluvii vectoris ab undis,
Bellicadrum fauſtis tangimus ominibus.
Expandit ſe dein candente obſeptus oliva
Agger, quem cingunt Bacchus & alma Ceres.
Ducit ad inſignem antiquo ſplendore Nemauſum,
Romanis olim quae fuit aucta viris.
Amphitheatralis reſtant monumenta furoris,
Quae violavit trux Gothus & atra dies.
Chriſti indepta fidem, atque novis ornata colonis,
Clarior evaſit, Pontificiſque throno.
Monſpelium advehimur, quo nos tractoria Regis
Legitimis promptos evocat obſequiis.
Conventus Occitanae tunc gentis agebat
Contius, hiſpano victor ab hoſte redux.
Quem Reges atavi decorant, quos ille viciſſim
ingenii exaequat dotibus atque animi.

De vino Frontinacenſi in Septimania.

Apophoretum

I Ndia *quem praeſtat Moſchi ſe iactet honore,*
Qui ſolo nares ſiccus odore ferit.
Frontinacum generoſa tibi dum vina miniſtret,
Moſcum, in queis, vincit mixtus odore ſapor.

DE EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

Dissertatio.

QVod in caeteris Chriſtianae religionis decretis Veteres praeſcribunt, ut propoſitarum rerum fides humanae rationis conatus antecedat, illud amplecti debet qui pie velit eſſe Chriſtianus iu ſtupendo Euchariſtiae Sacramento, ut primum inſpiciat quid Criſtus edixerit: deinde ſumma cum animi modeſtia inquirat, quibus argumentis humana ratio ad tam grande ſecretum penetrare poſſit, quo ſaltem, myſterii magnitudine poſtquam humanae mentis vires oppreſſae fuerint, ad tanti Sacramenti venerationem admirabundus, quantum fieri poteſt, demiſſe procumbat.

Hi ſunt enim gradus, per quos ad rerum coeleſtium faſtigia nitimur: ut primum fides tamquam fundamentum ſternatur; deinde accurata cognitio rerum & vis argumentationum accedat, ut erudite docuit olim Clemens Alexandrinus. In quam ſententiam eleganter ſcholae Alexandrinae alumnus & Eccleſiae Epiſcopus Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. 4. hae: verba uſurpavit: *Nam poſt fidem cognitio ſequitur, non illam antecedit, quemadmodum ſcriptum eſt: Si non credideritis, non intelligetis. Poſtquam enim baſis inſtar conſtituta fuerit in nobis ſimplex nec curioſa fides* ἀπεριεργαστος *ſuper hac deinceps ac paullatim cognitio ſtruitur; quae nos ad menſuram aetatis, quae in Chriſto eſt, attollit, & ad virum perfectum ac ſpiritualem.*

Itaque ſola Dei teſtificantis authoritas Chriſtianae fidei regulas condit, quas idoneis in Scriptura verbis abſque ullo orationis ornatu diſerte atque ſincere proponit. His ſupra captum ingenii, & humanae ſcientiae modum poſitis aſſenſum ſuum, opitulante Dei Gratia, & menti praelucente interius, adhibent fideles. Deinde ex frequenti creditarum rerum tractatione aſſurgit cognitio illa, quae ad fidem tuendam, & illuſtrandam adiumenta non mediocria ſuppeditat. Sed limites certos huic diſquiſitioni defigere oportet, ne in abrupta quaedam errorum praecipitia delabamur: Itaque iuxta Auguſtinum lib. 9. de Trinit.

c. I.

c. 1. *De credendis nulla infidelitate dubitemus: de intelligendis nulla temeritate affirmemus. In illis auctoritas tenenda eſt: in his veritas exquirenda.* Nempe nec fidei regula ulla dubitatione violari debet: nec quae ex fidei principiis deducta, intelligere commentando ac diſſerendo conamur, temerariis decretis aſtruenda ſunt.

Quo in munere exequendo, *etiamſi cum grandi metu ac diſciplina, etiam pro religione dici debeat*, ut obſervat Salvianus, modum & legem ab antiquis tractatoribus ſumma prudentia praefixam ſervabimus, ſi perpetuum Eccleſiae ſenſum in regulis illis proponendis & interpretandis ingenio docili faciles ſequamur: Illud apud nos conſtituentes, quod monuit Iuſtinus in Expoſitione fidei, divinarum rerum notitiam ſummo ſtudio indagandam eſſe: *cum autem eam prae imbecillitate minus aſſequi poterimus, venerari eam nos oportere ut comprehenſione majorem, ne evacuetur fides noſtra.* Hoc eſt enim conſtans & antiquum penes Eccleſiam: *quae*, ut docet Gregorius 14. Moral. c. 12. *in omne, quod veraciter ſapit, ſenſum ſuum humiliter deprimit, ne in requiſitione occultorum tumeat, & perſcrutari aliqua, quae ultra vires ſunt illius, praeſumat.*

Haec cautio eſt adhibenda maxime in Euchariſtiae diſquiſitione, quae, quia ſenſibus humanis obiecta, ab eorum iudicio non niſi magno conatu vindicari poteſt; ut de illa credamus quod Magiſter fidei auctoritate ſumma ſemel conſtituit. Eius rei quotidianum experimentum capimus, ex huius aetatis haereticorum in verendum iſtud myſterium per ſummum ſcelus confarcinatis, & in tot volumina per Occidentem publicata congeſtis blasphemiis: Hac enim peſte non laborat ulla pars Orientalis Eccleſiae.

Equidem non diffiteor, quin veritatis hoſtium ſacrilegros impetus graviſſimi Theologi, iſto, & ſuperiore ſaeculo ſumma cum diligentia, & pari eruditionis laude feliciter propulſarint: diſcuſſis omnium retro aetatum Criſtianae religionis magiſtrorum teſtimoniis; ex quibus ſecundum hodiernam Eccleſiae doctrinam Synodi Tridentinae decretis renovatam pronunciandum eſſe pervicerunt; quae ſanxit, in Euchariſtia panis, & vini ſubſtantiam in Corporis, & Sanguinis Chriſti ſubſtantiam Dei omnipotentia converti.

Attamen non deſinunt non ſolum argutis ineptiis ex mera naturali Philoſophia, & Dialecticae apparatu petitis, moleſtiam exhibere Catholicae pietati: ſed etiam antiquos Patres, quorum auctoritate lis iſta componenda, quantumlibet invitos trahere conantur in partes, & negotium alioqui eorum in libris manifeſtum, ſolertia ſua obſcurare tentant: nempe ut omni ſubſidio verae & antiquae Scripturarum interpretationis remoto, mens fluctuet in ambiguo, & ſenſuum teſtimonio, humanaeque rationis argumentis cedens, ſe in haereſim prolabi patiatur: ea quoque ſuſpicione ſaltem delinita, Patres antiquos

quos, vel omnes, vel aliquos, non alienos fuiſſe a Novatorum ſententia. Hi autem, aut negant panem conſecratum Corpus eſſe Chriſti, & illius tantum eſſe Sacramentum profitentur, quo per fidem Corporis Chriſti ſubſtantia ſpiritualiter animae exhibeatur, ut inde ſe alat, & paſſionum Chriſti memoria reficiatur: Vel docent, Corpus Chriſti ea ratione praeſens eſſe pani, ut, nulla mutatione in ſubſtantia panis facta ei ſacramentali unione coniungatur.

Non me latet, per noſtrorum Theologorum curioſas, ſed non neceſſarias, inquiſitiones infeliciter accidiſſe, ut Eccleſiae latera mucroni haereticorum in hac controverſia patuerint; ſed eiuſdem quoque ſubtilibus ſcholae argumentis id obtinemus hodie, ut a male feriatorum hominum contumeliis, & irruptionibus fidei ſinceritas vindicetur.

Ad huius controverſiae illuſtrationem meam quoque ſymbolam conferre ſtatui; quae obſcuris Patrum locis lucem fortaſſe aliquam adferre poterit; & evincere, longiſſimo intervallo Tractatores illos remotos fuiſſe ab haereticis, quae hodie vigent, opinionibus, & ſua interpretatione longius ab iis receſſiſſe, quam ipſimet hodiernus Eccleſiae Catholicae loquendi modus ab iiſdem diſtet.

Quod ut obtineam, rem propoſitam aggrediar, quam in duo ſumma capita diſtribuo. Duplex enim eſt huius controverſae inſpectio; Altera, quae Regulam Fidei in hoc myſterio proponit; qnid credendum ſit, ex Scripturae verbis demonſtrans. Altera, ſacramenti iſtius in aperiendis ſecretis, & interpretatione atque diſſertatione accurata illuſtrandis verſatur.

Huius myſterii inſtitutionem referunt tres ſacri Evangeliorum auctores, quibus accedit Paullus, qui ipſo ex ore Domini doctrinam ſe iſtam hauſiſſe ſcriptis prodidit. Tota res apertior erit, ſi nobis ob oculos proponamus, Chriſtum Dominum poſt peractos coenae legitimae ritus, & uſum paſchalis victimae, quae futuram iſtam deſignaverat, panem azymum, quo uſus erat in Paſchatis celebratione iuxta legis praeſcriptum, manibus ſuis a cepiſſe, & actis Deo gratiis, benedixiſſe, fractumque diſcipulis ſuis recumbentibus diſtribuiſſe, teſtatus hoc eſſe Corpus ſuum, quod pro humani generis ſalute mox neci tradendum erat.

Haereamus pauliſper in expendenda panis iſtius benedictione, quam & gratiarum actionem quoque appellat Evangeliorum contextus. Morem iſtum benedicendi panis Chriſtus uſurpavit Iudaeis familiarem, qui cibum nullum aut vinum ſumere ſoliti, niſi prius Deo tanquam conditori, Donatorique χορηγῳ της τροφης laudes & grates egiſſent addita precatione, ut notum non ſolum ex Thalmucidis ſcriptoribus, ſed etiam ex Philone, atque Ioſepho. Precatio iſthaec a Iudaeis *ſanctificatio* dicitur, quoniam niſi ea praeceſſiſſet, cibus pro prophano habebatur: ea vero adhibita, *ſanctus*, id eſt, quo veſci fas eſſet. Quem mo-

Digitized by Google

morem commendat Paulus, cibum nullum reiiciendum docens, qui *cum gratiarum actione* ſumatur, quippe ſanctificati per verbum Dei & *orationem*. Vbi obſervabit lector, *Gratiarum actionem* per *orationis* verbum a Paulo ipſo explicari: quia duo haec pietatis officia unica formula coniuncta erant. Nempe, ut adnotavit Ioſephus, *iuſta eſt gratiarum actio, quae & ad rependendum beneficium iam acceptum refertur, & ad futura mala amolienda.*

Ex quo factum, ut paſſim quando de panis benedictione ſermo inſtituitur, promiſcue pro eodem ponantur *Benedicere* & *Gratias agere*. Quod in hiſtoria panum multiplicandorum Matthaeus, & Lucas dixere, *Coelum intuens benedixit*, Iohannes ſic expreſſit, *Gratias agens dedit*. Marcus vero, *Gratias agens fregit*. Non mirum ergo, ſi in recitandis verbis de ſacrato pane, Lucas & Paulus dixerunt *Gratias agens*, quod Matthaeus & Marcus, *Benedicens*.

Plena autem & propria lucutio eſt, *Gratias agere Deo*, quae integra reperitur, & quidem in mentione frangendi panis Auctorum 27. quod tantumdem valet, ac Lucae illud c. 1. & 2. & 24. & Iacobi 3. *Benedicere Deo*. Sed Hebraei, atque iſtos ſecuti Helleniſtae, qui Graece ſcribentes, vim Hebraicarum dictionum in Graecas invexerunt, amant locutionis compendia; quare *Benedicere alicui* dicunt, pro plena phraſi, quae eſt *Benedicere Deo pro aliquo*. Quod loquendi genus non ſolum apud ſeptuaginta Interpretes, ſed etiam in Evangeliis reperire eſt, ut Marci 10. Luc. 2. 9. & 24. Hac ratione *Benedicere pocula* dixit in hoc argumento Paulus, & *Gratias agere*. Non enim minus recte dicitur εὐχαριστεῖν ἄρτον aut ποτήριον, *Gratias agere pani, vel poculo*, quam εὐλογεῖν, *benedicere*. Quo Apoſtolorum exemplo Chriſtiani veteres uſi ſunt, ut patet ex Iuſtino, qui dixit εὐχαριστηθέντα ἄρτον, *Panem Euchariſtiſatum*, ſive, *in quo gratiae actae ſunt*.

Ceterum formula communis *Benedictionis*, ſive *Gratiarum actionis* apud Hebraeos haec erat: *Benedictus Deus noſter, Dominus mundi, qui produxit panem de terra*. De vino ſimiliter dicebant: *Benedictus Deus noſter, Dominus mundi, qui creavit genimen vitis*. Sed diebus feſtis accedebat mentio beneficii, cuius tum memoria celebrabatur, ut in Paſchate, liberationis ex Aegypto. Quare Chriſtus in hac Euchariſtiae inſtitutione, non pro veteri tantum panis creatione gratias egit, ſed etiam pro redemtione generis humani, quae in eo articulo poſita erat, ut quaſi peracta haberi poſſit, cuius memoriam hoc ſacramento conſignabat.

Veteres Chriſtiani hac in re ſecuti ſunt Dominum, coniungentes in peragendae Euchariſtiae formulis gratiarum actiones, tum pro veteri creationis rerum aſpectabilium ad uſum hominis beneficio, tum praecipue pro liberatione a peccatis per Chriſti mortem adepta ut patet ex Iuſtino, & Irenaeo. Quae ſenſu in vetuſtiſſima quoque

Miſſa

Miſſa Latina haec leguntur : *Per Chriſtum Dominum noſtrum* ; *per quem haec omnia Domine ſemper bona creas* , *ſanctificas* , *vivificas*, *benedicis & praeſtas nobis*.

Vt autem ad Chriſti Domini actionem revertar, non ſolum gratias egit, & benedixit Deo pro panis & vini propoſitorum beneficio , & eius, quae mox adimplenda erat, humani generis redemptione: ſed etiam quod eſſet conſilium ſuum in novi iſtius ritus inſtitutione, apertiſſimis verbis ſignificavit: Acceptum enim panem, quem diſtribuit Apoſtolis, dixit eſſe Corpus ſuum, quod tradendum erat in remiſſionem peccatorum.

Hic loquitur auctor , Dominusſque naturae , fidei atque religionis Magiſter, a cuius verbis adeo omnis abeſt falſitatis aut ludibrii ſuſpicio, ut ipſe ſe *veritatem* eſſe profiteatur. Hic ergo graviſſima auctoritate palam edicit, panem, quem antea in manus ſumſerat, eſſe Corpus ſuum. Quis non ſtatim ſibi perſuadeat, quum panem Chriſtus doceat eſſe Corpus ſuum, non amplius eſſe panem, ſed Corpus: alioqui, ſi panis eſſe perſeveraret, iam non eſſet Corpus: quod tamen eſſe Dominus diſertiſſime teſtatur.

Scio quantis cavillationibus pateat facilis iſta, ſimplex & ſincera verborum Chriſti interpretatio, quam tamen ſolam vetuſta Eccleſiae traditio apud antiquos Patres amplexa eſt , omiſſa Dialecticarum regularum anxia & ſcrupuloſa indagatione , quae in hanc formulam obſcuritatem potius, quam lucem invexit, ut ſuo loco videbitur.

Interim monendus eſt Lector in anteceſſum, hanc interpretationem regulis Grammaticis & Dialecticis eſſe conſentaneam . Perinde enim eſt ac ſi Chriſtus diceret, *Hic panis*, qui revera panis naturam obtinet, in momento quo verba illa recitantur , *Eſt Corpus meum*: ac proinde, ne mendacium cadat in Chriſtum , ſtatim fit Corpus, virtute divina. Hoc quippe diſcrimen intercedit inter hominum orationes, & effata Dei ; quod illae ſignificent quod in rebus reperitur: Dei autem omnipotentis verba, & res ipſas ſignificent, & ſi opus ſit ad firmandam effatorum veritatem, rerum naturam immutent . *Operatorius enim eſt ſermo Chriſti*, ut de hoc myſterio diſſerens loquitur Ambroſius.

Neque eſt quod excipiant novatores, vim verborum ad id tantum porrigi, ut panis dicatur ſignificare, vel eſſe ſignum corporis Chriſti, excluſa interim eius veritate. Iſthaec enim explicatio aliena eſſet a proprio & ordinario verborum ſenſu : quae nullam in ſe figuram & ſignificationem patiuntur. Dictio etenim iſta , *Hoc*, panem verum atque naturalem ſignificat, ut fatentur ultro, & obiicere etiam nobis ſolent adverſarii . *Corpus* vero diſerte ſignificat verum & naturale Chriſti corpus, quod neci tradendum erat , ut docent Evangelia . Quare repudianda eſt explicatio, quae invito etiam Chriſto ipſo , *ſacramen-*

Digitized by Google

tum Corporis dictione *Corporis* ſignificari contendit. Vt enim certum eſt verum propriumque Chriſti Corpus morti dedendum, non autem panem prout eſt ſacramentum Corporis: pari modo pro certo ac indubitatio haberi debet, dictionem *corporis* in hac formula adhibitam, ut demonſtraretur veritas Corporis, quod necandum erat. Si qua ergo in hanc formulam figura irrumpere poſſe dicatur, neceſſe eſt ut per rimulam vocis *Eſt* vi aditum ſibi faciat. Atqui planum eſt apud Grammaticos, & Dialeticae tirones, nedum magiſtros, verbi ſubſtantivi hunc eſſe in oratione uſum, ut partes illius connectat, & ſolo vinculi extrema coniungentis munere defungatur. Quare ſi qua incidat in orationem figura, partium extremarum alterutri, id eſt ſubiecto vel attributo, competit, non autem vinculo

Exemplum eius quod propono, deſumi poteſt ex decantata illa & ab Adverſariis ſaepiſſime intorta, quae in Scripturis extat, locutione, quam huic noſtrae geminam contendunt, *Petra erat Chriſtus*, apud Paulum: quae in hanc convertitur *Petra erat figura Chriſti*. Neque enim niſi abſurde, & ſtolide dici poteſt; petram, quae in ſquallenti & arida eremi ſolitudine Moſis virga percuſſa copioſas aquarum ſcaturigines effudit, ad Iudeorum ſitim extinguendam, fuiſſe Chriſtum ipſum; ſed potius venturi illius, & aquis gratiae ſalubribus fideles inundaturi figuram & imaginem. Hic itaque nec figurate accipienda eſt dictio *Chriſtus*, nec vinculum nectens extrema, ſcilicet *Eſt* vox ſubſtantiva. Figura cadit in petram, quae Chriſti perſonam & ab eo rednndatura in fideles beneficia deſignabat, ut docet ipſemet Apoſtolus. Quare ſi maieſtas divinarum Scripturarum ad regulas Priſciani demittenda ſit, hoc modo ſincere ſuperiorem locutionem expediemus. *Petra autem figurate ſumpta erat Chriſtus*. Vbi interim adnotandum eſt, nos ipſis Scripturae verbis diſerte moneri, has ipſas locutiones figuratae intelligendas. Quod aliter accidit in formula Euchariſtica, ubi Diſcipulis de figura ne leviter quidem monitis ſerio dicitur a Chriſto, abſque ulla verborum ambage, Panem illum eſſe Corpus ſuum.

Porro gnaviter adnotandum eſt, hanc formulam concipi pronomine demonſtrativo, *Hoc*: quo ſignificatur, ſpeciem illam panis, quam prae manibus gerebat Chriſtus, ita eſſe illius Corpus poſt recitatam formulam, ut nihil in ea reperiri queat, quod non pertineat ad Chriſti Corpus; ut ſtatim uberius & apertius docebitur.

Explicationis vetuſtae idoneum, ut puto, & adverſus quem Novatores non ſolent de verae fidei intelligentia excipere, laudabo teſtem Epiphanium. Is in Ancorato obſervat, Chriſtum ſumpſiſſe rem albam inanimem, & humanis lineamentis omnino abſimilem, quam tamen ſuum corpus eſſe dixit, nempe ipſum verum Corpus, ut graviter mo-

net

net idem Epiphanius: decreto ferali ſubiuncto adverſus contumacem huic veritati, nempe eum, qui hoc non crediderit, alienum a ſalute fore.

Epiphanio itaque auctore conſtat, panem conſecratum eſſe verum & proprium Chriſti corpus, & iſtud inter dogmata ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria computari. *Videmus*, inquit in Ancorato, *quod accepit Salvator in manus ſuas, veluti Evangelium habet, quod ſurrexit in coena, & accepit haec, & ubi gratias egiſſet, dixit, Hoc, meum eſt hoc, & hoc. Et videmus quod non eſt aequale, neque ſimile non imagini in carne, non inviſibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim eſt rotundae formae, & inſenſibile quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, Hoc, meum eſt hoc & hoc. Et nemo non fidem habet ſermoni. Qui enim non credit eſſe ipſum verum, ſicut dixit, is excidit a gratia & ſalute. Quod autem audivimus, id credimus quod eſt ipſius. Dominum vero noſtrum novimus totum ſenſum, totum ſenſitivum, totum Deum, totum moventem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehenſibilem, ſed qui cum gratia hoc nobis largitus eſt*. Vbi loquendi modus obſervandus eſt; non tantum enim Corpus Chriſti praeſens pani conſecrato eſſe docet, ſed panem illum, eſſe verum Corpus. Idem ſentiendum reliquit de vino.

Prodidit ille quod a maioribus ſuis didicerat: qui ſemotis ambagibus & diſputationum tricis, non tantum Euchariſtiae adeſſe carnem, ſed Euchariſtiam carnem, & ſanguinem Chriſti eſſe profitebantur.

Ignatii Martyris apertiſſima ſunt in hanc ſententiam verba apud Theodoretum; Quae maximi ponderis habenda ſunt apud Novatores ob huius Eccleſiae Patris antiquitatem & auctoritatem, ut inferius relata videbuntur.

Iuſtinus in apolog. 2. *Quemadmodum*, inquit, *per verbum Dei caro factus eſt Chriſtus ſervator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtrae cauſſa habuit: ad eundem modum, in qua per preces verbi eius ab ipſo profecti gratiae actae ſunt, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Ieſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus. Nam Apoſtoli in commentariis a ſe ſcriptis, quae Evangelia vocantur, ita tradiderunt ſibi praecepiſſe Ieſum. Eum enim pane accepto quum gratias egiſſet, dixiſſe, Hoc facite in mei commemorationem. Hoc eſt Corpus meum: & poculo ſimiliter accepto & gratiis actis dixiſſe, Hic eſt ſanguis meus*.

Tertullianus non alienus eſt a ceteris, quamvis ſaepius in aliis, ſuo dicendi genere duriore interdum, licet ſubtiliore, mentem ſuam promere ſoleat. *Chriſtus* inquit, *panem ſuum Corpus fecit, Hoc eſt Corpus meum dicendo*. Cui ſententiae non officit quod mox ſubiungit, *id eſt figura Corporis mei*, quae prius effatum non evertit, ut po-

poſtea dicam. Quare conſtanter hic auctor panem conſecratum Corpus Chriſti vocare conſuevit, ut lib. de Oratione c. *6.* Corpus eius in pane cenſetur, *Hoc eſt Corpus meum.*

Cyprianus ep. *56. Gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta & virtute robuſta parare ſe debent milites Chriſti, conſiderantes iccirco quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, ut poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.*

Quare certiſſimum eſt, hanc eſſe apud veteres interpretandi rationem, ut exiſtimarent, hanc eſſe Grammatices conſtructionem, *Hic panis eſt Corpus meum.*

Sed ſtatim addunt qua ratione ſit vera enuntiatio Chriſti; Nempe quoniam ipſius divina virtute, & per verborum Chriſti efficientiam, panis efficitur Corpus Chriſti, tranſit, transfertur, & mutatur in Corpus Chriſti.

Hanc ſententiam prae ſe ferunt omnes Liturgiae Occidentalis & Orientalis Eccleſiae, in Miſſa Latina, dicentes de pane & vino propoſitis in altari: *quam oblationem tu Deus in omnibus quaeſumus benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis fiat Corpus & ſanguis dilectiſſimi filii tui D. N. Ieſu Chriſti.*

Liturgia Iacobi Hieroſolymitanae Eccleſiae, *Rogatus ut Spiritus ſanctus adveniens, ſancta, bona, & glorioſa ſua praeſentia ſanctificet, & efficiat hunc panem Corpus ſanctum Chriſti tui, & calicem hunc pretioſum ſanguinem Chriſti tui, ut ſit omnibus ex his ſumentibus in remiſſionem peccatorum.*

Liturgia Aethiopica: *Benedic. ſanctifica, munda, & transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in ſanguinem tuum pretioſum.*

Liturgia Baſilii: *Effice panem iſtum Corpus glorioſum Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Liturgia Chryſoſtomi: *Emitte ſpiritum tuum ſuper nos, & ſuper propoſita dona haec: Et fac panem quidem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui: Et quod eſt in calice illo pretioſum ſanguinem Chriſti filii tui, transmutans Spiritu ſancto tuo.*

Quare recte eximius ille Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, rationem reddens, cur in veteribus Liturgiis a Baſilio in compendium redactis tot orationes ipſum ordinem agendi, ſive conſecrationem, antecedant, ait, per has preces adventum Spiritus ſancti expectabant, ut eius divina praeſentia propoſitum in ſacrificium panem & vinum aquae permixtum ipſum illud Corpus & ſanguinem ſervatoris noſtri Ieſu Chriſti efficiat.

Praeter Liturgias vero, ubi, quod a Deo poſtulatur, beneficium abſque ambage ulla proponi neceſſe eſt, veteres illi Magiſtri, qui re-

cens tinctos fideles docebant, quid de hoc myſterio ipſis credendum eſſet, aperte tradunt, panem fieri verum Corpus Chriſti ex vi verborum ab ipſo Domino ſemel prolatorum. Et ut illius potentiam in mutanda panis natura demonſtrent, accerſunt varia exempla e Scripturis petita; ex quibus diſcant fideles, dei poteſtati ſubiici naturas, ut eas ex nihilo condat, vel ſemel productas in alias naturas convertat.

Cyrilli locus inſignis eſt in Catecheſi 4. Myſt. *Quum igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane, Hoc eſt Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente, Hic eſt ſanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat non eſſe illius ſanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilaeae ſola voluntate: Et non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet? Si enim ad nuptias corporeas invitatus ſtupendum miraculum operatus eſt, & non multo magis Corpus & ſanguinem ſuum filiis ſponſae dediſſe illum confitebimur? Quare cum omni certitudine Corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus. Nam ſub ſpecie panis datur tibi Corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis, ut ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps Corporis & ſanguinis,* συσωμος και συναιμος. *Chriſtophori erimus, quum eius Corpus & ſanguinem in membra noſtra receperimus, atque ita ut B. Petrus dixit, divinae conſortes naturae efficiemur, &c. Hoc ſciens & pro certiſſimo habens, panem hunc qui videtur a nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe Corpus Chriſti; & vinum quod a nobis conſpicitur, tametſi guſtui vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.*

Elegantiſſima eſt in hanc ſententiam Gregorii Nyſſeni oratio Catechectica in c. 37. Vbi poſtquam docuiſſet, alimentum hominis praecipuum in pane, & vino aqua temperato conſiſtere, quod in aliti ſubſtantiam vertitur, ſubiunxit Chriſtum Dominum, quando verſabatur in terris, pane vitam ſuam foviſſe: qui ſemel comeſus viribus naturae in Corporis Chriſti ſubſtantiam tranſibat: Quod quidem Corpus ob coniunctionem cum verbo ad divinam dignitatem evectum erat. Quae autem tunc fiebat naturae viribus panis transmutatio in Corpus Chriſti cum divino verbo unitum, nunc fieri oſtendit in Euchariſtia verbis Chriſti.

Recte ergo nunc, quoque inquit, *Dei verbo ſanctificatum panem, in Dei Verbi Corpus credo tranſmutari:* Mox: *Igitur unde in illo Corpore tranſmutatus panis tranſivit in divinam virtutem, per idem nunc fit ſimiliter. Nam & illic verbi gratia ſanctum fecit Corpus, cui ex pane erat ſubſtantia, & quodam modo ipſum quoque erat panis: Et hic ſimiliter panis, ſicut dicit Apoſtolus, ſanctificatur per verbum Dei & orationem, non per cibum, & potum procedens ad*

Cor-

Corpus verbi ; ſed a verbo, quemadmodum dictum eſt, tranſmutatus, nempe Corpus meum.

Chryſoſtomus Homil. 83. ad c. 26. Matthaei: *Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & cogitationi noſtrae abſurdum eſſe videatur quod dicit, ſuperetque ſenſum & rationem noſtram ſermo ipſius, quod in omnibus, & praecipue in myſteriis faciamus, non illa quae ante nos iacent ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoqne eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non poſſumus, ſenſus vero noſter deceptui facillimus eſt: illa falſa eſſe non poſſumus ſenſus vero noſter deceptui facillimus eſt: illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſaepius atque ſaepius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, hoc eſt Corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, & oculis intellectus id perſpiciamus.* Mox: *O quot modo dicunt, vellem formam & ſpeciem eius, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre. Ipſum Igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis, &c. Non ſunt humanae virtutis haec opera: quae tunc in illa coena confecit, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit, Miniſtrorum nos ordinem tenemus: qui vero haec ſanctificat, & tranſmutat, ipſe eſt.*

Idem Homilia de proditione Iudae: *Et nunc ille praeſto eſt Chriſtus, qui illam ornavit menſam, iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione menſae Domini Corpus Chriſti facit & ſanguinem: ſed ille, qui crucifixus eſt pro nobis, Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratia. Hoc eſt, ait, Corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur, & ſicut illa vox quae dicit, Creſcite & multiplicamini & replete terram ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem operante natura; Ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt: ſed per omnes menſas Eccleſia uſque ad hodiernum diem, & uſque ad eius eventum, praeſtat ſacrificiis firmitatem.*

Claudet chorum iſtum Cyrillus Alexandrinus, cuius illuſtria ſunt verba in epiſtola ad Caloſyrium: *Non dubites an hoc verum ſit eo manifeſte dicente; Hoc eſt Corpus meum. Sed potius ſuſcipe verba Salvatoris in fide. Quum enim veritas ſit, non mentitur.* Mox docet, carnem humanam, quam Verbum aſſumſit ſibique propriam fecit, vivificandi vim ex verbo ſibi unito trahere. Et quum eadem caro ſit in Euchariſtia, non recedere vivificandi vim a reliquiis eius, quae in diem ſequentem ſuperſunt; quoniam Chriſti Corpus non mutatur. His deinde verbis concludit: *Decebat ergo, eum noſtris quodammodo uniri corporibus per ſacram eius carnem ac pretioſum ſanguinem, quae accipimus in benedictione vivificativa in pane & vino. Ne enim horreremus carnem & ſanguinem appoſita ſacris altaribus, condeſcendens Deus noſtris fragilitatibus, influit oblatis vim vitae, convertens ea in veritatem propriae carnis, ut Corpus vitae quaſi quoddam ſemen vi-*

viſicativum inveniatur in nobis. Vnde ſubdit, Hoc facite in meam commemorationem.

Accedit tamen illis aetate poſterior, ſed eruditione & nominis fama inſignis, Joannes Damaſcenus, qui fuſe docet l. 4. Orth. fid. c. 14. *Quemadmodum Dei verbo efficaci orbis univerſus conditus eſt, ſic ex pane Corpus Chriſti, & ex vino & aqua ſanguinem eius fieri.* Mox addit: *Quo tandem modo mihi fiet iſtud? aiebat ſancta Virgo, quoniam virum non cognoſco. Reſpondet Archangelus Gabriel: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Tu quoque nunc quaeris, quomodo panis corpus Chriſti, & vinum cum aqua coniunctum ſanguis Chriſti fiat? Tibi item reſpondeo: Spiritus Sanctus ſupervenit, eaque efficit, quae orationis facultatem, & mentis intelligentiam excedunt.* Mox: *Quoniam ita fert hominum uſus, ac conſuetudo, ut panem edant, vinumque & aquam bibant, idcirco divinitatem ſuam cum ipſis coniunxit, eaque Corpus & ſanguinem ſuum fecit, ut per uſitata naturaeque conſentanea ad ea, quae ſupra naturam ſunt aſſurgamus. Sane Corpus divinitati vere unitum eſt illud Corpus, quod ex ſancta Virgine ortum eſt: non quod aſſumtum illud Corpus ex coelo deſcenderit, ſed quia panis ipſe, & vinum in Corpus & ſanguinem Dei immutantur.*

Mox: *Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum in comedentis & bibentis corpus, & ſanguinem immutantur, corpuſque alterum fiunt, atque a priore ipſius corpore diverſum, ſic propoſitionis panis ac vinum & aqua per ſancti Spiritus invocationem, & adventum mirabili modo in Chriſti Corpus & ſanguinem vertuntur, nec ſunt duo, ſed unum & idem.*

Non deſunt Latini Patres, qui eandem interpretandi rationem ſequuntur; & in ea ſincere credenda fideles recens myſteriis initiatos erudiunt. Quod officium luculenter implevit divus Ambroſius in lib. de his, qui myſteriis initiantur c. 9. ubi multis exemplis probata Dei potentia in naturis mutandis, eamdem potentiam adhibitam docet ad mutandum panem in Corpus Chriſti per ipſa Domini verba. *Forte dicas*, inquit, *aliud video, quomodo tu mihi aſſeris, quod Chriſti Corpus accipiam? Et hoc nobis ſupereſt ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non eſſe quod natura firmavit, ſed quod benedictio conſecravit; maioremque eſſe vim benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiam ipſa natura mutetur. Virgam tenebat Moyſes, & facta eſt ſerpens.* Mox enumeratis aliquot aliis miraculis Moyſis, Eliae, & Eliſaei, ſubiungit: *Quod ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi ipſa verba Domini Salvatoris operantur? Nam ſacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur: quod ſi tan-*

Digitized by Google

ſi tantum valuit ſermo Heliae, ut ignem de coelo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſti: quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea, quae ſunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt novas rebus dare, quam mutare naturas, &c. Ipſe clamat Dominus Ieſus, Hoc eſt Corpus meum, ante benedictionem verborum coeleſtium alia ſpecies nominatur; poſt conſecrationem Corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen, hoc eſt, verum eſt. Quod os loquitur mens interna fateatur, &c. Liquet quod praeter naturae ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus, Corpus ex Virgine eſt. Quid hic quaeris naturae ordinem in Chriſti Corpore, cum praeter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex Virgine?

Eiuſdem Ambroſii libri de ſacramentis, (nec enim dubito, quin ſint gemini huius auctoris foetus) ſimilem doctrinam exhibent lib. 4. de Sacram. c. 4. *Tu forte dicis, Meus panis eſt uſitatus. Sed panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum; ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt qui panis eſt Corpus eſſe Chriſti? conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu.* Mox: *Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempe is quo facta ſunt omnia.* Mox: *Iuſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo quam operatorius ſit ſermo Chriſti? Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, ut inciperent eſſe quae non erant; quanto magis operatorius eſt, ut ſint quae erant, & in aliud commutentur? Coelum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem. Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Ego ut tibi reſpondeam, non erat Corpus Chriſti ante conſecrationem: Sed poſt conſecrationem, dico tibi quod iam Corpus eſt Chriſti. Ergo didiciſti, quod ex pane fiat Corpus Chriſti: & quod vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi coeleſtis,*

Sufficeret ſane ſola religioſiſſimi, & eruditiſſimi Ambroſii auctoritas ad Chriſtianae fidei informationem. Sed alium auctorem adiungemus, ut ſciatur, antiquos illos Magiſtros in huius doctrinae veritate conſenſiſſe.

Gaudentius Brixiae Epiſcopus Tractatu 2. de Exodo: *Idem per ſingulas Eccleſiarum domos in myſterio panis ac vini reficit immolatus, vivificat creditus, conſecrantes ſanctificat conſecratus. Haec agni caro, hic ſanguis eſt. Panis enim qui de coelo deſcendit, ait, Panis, quem ego dabo, caro mea pro ſaeculi vita. Recte etiam vini ſpecie tum ſanguis eius exprimitur: quia quum ipſe in Evangelio dicit: Ego ſum* vi-

vitis vera, ſatis declarat, ſanguinem ſuum eſſe omne vinum, quod in figura paſſionis eius offertur. Vnde Beatiſſimus Patriarcha Iacob de Chriſto prophetaverat dicens, Lavabit in vino ſtolam ſuam: quippe noſtri corporis indumentum ſuo proprio erat ſanguine abluturus. Ipſe igitur naturarum Creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rurſus quia & poteſt & promiſit, efficit proprium Corpus: Et qui de aqua vinum fecit, & de vino ſanguinem ſuum. Mox: *O altitudo divitiarum ſapientiae & ſcientiae Dei! Paſcha eſt, inquit, Domini, hoc eſt tranſitus Domini. Ne terrenum putes, quod* coeleſte *effectum eſt per eum qui tranſit in illud, & fecit illud ſuum Corpus & ſuum Sanguinem.* Mox: *Quod annunciatum eſt credas; quia quod accipis Corpus eſt illius panis coeleſtis, & ſanguis eſt illius ſacrae vitis. Nam cum panem conſecratum & vinum Diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait, Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Credamus cui credidimus, neſcit mendacium veritas.* Mox: *Non infringamus os ipſius illud ſolidiſſimum, Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Si quid autem ſuperfuerit etiam nunc in uniuſcuiuſque ſenſu, quod expoſitione iſta non ceperit, ardore fidei concremetur.*

Immutationem panis huius in ſacramentum Corporis Chriſti Deo quoque inviſibiliter operanti tribuit Auguſtinus, quem nefas eſt ſuſpicari a Magiſtro ſuo Ambroſio diverſum ſenſiſſe libro 3. de Trinitate cap. 4. *Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos lingua editos, nec ſigna litterarum conſcripta pelliculis, Corpus Chriſti & Sanguinem dicimus: Sed illud tantum quod ex fructibus terrae acceptum & prece myſtica conſecratum, rite ſumimus ad ſalutem ſpiritualem in memoriam pro nobis Dominicae paſſionis. Quod, quum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur, ut ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inviſibiliter Spiritu Dei: quum haec omnia, quae per illos corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur.*

Accedat Eucherius Lugdunenſis, qui Euſebii Emiſſeni nomine citari conſuevit, Homilia 5. de Paſcha: *Recedat omne infidelitatis ambiguum quandoquidem qui auctor eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Nam inviſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo, ſecreta poteſtate convertit, ita dicens: Accipite & edite, Hoc eſt enim Corpus meum: & ſanctificatione repetita Recipite, & bibite, hic eſt ſanguis meus. Ergo ſicut ad nutum praecipientis Domini repente eo nihilo ſubſtiterunt excelſa coelorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum; pari potentia in ſpiritualibus ſacramentis, verbi praecipit virtus, & ſervit effectus. Nec dubitet quiſquam, primarias creaturas nutu potentiae, praeſentia maieſtatis in Dominici Corporis tranſire poſſe naturam, quum ipſum hominem videat artificio coeleſtis miſericordiae Corpus Chriſti effectum. Sicut autem*

qui-

Digitized by Google

quicunque, qui ad fidem veniens, ante verba baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti, his vero commemoratis mox exuitur omni faece peccati; Ita quando benedicendae verbis coeleſtibus creaturae ſacris altaribus imponuntur, antequam innovatione ſummi numinis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis, & vini: Poſt verba autem Chriſti, Corpus & Sanguis eſt Chriſti. Quid mirum autem eſt ſi ea, quae verbo creare potuit, poſſit creata convertere? Imo iam minoris eſſe videtur miraculi, ſi id quod ex nihilo agnoſcitur condidiſſe, iam conditum in melius valeat commutare.

Antequam ulterius progrediar, monendus eſt Lector, propoſitam ab Eucherio baptiſmi ſimilitudinem ad id pertinere, ut oſtendat vim tantam eſſe verborum, quae in ſacramentis adhibentur, ut efficiant ſtatim quod ſignificant. Ante baptiſmum peccatis infectus eſt Cathecumenus, at vero poſt verba baptiſmi recitata a miniſtro mox omni faece peccati exuitur. Effectus verba ſequitur. Eodem modo in Euchariſtiae myſterio panis ſubſtantia altari imponitur, poſt verba autem Chriſti Corpus, & Sanguis eſt Chriſti. Quare ridicula eſt & iocularis haereticorum adnotatio, qui ex hac ſimilitudine colligi poſſe putant, Eucherium de immutatione quadam ſpirituali & morali, quae fiat in pane, locutum, quum tam ſerio veram panis in Corpus mutationem nobis credendam ingerat.

Ceterum non ſolum Patres illi, quos protulimus, ut doceretur qua ratione panis fieret Corpus Chriſti, apertiſſime profeſſi ſunt, Corpus illud conſecratum eſſe verum Chriſti Corpus: ſed ceteri quoque omnes, licet omnes non explicuerint qua ratione id fieret, contenti hac una doctrinae profeſſione, quae ad ſalutem neceſſaria erat. Porro illi promiſcue vel Corpus appellant, vel Carnem, primam appellationem ex formula conſecrationis mutuantes: alteram ex capite *6.* Ioannis, ubi Chriſtus tantopere commendat Carnis ſuae eſum: quae dupliciter fieri quum poſſit, tum per fidem in illum, qua de re cum Iudaeis tunc agebatur, tum per Euchariſtiae myſterium, illud inſinuatum a Chriſto fuiſſe quaſi mox inſtituendum ſummo conſenſu docent veteres, inter quos Auguſtinus, & Cyrillus Alexandrinus in Commentariis in Ioannem.

Quare verum Corpus, ipſum Corpus Chriſti glorioſum, precioſum, incorruptum & quod incarnatum eſt, hoc ſacramentum appellant; carnem quoque ſpiritualem, immortalem, vivificatricem & intelligibilem eſſe Chriſti aſſerunt: Panem quoque coeleſtem, divinum, panem vitae, quod de ſanguine ſimiliter docent. E multis aliquot ſeligam.

Familiam ducet Ignatius martyr in epiſtola ad Smyrnenſes, laudatus a Theodoreto dialogo 3. *Euchariſtias & oblationes non admittunt* (loquitur de haereticis ſuae aetatis), *quod non confiteantur, Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, quae pro peccatis noſtris*

ſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.

Origenes Homil. 5. in diverſos: *Quando ſanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitae pane, & poculo frueris, manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians teipſum imitare hunc Centurionem, & dicito, Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. Vbi enim indigne ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipientis.*

Lib. 8. contra Celſum: *Quocirca Celſus, ut Dei ignarus, gratias daemonibus reddat. Nos vero conditori omnium Deo gratias agentes, & pro collatis in nos eius beneficiis actis gratiis, oblatis panibus veſcimur, qui utique per precem efficiuntur Corpus ſanctum, & ſanctificans eos, qui ſano propoſito & mente ipſis utuntur.*

Euſebius Caeſarienſis apud Damaſcenum in Parallelis lib. 3. c. 48. *Multi peccatores, quum Presbyteri ſint, ſacris operantur, nec Deus eos averſatur. Verum per Spiritum Sanctum propoſita dona conſecrat. Ac panis quidem pretioſum Domini Corpus efficitur, poculum autem pretioſus Domini Sanguis.*

Synodi Nicaenae Diatypoſis apud Gelaſium Cizicenum lib. 3. *In divina coena ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum: ſed attollentes mentem fide intelligamus, ſitum in ſacra illa menſa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum: & pretioſum eius Corpus ac ſanguinem nos vere ſumentes, credere haec eſſe noſtrae reſurrectionis ſymbola. Propter hoc etiam, nec multum accipimus, ſed parum: ut ſciamus quod non ſatietati, ſed ſanctimoniae ſumpſimus.*

Ephrem Syrus, de natura Dei non ſcrutanda, c. 5. *Eſto fidelis & innocens, participa immaculato Corpori Domini tui fide pleniſſima: certus quod Agnum ipſum integrum comedis. Ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti, noli temere ea perſcrutari, ne in ipſorum perſcrutatione comburaris. Hoc ſane excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem, quod fecit nobis unigenitus Filius Chriſtus Salvator noſter. Ignem & Spiritum manducandum ac bibendum praeſtitit nobis carne veſtitis, Corpus ſcilicet ac ſanguinem ſuum.*

Baſilius in epiſtola ad Caeſariam Patriciam: *Communicare per ſingulos dies, & participare de ſacro Corpore & Sanguine Chriſti, & pulchrum eſt, & valde utile, ipſo manifeſte dicente: qui edit meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam. Quis enim ambigit, quin frequens vitae participatio nihil aliud ſit, quam plurimis modis vivere? Nos idcirco quater in ſingulis hebdomadis communicamus, die Dominico, in quarto die hebdomadae, in Paraſceve, & in Sabbato, ac aliis diebus, ſi qua memoria fuerit ſancti alicuius.*

Chryſoſtomus oratione de Philogonio: *Si cum fide acceſſerimus, pro-*

Digitized by Google

procul dubio videbimus illum in praeſepi iacentem. Siquidem haec menſa vicem explet praeſepis. Nam & hic ponitur Corpus Dominicum, non quidem faſciis involutum ſicuti tunc, ſed undiquaque Spiritu ſancto conveſtitum. Qui myſteriis initiati ſunt intelligunt quae dicuntur.

Idem Homilia 24. in c.10. prioris ad Cor. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? Valde fideliter dixit, & terribiliter. Hoc eſt autem quod dicit. Id quod eſt in Calice, eſt id quod fluxit e latere, & illius ſumus participes.*

Idem lib. 3. de Sacerdotio: *O miraculum! o Dei benignitatem! qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe ipſum tradit volentibus eum excipere ac complecti.*

Cyrillus Alexandrinus in Synodo Epheſina anathematiſmo XI. *Sanctum ac vivificum, incruentumque in Eccleſiis ſacrificium peragimus, Corpus quod proponitur, ſimiliter & pretioſum Sanguinem, non communis nobiſque ſimilis hominis cuiuſpiam eſſe credentes, ſed potius tamquam proprium Corpus effectum, & Sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes; ſiquidem communis caro vivificare non poteſt, & hoc Salvator ipſe teſtatum facit: Caro inquiens non prodeſt quidquam, Spiritus eſt qui vivificat; quia enim caro Verbi facta eſt propria, ob id intelligitur, & eſt vivifica, quemadmodum ipſe Salvator ait: Sicut me miſit vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: Et qui manducat me, & ipſe vivet propter me.*

Idem in Commentariis in Ioannem lib. 4. c. 13. *Quomodo poteſt hic carnem ſuam nobis dare? de Deo non ſine magna impietate conclamant* (Iudaei), *nec in mentem venit, nihil eſſe impoſſibile apud Deum*. Et mox: *Si vero tu Iudaee, quomodo etiam nunc clamas, hanc tuam imperitiam ego quoque ſequutus, libenter quomodo ex Aegypto exiviſti rogabo, quomodo in ſerpentem Moſaica fuit virga converſa? &c.* Cap. 14. *Quoniam igitur Salvatoris Caro verbo Dei, quod Naturaliter vita eſt, coniuncta, vivifica effecta eſt, quando eam comedimus, nunc vitam habemus in nobis.* Cap. 16. *Non ergo erat* (Manna) *cibus verus, id eſt panis de caelo. Sanctum vero Chriſti corpus ad immortalitatem, & vitam aeternam nutriens cibus eſt.* Mox: *Non erat igitur potus ille verus; ſed verus potus eſt Sanguis Chriſti, quo radicitus mors evertitur.* Cap. 17. *Sicuti enim ſi quis liquefactae cerae aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat; neceſſe eſt, ſi quis Carnem & Sanguinem Domini recipit, cum ipſo ita coniungatur.*

Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 123. *Vt Ioſephus Domini Corpus ſindone involutum ſepulturae mandavit, per quod univerſum mortalium genus reſurrectionem percepit: eodem modo nos propoſitionis panem in ſindone ſanctificantes Chriſti Corpus ſine dubitatione reperimus.*

Idem epiſt. 209. *Quum Deus eſt Salvator noſter, in myſtica menſa communem panem proprium incarnationis ipſius corpus reddit, quòd tu, o veſane, eum quiddam factitium, aut creatum, aut ſervilis materiae eſſe doces.*

Apud Latinos Patres vetuſtioris aevi occurrit Tertullianus, qui lib. 1. contra Marcionem c. 14. ait, Chriſtum *Pane Corpus ſuum repraeſentare*, id eſt praeſens exhibere, quae vis eſt huius dictionis apud Iuriſconſultos. Et lib. 4. c. 40. *Chriſtus acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, Corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt Corpus meum dicendo.*

Cyprianus ep. 56. *Armemus & dexteram gladio ſpirituali, ut ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiae memor, qua Domini Corpus accepit, ipſum complectatur.* Et alibi ſaepius.

Hilarius lib. 8. de Trinitate: *Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, vere caro eſt, & vere ſanguis eſt. Et haec accepta & hauſta id efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.*

Ambroſius lib. de his, qui myſteriis init. *In illo Sacramento Chriſtus eſt, quia Corpus eſt Chriſti, non ergo Corporalis eſca, ſed ſpiritualis eſt. Vnde & Apoſtolus de typo eius ait: quia Patres noſtri eſcam ſpiritalem manducaverunt, & potum ſpiritalem biberunt. Corpus enim Dei Corpus eſt ſpiritale. Corpus Chriſti Corpus eſt divini Spiritus.*

Hieronymus epiſt. ad Heliodorum. *Abſit ut de his quicquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt* (id eſt conſecrant; haec eſt enim vis dictionis illius).

Idem epiſt. ad Hedibiam qu. 2. *Nos audiamus panem, quem fregit Dominus deditque Diſcipulis, eſſe Corpus Domini Salvatoris.* Mox: *Nec Moyſes nobis dedit panem verum, ſed Dominus Ieſus ipſe Conviva & Convivium, ipſe comedens & qui comeditur, illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus.*

Idem ad c. 1. epiſt. ad Titum. *Tantum intereſt inter propoſitionis panes, & Corpus Chriſti, quantum inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quae per exemplaria praefigurabantur.*

Auguſtinus l. 2. c. 9. contra adverſ. legis. *Mediatorem Dei & hominum hominem Ieſum Chriſtum carnem ſuam nobis manducandam bibendumque ſanguinem dantem fideli corde atque ore ſuſcipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare, quam fundere.*

Idem Sermone ad Neophytos: *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, hoc accipite in Calice, quod manavit de latere Chriſti.*

Leo 1. Sermone 6. de ieiunio ſeptimi menſis. *Dicente Domino, Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis, ſic ſacrae menſae communicare debetis,*

Digitized by Google

ut nihil prorſus de veritate Corporis & Sanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur, & fruſtra ab illis Amen reſpondetur, a quibus contra quod accipitur, diſputatur.

Gregorius lib. 4. Dial. cap. 58. *Eius quippe ibi Corpus ſumitur, eius caro in populi ſalutem partitur, eius ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur.*

Enimvero ad integram Sacramenti explicationem diligenter animadvertendum eſt, duas eſſe huius myſterii partes, aſpectabilem alteram, ſenſibilem, viſibilem, & humanis ſenſibus obiectam, quae panis appellatione ab altera ſecerni poteſt: alteram intelligibilem, & ſoli fidei patentem, quae eſt Corpus Chriſti ſpiritale, inviſibili modo cum altera parte ſic coniunctum, ut una & ſolida fiat Euchariſtia Corporis & ſanguinis Chriſti.

Neque enim fieri poterit, ut τα νοντα, res intelligibiles, id eſt quae ſolo intellectu percipi poſſunt, nobis qui ex corpore concreti ſumus traderentur, niſi adhibito rerum corporearum miniſterio, ut optime obſervat Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. *Nihil enim ſenſibile traditum nobis a Chriſto, ſed rebus quidem ſenſibilibus; omnia vero, quae tradidit, inſenſibilia ſunt; ſic & in baptiſmo per aquam, quae res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio ſcilicet ac renovatio, intelligibile quoddam eſt: Nam ſi tu incorporeus eſſes, nude ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi: quoniam vero Corpori coniuncta eſt anima tua, in ſenſibilibus intelligibilia tibi traduntur.* Explicat deinde quomodo Chriſtus corpus ſuum tradat, nempe panem in illud transmutando.

Itaque, ut dixi ex duobus conflata eſt Euchariſtia, quorum unum ſenſibile, panis ſcilicet; aliud intelligibile, nempe Corpus Chriſti. Quod ex B. Paulo veteres Patres Irenaeus, Iuſtinus, & reliqui, quos myſterii explicandi ſtudium ei muneri adſtrinxit, evidenter hauſerunt. Hic enim poſt memoratam panis in Corpus conſecrationem fideles hortatur, ne ad eius cibi eſum imparati accedant: perniciem illis comminatur, qui ex pane illo mente polluta comederint, utpote qui Corporis & ſanguinis Domini ſint futuri manifeſte rei, non diudicantes Corpus Domini. Id eſt, non ſeparantes eam cognitionem, quam panis conſecrati reſidua natura, & appellatio ſenſibus ingerit, ab ea, quae puris fidei oculis obverſatur, Corporis immortalis ſubſtantia.

Irenaei elegans eſt in hanc ſententiam diſſertatio, quae graviter Sacroſanctum Euchariſtiae myſterium explicat. (1) Docet quippe, Deum non exegiſſe ab hominibus ſacrificia in veteri lege, tanquam illis indigeret, qui erat omnium Dominus; ſed ſolum ab iis fidem cum iuſtitiae operibus coniunctam expectaſſe, quam ſacrificiis ſuis teſtarentur. Subiungit quoque Chriſtum, conſuluiſſe Diſcipulis ſuis, ne ingrati haberentur

(1) Lib. 4. c. 32.

tur apud Deum; Illis quippe creaturarum primitias Deo offerendas praecepiſſe, ut eius Corpus & Sanguis fierent, & ſic nova per univerſum orbem celebraretur novi Teſtamenti oblatio a Malachia iam olim praenuntiata: quam per Ieſum Chriſtum offert Eccleſia. Quae quidem oblatio purum quidem eſt in ſe ſacrificium, Deoque gratum & acceptum, quum ſit Corpus Domini; attamen quum noſtri commodi cauſſa id agatur, debet victimae puritati noſtrae quoque mentis integritas, & vitae emendatae innocetia adiungi: ut quemadmodum olim *reſpexit Deus ad munera Abel, quoniam cum ſimplicitate & iuſtitia offerebat*, ſic bonitatem eius omni cultu mentis, & proximi dilectione provocemus, ut quatenus a nobis haec oblatio offertur Deo quoque ſit accepta, quo nos beneficiis illis cumulet, quae iſtis ſacrificiis promereri contendimus. Hanc autem oblationem ab Eccleſia ſola offerri: Non autem a Iudaeis, qui verbum non receperunt, per quod offertur Deo: Neque ab haereticis; quoniam conditorem orbis alium eſſe a Deo profitentur: Vnde ſequitur, quas Dei creaturas eſſe credimus, ſi Deo ipſi offerunt, alieni cupidum eum eſſe teſtentur, ac proinde oblationem illam gravi iniuria afficiant.

Statim vero graviſſimam diſputationem inſtituit adverſus haereticos illos, & ex oblationis Euchariſtiae uſu, quam illi non repudiabant, duo graviſſima fidei capita confirmat. Alterum eſt, Verbum eſſe Filium Dei, qui ſit quoque mundi conditor. Alterum, carnem hominis poſt mortem ſuſcitari ad vitam.

Quomodo autem conſtabit eis, eum panem, in quo gratiae actae ſunt, Corpus eſſe Domini ſui, & calicem Sanguinis eius, ſi non ipſum Fabricatoris mundi Filium dicant, id eſt, verbum eius, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, & terra dat primum quidem foenum; poſt deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica. Nempe Filius Dei non adhibuiſſet res ab adverſario Patris ſui creatas, ut eas efficeret corpus & ſanguinem ſuum; quoniam vero eas adhibuit, patet, conditorem mundi non alium eſſe a Deo Patre Verbi. Pergit Irenaeus: *Quomodo autem dicunt rurſus carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quae a Corpore Domini & Sanguine alitur*. Id eſt, ſi a Corpore Domini, quod eſt immortale, caro hominis alitur, qui fieri poteſt ut haeretici eius futuram reſurrectionem negent, Vnde recte concludit Irenaeus utrumque caput. *Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quae praedicta ſunt*. Sententiam vero Catholicam ſic aſtruit: *Noſtra autem eſt conſonans ſententia Euchariſtiae, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram. Offerimus enim quae ſunt eius, congruenter communicationem praedicantes Carnis & Spiritus. Quemadmodum enim, qui eſt a terra, panis percipiens invocationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena, & coeleſti, ſic & cor-*

pora

pora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia ſpem reſurrectionis habentia. Offerimus autem non quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationis eius, & ſanctificantes creaturam.

Vt locus iſte recte capiatur, obſervandum eſt, Euchariſtiam ex duabus rebus conſtare, teſte Irenaeo, quod probandum nobis propoſueramus: Altera terrena, altera coeleſti. Res illa terrena ſunt primitiae creaturarum, id eſt primariae ſubſtantiae, ut vocat Gaudentius Brixianus, panis ſcilicet, & vinum, quae percepto Dei verbo fiunt Corpus & ſanguis Chriſti; ea tamen lege, ut non diſcedant a ſtatu ſenſibili, neque nutriendi naturam amittant, ut ſtatim docet. Res vero coeleſtis eſt ipſum Corpus Chriſti ſpirituale & intelligibile, quod dote immortalitatis quum fruatur, nullis perpeſſionibus, aut loci, vel hominum iniuriis eſt obnoxium.

Recte itaque concludit ex hoc diſcrimine partium in Euchariſtia, & Chriſtianos offerre Deo quae ſunt eius, nempe panem & vinum, ut eius invocatione percepta, fiant Euchariſtia. Hac vero Euchariſtia a fidelibus comeſa fieri, ut eorum corpora ſacro illo cibo alantur, & inde ad ſpem immortalitatis aſſurgant.

Quod manifeſtius declarat lib. 5. c. 2. ubi docet, ex propoſito Chriſtum veram carnem humanam ſibi adiunxiſſe, & non fictitiam, ut carnem quoque noſtram in antiquo Adamo morte damnatam, vitae reſtitueret, atque ſalutis faceret participem. Vt autem tanto beneficio potiamur indigere nos maxima cum illo communione. Qui autem fidem iſtam reiiciunt haeretici, carniſque ſalutem & futuram eius immortalitatem negant, univerſam Dei diſpoſitionem contemnere, ait, ſicque confirmat. Conſtans eſt, Criſtum ſalute hominum laborantem eos ſanguine ſuo redimiſſe, eoque vero, qui e venis humani corporis effluxit: Vero quoque ſui ipſius ſanguine, & vera carne ſua, in Euchariſtia carnem noſtram reficere, & alere. Quare nemo inficiari recte poterit, quin caro noſtra a corruptione ſit expers futura, quae corpore immortali non ſolum redempta eſt, ſed etiam nutrita; imo vero in id evecta, ut ſit membrum Chriſti. Quare, quemadmodum vitis demiſſa in terram, & triticum ſolo quoque mandatum, ſua tempeſtate multiplices fructus edunt: qui deinde ad uſum hominum quotidianum parantur, poſtea vero Dei verbo ſanctificati Euchariſtia fiunt, quod eſt Corpus & Sanguis Chriſti: Sic quoque corpora noſtra ex ea nutrita & repoſita in terram atque reſoluta ſuo tempore ſuſcitabuntur, Dei verbo reſurrectionem eis impertiente. Quaedam eius auctoris verba hic apponemus: *Et quoniam membra eius ſumus; & per creaturam nutrimur, & creaturam ipſe nobis praeſtat, ſolem ſuum oriri faciens, & pluens quemadmodum vult, eum Calicem qui eſt creatura ſuum ſanguinem, qui effuſus eſt, ex quo auget noſtrum ſanguinem: & eum panem, qui eſt a creatura, ſuum Corpus confirmavit, ex quo auget*

get noſtra corpora. Quando ergo & mixtus Calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia Sanguinis & Corporis Chriſti, ex quibus augetur & ſubſiſtit carnis noſtrae ſubſtantia. Quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, quae eſt vita aeterna, quae Sanguine, & Corpore Chriſti nutritur, & eſt membrum eius?

His ſemel animadverſis redeundum eſt ad priorem locum Irenaei, qui huic lucem praebet, & ab eodem mutuo ſumit. Euchariſtia quum ex re terrena, id eſt pane externo, conflata ſit, & ex vero atque immortali Corpore Chriſti, ſic ut duo iſta unam ſolidam & integram Euchariſtiam conſtituant; hinc fit, ut fideles, qui per fidei vinculum Chriſto ut capiti coniuncti ſunt, adeoque ſunt ipſius membra, connectente illa ſuo capiti Spiritu divinitatis, quae eſt in verbo, ut ipſemet Irenaeus docet lib. 5. c. 6. Illi inquam fideles alio etiam modo Chriſti membra fiant, Euchariſtiae interventu: quae ſingulari divini amoris induſtria ſic temperata eſt, ut ſit verum Corpus, verusque Sanguis Chriſti, quoad partem ſui coeleſtem; quae tamen ſic commixta eſt cum terrena, ut panis ille conſecratus vim retineat nutriendi corporis humani. Vnde prodit admiranda coniunctio, non ſolum animae fidelis cum Chriſto per fidem, uſque ad Spiritus, ſeu divinitatis participationem, ut loquar cum Auguſtino; ſed praeterea corporis humani adhaeſio cum Corpore Chriſti, ad quod res illa terrena pertinet. Vnde ſequitur, ut robur & ſemen quoddam corporibus imprimatur ad futuram reſurrectionem. Quare, ut rectiſſime obſervavit Irenaeus in dicto c. 34. lib. 4. ex Euchariſtia docetur communicatio & unitas carnis cum Spiritu. Vt enim Euchariſtia ex vi conſecrationis ex re terrena & coeleſti conſtat: ſic corpora noſtra poſt perceptam Euchariſtiam habent adiunctum corrumpendae alioqui carni pignus reſurrectionis, quod a Dei Spiritu illis confertur.

Iuſtinus Martyr iam antea praeiverat Irenaeo in verbis ſuperius recitatis ex Apologia, ubi carnem, quae facta eſt propria Chriſti, quando ipſe caro factus eſt, vi & potentia Verbi effectam teſtatus; eodem modo, ex vi orationis ab ipſo verbo profectae, panem eſſe carnem Chriſti antea incarnati, aſſeruit: Sic tamen ut reſideat in elemento illo viſibili facultas alendi corporis noſtri. Vbi obſervandum eſt Iuſtini exactum & accuratum dicendi genus. Non enim dixit, eodem modo panem fieri Corpus, quo Verbum caro factum eſt, nempe per unionem panis cum carne; ſed quomodo Chriſtus a Verbo factus eſt caro, producente ſcilicet carnem in viſceribus B. Mariae contra inſtitutum naturae ordinem, & illius propriam faciente efficacia ipſius Verbi contra naturae ordinem panem fieri propriam Verbi carnem. Quae fuit Ambroſii obſervatio, quam ad illuſtrandum Iuſtinum pertinere poſſe puto c. 9. de iis qui myſt. init. *Sed quid argumentis utimur? ſuis utamur exemplis, incarnationiſque exem-*

exemplo aſtruamus myſterii veritatem. Nunquid naturae uſus praeceſſit, quum Ieſus Dominus ex Maria naſceretur? Si ordinem quaeris, viro mixta foemina generare conſueverat. Liquet igitur quod praeter naturae ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex Virgine eſt. Quid hic quaeris naturae ordinem in Chriſti Corpore, quum praeter naturam ſit ipſe partus ex virgine? lib.4. de Sacr. c. 4. *Conſuetudo eſt, ut non generetur homo, niſi ex viro & muliere, & conſuetudine coniugali. Sed quia voluit Dominus, qui hoc elegit Sacramentum, & de Spiritu Sancto, & de Virgine natus eſt Chriſtus, hoc eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Vides ergo quia contra inſtituta & ordinem homo natus eſt ex virgine.* Itaque Iuſtinus confert omnipotentiam Verbi in formanda utraque Carne; non autem in omnimoda ratione myſterii. Huc melius referri poteſt illud Damaſceni: *Quod ſi quo pacto id fiat requiris? Sat tibi ſit audire, quod per Spiritum Sanctum id fiat: quemadmodum, & ex ſancta Dei matre per Spiritum Sanctum Dominus ſibi, & in ſeipſo carnem condidit.*

Eadem ratione in Concilio Nicaeno, duae ſunt partes Euchariſtiae panis, & poculum, & Agnus in menſa illa ſitus, qui fide ſola perſpicitur: ita ut pretioſum ipſius corpus & ſanguinem ſumentes credere debeamus, haec eſſe noſtrae reſurrectionis ſymbola.

Sed praeſtat cum Gregorio Nyſſeno ad myſterii iſtius penetrare ſecretum, & rationem commiſtae carnis immortalis cum ſenſibili contemplari. Adnotat ille in oratione Catechetica c. 37. hominem, qui ex anima & corpore conſtat, anima quidem cum Chriſto contemperari per fidem, ut inde ſalutis occaſionem adipiſcatur; Corpus autem alio modo pervenire ad participationem eius, quod ſalutem praeſtat. Quemadmodum enim ex cibi vetiti eſu quondam in mortem prolapſum eſt, neceſſum eſſe, ut hauſto remedio intra viſcera, venenum illud propulſet. Quod aliunde peti non poteſt, quam ex Corpore Chriſti, quod de morte triumphavit, & vitae nobis initium praebuit, Quare, ſi corpus illud divinum intra corpus noſtrum mortale ſemel admiſſum fuerit, totum ad ſe transmutat & transfert, id eſt ad naturam immortalem ſui ſimilem.

His adiungit verba iſta: *Sed fieri non poteſt, ut ſit aliquid intra corpus, niſi per eſum & potionem miſceatur viſceribus. Neceſſe eſt ergo eo modo, quo natura poteſt, Spiritus vivificam ſuſcipere virtutem. Quum autem ſolum illud Corpus quod Deum ſuſcepit, hanc gratiam acceperit, oſtenſum ſit autem aliter fieri non poſſe, ut noſtrum corpus ſit in immortalitate, niſi per communionem cum immortali factum ſit particeps incorruptionis, oportet conſiderare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo orbe terrarum ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque*

&

& ipſum in ſe totum maneat. Deinde docet id fieri per mutationem panis in Corpus Chriſti.

Hilarius aliam huius inſtituti rationem adiunxit, quae ſummam in fideles Dei benevolentiam commendat; nempe Sacramento Carnis communicatae voluiſſe apud homines naturaliter manere, ut quemadmodum Pater in Chriſto eſt, Chriſtus in nobis eſſet. Si vere Verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum Carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtrae iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumſit, & naturam carnis ſuae ad naturam aeternitatis ſub Sacramento nobis communicandae carnis admiſcuit? Ita enim omnes unum ſumus, quia in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. Mox: *De naturali*, inquit, *Chriſti in nobis veritate quae dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtulte & impie diſcimus. Ipſe enim ait, Caro mea vere eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra vere caro eſt, & vere ſanguis eſt. Et haec accepta & hauſta id efficiunt, ut nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Eſt ergo in nobis ipſis per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc quod ſumus in Deo eſt. Quod autem in eo per Sacramentum communicatae carnis & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur dicens: Et hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis: quoniam ego vivo, & vos vivetis: quoniam ego in Patre meo, & vos in me & ego in vobis.*

Nihil elegantius vel robuſtius dici poteſt ad aperiendam myſterii huius inſtituendi cauſſam, & ad ſignificandam Sacramenti naturam, & ſingulare beneficium, quod eius miniſterio adipiſcimur. Sententia Hilarii in haec pauca colligitur. Verbum Dei carnem veram ſuae perſonae divinae adiunxiſſe, eamque carnem a ſua natura aeterna iam inſeparabilem, cibo Dominico, ſeu Sacramento carnis communicandae nobis ſumendam praebuiſſe: ita ut Chriſtus ſit in nobis naturaliter, nempe eius caro per Sacramenti interventum, & natura divina, quia ſeparari non poteſt a carne ſemel aſſumpta.

Hinc eſt quod Cyrillus Hieroſolymitanus non dubitarit aſſerere, poſt Euchariſtiam perceptam fideles Chriſtum intra ſe gerere, & cum illo Concorpores & Conſanguines fieri: ob coniunctionem non ſolum animae, ſed etiam corporis noſtri, cum illius corpore, ut ex Irenaeo, Nyſſeno, & Hilario adnotavimus.

Non alia fuit mens Chryſoſtomi Hom. 45. in Ioannem: *Neceſſario diſcendum quam admirabilia myſteria, & cur data ſint, & quaenam eorum utilitas: Vnum corpus ſumus, & membra ex carne & oſſibus eius. Quare initiati eius praeceptis parere debent. Vt autem non ſolum*

per

Digitized by Google

per dilectionem, ſed reipſa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt. Quum enim ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobiſcum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maxime eſt. Hoc Iob ſignificabat de ſervis, a quibus maxime amabatur, qui ſuum amorem prae ſe ferentes dicebant: Quis daret nobis, ut eius carnibus impleremur? Quod Chriſtus fecit, ut maiori nos charitate aſtringeret, & ut ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantum videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuae infigi, & deſiderio ſui omnes impleri.

Multus eſt in illuſtranda hac Chriſti coniunctione cum fidelibus per vivificam benedictionem Cyrillus Alexandrinus Commentariis in Ioannem.

Praeter eas, quae commemoratae ſunt, ſymbolorum viſibilium adhibendorum rationes, alia quoque poteſt obſervari ex Ambroſio, ut ſcilicet horror carnis & cruoris abeſſet ab hoc myſterio, in quo adeo vere porriguntur caro & ſanguis Chriſti, ut ſi quod ſpecie viſibili operitur, inſpiciendum ſe praeberet, Corpus & Sanguis Chriſti in oculos corporeos incurreret. Quare ut abſit cruoris horror, adhibitus eſt viſibilium elementorum uſus. Lib. 4. de Sacr. c. 4. *Ergo didiciſti, quod ex pane fiat Corpus Chriſti, & quod vinum & aqua in Calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione Verbi coeleſtis. Sed forte dicis, Speciem ſanguinis non video; ſed habes ſimilitudinem: ſicut enim mortis ſimilitudinem ſumſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis, ut nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operetur redemptionis. Didiciſti ergo, quia quod accipis, Corpus Chriſti eſt.*

Theophilactus in eamdem ſententiam in c. 6. Ioan. *Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Et quomodo, inquis, non apparet nobis caro, ſed panis? ut non abhorreamus ab eius uſu. Nam ſi quidem caro apparuiſſet, inſuaviter affecti eſſemus erga communionem. Nunc autem condeſcendente Domino noſtrae infirmitati, talis apparet nobis myſticus cibus, qualibus alioqui aſſueti ſumus.* Quae ultima verba hauſit ex damaſceno, qui notavit per res aſſuetas & familiares nobis tradita fuiſſe myſteria.

Auguſtinus vero & plerique alii recte obſervant, electas fuiſſe panis & vini ſpecies ad hoc Sacramentum conficiendum, ut ex earum natura myſterium unitatis tam fidelium cum Chriſto, quam inter ſe, facilius inſinuaretur. Iſtius unitatis vim, etſi ſuperius abunde explicata ſit, non alienum erit Leonis I. inſigni quoque loco illuſtrare. Is in ep. 23. ad plebem ait: *In Eccleſia Dei in omnium ore tam conſuetum eſt, ut nec ab infantium linguis veritas Corporis & Sanguinis Chriſti inter communis Sacramenta fidei taceatur, quia in illa myſtica diſtributione ſpiritalis alimoniae hoc impartitur, hoc ſumitur,*

ut accipientes virtutem coeleſtis cibi in carnem ipſius, qui caro noſtra facta eſt, tranſeamus. Sumi ait cibum illum ſpiritalem, ut divinitatis cum carne coniunctae virtute in eam dignitatem fideles evadant, ut ſint caro Chriſti eo modo, quem ex Hilario propoſuimus: Si ſunt membra Chriſti, ſunt etiam connexi inter ſe, & unum Corpus Chriſti conſtituunt. Vnus enim panis ſumus, qui de uno pane participamus, inquit Paulus Apoſtolus. Quoniam vero panis ex diverſis granis tritici, & vinum ex pluribus acinis conficitur, recte duo iſthaec adhibita ſunt ad Sacramentum unitatis.

Praeter quatuor illas rationes, quas expoſuimus, ſupereſt Quinta, ex qua diſcimus, ideo inſtitutam Euchariſtiam in re ſenſibili, ut eſſet Sacramentum Corporis Chriſti in cruce mortui, & ſanguinis in ea effuſi. Neque enim Sacramentum eſſe poſſet, quod eſt inviſibilis rei ſignum, niſi ex rebus ſenſibilibus ſaltem ex parte conſtaret.

Auguſtinus eleganter hanc partem exequitur, cuius ſententia de hoc Sacramento per varios locos ſparſa in compendium redacta eſt a Proſpero, cuius haec ſunt verba: *Hoc eſt quod dicimus, hoc eſt quod modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium ſcilicet Eccleſiae duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne, & ſanguine, Sacramento & re Sacramenti, id eſt Corpore Chriſti; ſicut Chriſti perſona conſtat, & conficitur ex Deo & homine*.

Hic autem obſervandum eſt, Auguſtinum una cum Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Cyrillo, & reliquis Patribus ſibi perſuaſiſſe, quod verum quoque eſt, in capite ſexto Ioannis illis verbis, *Panis, quem ego dabo, caro eſt pro mundi vita*; Et, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem*, promiſſam eſſe carnis eſcam per Euchariſtiae Sacramentum exhibendam. Quare carnis appellationem aeque ac corporis promiſcue uſurpant ad ſignificandam rem iſtius Sacramenti: quam ex pollicitatione colligunt exhibitam fuiſſe.

Vnde lucem accipiunt haec verba Hieronymi in comment. Epiſtolae ad Epheſios: *Dupliciter intelligitur caro Chriſti & ſanguis, vel ſpiritalis illa atque divina, de qua ipſe ait: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: & niſi manducaveritis carnem meam, biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam aeternam: Et caro quae crucifixa eſt, & ſanguis qui militis effuſus eſt lancea*. Caro nempe eadem dupliciter intelligi debet, inviſibilis ſcilicet, ſpiritalis & divina, quae vere, ſed eo tamen modo in myſteriis ſumitur: & viſibilis, quae crucifixa eſt: cuius memoria renovatur in myſteriis.

Ambroſius lib. 4. de Fide c. 5. *Caro mea vera eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus. Carnem audis, ſanguinem audis. Mortis Dominicae Sacramenta cognoſcis, & divinitati calumniaris. Nos autem quotieſcumque Sacramenta ſumimus, quae per ſacrae orationis myſterium in carnem*

Digitized by Google

nem transfigurantur & ſanguinem, mortem Domini annuntiamus.

Duo quaedam obſervat Ambroſius huic Sacramento ineſſe, quemadmodum obſervavit Auguſtinus; Carnem ſcilicet inviſibilem, & ſpecies elementorum viſibiles.

Vnde idem Ambroſius in lib. de his, qui myſteriis initiantur docet, Corpus Chriſti in myſteriis eſſe corpus ſpiritale & divinum; & Chryſoſtomus eſſe intelligibile, ſive νοητόν.

Caro itaque inviſibilis coniuncta formae panis, & ſanguis coniunctus ſpeciei vini, ſunt Sacramentum, ſive ſacrum ſignum Corporis Domini, quatenus erat viſibile, & cruci affixum pro remiſſione peccatorum. Id docet diſerte Auguſtinus in ſententiis apud Proſperum: *Caro eius, quam forma panis opertam in Sacramento panis accipimus, & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus: Caro videlicet carnis, & ſanguis eſt Sacramentum ſanguinis: Carne, & ſanguine, utroque inviſibili, intelligibili, ſpirituali ſignificatur viſibile Domini noſtri Ieſu Chriſti Corpus palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & divina maieſtate.* Inſignis hic locus vulgo non intelligitur. Putant enim cum Gloſſa Decreti, ab Auguſtino ſignificari, Corporis Chriſti viſibiles ſpecies panis & vini eſſe Sacramentum. Ille vero docet carnem ipſam inviſibilem, quatenus eſt operta forma panis, eſſe Sacramentum corporis viſibilis.

Quod pertinet ad auctoris iſtius mentem, & caeterorum Africanorum, Tertulliani, Fulgentii & Facundi Hermianenſis exacte percipiendam. Illi etenim ſic exiſtimarunt, promiſſam a Domino carnem apud Ioannem in pane Euchariſtiae revera exhibitam; ſed praeterea adiunctum huic myſterio carnis communicandae aliud myſterium ſignificandi Corporis Chriſti mortui in cruce. Itaque non dubitant illi formulam iſtam, *Hoc eſt Corpus meum*, ſic explicare, Hoc eſt ſignum ſive figura corporis mei: quoniam ſcilicet formula illa duo ſimul complectitur myſteria, quorum primo fit gradus ad ſecundi cognitionem. Panis enim Euchariſticus, & ſpeciem panis continet, & veritatem carnis ſpiritalis ex pollicitatione facta apud Ioannem: Et rurſus totum illud complexum ex pane & carne ſpiritali eſt Sacramentum carnis viſibilis & cruci affixae, ex Domini inſtituto, qui iuſſit ut iſta in ipſius memoriam, id eſt, interprete Paulo, ad mortem ipſius annunciandam, agerentur.

Quare non eſt quod aliquis ſibi perſuadeat, veteres Africanos ob ſuperiorem formulae explicationem exiſtimaſſe, ſolam fuiſſe in Euchariſtia figuram corporis: quum figuram illam non aliunde componant, quam ex carne inviſibili Chriſti, & ſpeciebus viſibilibus, ut dictum eſt. Auguſtinus ipſe in Tractatu 27. ad cap. 6. Ioannis, ait in Sacramentis edi carnem; ita tamen, ut etſi Sacramenta comedantur, gratia morſibus non conſumatur. Per gratiam intelligit carnem Chriſti ſpiritalem

M 2 & in-

& intelligibilem, prout eſt in myſteriis. Idem lib. 2. contra adverſar. legis cap. 9. *Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde & ore ſuſcipimus.* Eadem ergo caro corde & ore ſuſcipitur, quod fieri non poteſt, niſi prout eſt operta forma panis, ut loquitur Proſper, & coniuncta Sacramento. *Quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in veritate ſpiritaliter manducatur*, inquit idem in Serm. 3. de verbis Apoſtoli.

Itaque quando profertur locus Auguſtini adverſus Adimantum Manichaeum, *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt Corpus meum, quum daret ſignum Corporis ſui*, non eſt quod tergiverſemur. Fatendum, ab Auguſtino ſic explicatam formulam, ut per vocem *Corpus* ſignificaretur Corpus Chriſti viſibile mox tradendum cruci: eoque ſenſu accepta dictione ſignificari ea formula, panem eſſe ſignum illius Corporis, non autem illud Corpus. Sed fateri quoque debent adverſarii, ut antea monui ex Proſpero, Formam panis non eſſe Sacramentum Corporis viſibilis, niſi quatenus eſt coniuncta carni ſpiritali & inviſibili quae promiſſa fuit a Chriſto apud Ioannem.

Duplex ergo agnita fuit ab Africanis formulae explicatio; Altera quae recepta erat ab Eccleſia univerſa, nempe hunc panem conſecratum eſſe Corpus ſpiritale & divinum, ſive carnem inviſibilem promiſſam a Chriſto apud Ioannem, quando panis prece myſtica fiebat Corpus Chriſti, operante inviſibiliter Spiritu Dei: quum haec omnia, quae per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, ut inquit Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 4. Altera, quae oriebatur ex prima, ſcilicet, panem conſecratum, prout ex ſpecie, & carne inviſibili conſtabat, eſſe ſignum, Sacramentum, vel figuram corporis viſibilis.

Hinc petenda eſt vera interpretatio Tertulliani lib. 4. contra Marcion. *Acceptum panem & diſtributum Diſcipulis Corpus ſuum illum fecit, hoc eſt Corpus meum dicendo, id eſt figura Corporis mei.* Diſputat eo in loco adverſus Marcionem. qui negabat eumdem eſſe Deum veteris Teſtamenti, & novi. Praeterea vero, Chriſtum corpus verum geſſiſſe. Vtramque blaſphemiam refutat hoc argumento, quod ea, quae deſignata fuerant in veteri foedere, impleta ſint in novo. Inter caetera, quae adducit, huius veritatis exempla, non omittit, Panis nomine apud Hieremiam ſignificatum fuiſſe Corpus Chriſti, quod ligno crucis figendum erat. *Mittamus lignum in panem eius*; id eſt interprete Tertulliano, *crucem in corpus eius*. Cuius rei quoque figuram ſive Sacramentum ait eſſe in Euchariſtia, quae eſt figura corporis illius cruci affixi. Ceterum quia id fieri non poterat, quin pani quoque veritas Corporis inviſibilis adeſſet, & eo pacto panis fieret Corpus Chriſti, recte ante ſecundam formulae divinae interpretationem primam poſuit, Chriſtus ſcilicet panem Corpus ſuum fecit di-

cen-

Digitized by Google

cendo, Hoc eſt Corpus meum; *fecit illum corpus ſuum*, quo poſito, panis fuit figura Corporis viſibilis & veri. Hic eſt germanus ſenſus verborum, quae ſequuntur apud Tertullianum: *Non enim figura Corporis eſſet, niſi veritatis eſſet corpus*: ut quidem legitur in editione Pariſienſi ex veteri codice Agobardi, id eſt Euchariſtiam non fore figuram corporis viſibilis, niſi facta fuiſſet vere Corpus Chriſti per verba illa, *Hoc eſt Corpus meum*. Ex alia huius loci vulgata lectione ubi mutantur tempora, *figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet Corpus*, recte concludit Bellarminus, & poſt eum robuſtius Cardinalis Perronius, pericopen iſtam, *id eſt figura corporis mei*, referendam eſſe ad explicationem vocis *Hoc*, quo panis deſignatur, qui fuerat figura corporis apud Hieremiam.

Quare, ut hunc locum concludam, non ſolum in Euchariſtia habemus verum Chriſti corpus inviſibili modo, ſed etiam eius viſibilis & mortui ſimilitudinem, imaginem, figuram, ſignum & Sacramentum, ut loquuntur Ambroſius, Auguſtinus, & veteres reliqui Patres.

Supereſt tamen non ignobilis quaeſtio, quo modo fieri putarent e pane Corpus Chriſti. Ac primo quidem patet, id factum intellexiſse virtute divina, qua ſenſibiles creaturae naturas ſuas mutant, & fiunt Corpus Chriſti. Mutationis illius prolata ſunt diſerta teſtimonia. Secundo conſtat, antiquos exiſtimaſse, panem conſecratum eſse Corpus Chriſti ita, ut Corpus eius inviſibile & ſpiritale myſteriis eſset immiſſum: quod iam adnotatum eſt. Tertio, quidquid reſiduum erat ex natura panis mutatum quoque in Corpus Chriſti: adeo ut in ſeceſsum non abiret. Audi Chryſoſtomum Homil. de Euchar. in Encaeniis: *Num vides panem, num vinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiae remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hic*, puta myſteria *conſumi corporis ſubſtantia*. Qui locus ſingularis docet non ſolum cum Tractatoribus caeteris ſubſtantiam & naturam panis mutatam; adeo ut amplius non ſit panis, ut loquuntur Iuſtinus, Cyrillus, & Ambroſius; ſed ut ſpecies quoque ſenſibiles conſumantur corporis ſubſtantia. Quoniam totum illud tranſit in Corpus Chriſti. Quod idem eſt, ac ſi diceret, eo modo immiſceri corpus ſpiritale ſpeciebus panis ac vini, quo ſubſtantia panis illis coniuncta erat ante conſecrationem. Ac proinde panem ac vinum conſecratum, quoad elementum externum, eſſe atque dici Corpus Chriſti, quoniam ad illud pertinent, eiuſque portio & acceſſio facta ſunt velut unius integri compoſiti, quemadmodum cera igni adhibita tota in ignem redigitur, ut ait Chryſoſtomus. Hinc factum, ut quia ſpecies illae externae ad corpus ipſum Chriſti pertinent, dicatur a Iuſtino & Irenaeo, corpora fidelium ali & nutriri Corpore Chriſti. Quod enim obſervant Bellarminus, & Perronius, ea ſic dici ab Irenaeo, ut intelligat, ſpecierum ſuſce-

ſuſceptione imprimi vim quandam corporibus ad reſurrectionem, hoc quidem in ſententia Irenaei verum eſt, ſed alienum eſt a modo loquendi, & interpretandi, quo ille utitur: qui exiſtimat, complexum illud eſſe verum Corpus Chriſti.

Deinde Chryſoſtomus aliquot in locis ait, Corpus Chriſti, quod eſt in coelo, hominum manibus tractari, imo vero frangi, eique dentes infingi. Superiore autem teſtimonio ait, nihil panis aut vini conſecrati abire in ſeceſſum, idque blaſphemum putat.

Ex eo quoque factum, ut apud veteres nihil frequentius occurrat, quam panem conſecratum eſſe Corpus Chriſti per mutationem, & converſionem panis in corpus. Sed nulla apud illos diſputatio reperitur de accidentibus, an ſubſiſtant ſine ſubiecto: quoniam definitione illa ex pane fieri Corpus Chriſti defunctos ſe putabant omni ſcrupuloſiori diſquiſitione de accidentium ſubſiſtentia: quia totum illud complexum ad Corpus Chriſti pertinere exiſtimabant.

Non diffitebantur quidem, quin ſupereſſet ſapor in ſpeciebus, quin forma panis, quin res ſenſibiles, & elementa non ſolum viderentur, ut eorum verbis utar, & vera eſset earum rerum natura, ſed ut adiunctam carni viſibili contemplabantur. Auguſtinus apud Proſperum accurate loquitur de hoc myſterio, quod duobus conſtare aſserit, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini carne, ſicut Chriſti perſona conſtat Deo, & homine: *Quia*, inquit, *omnis res illarum rerum naturam & veritatem continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem ſacrificium Eccleſiae Sacramento, & re Sacramenti; id eſt Corpore Chriſti, Eſt igitur Sacramentum, & res Sacramenti, id eſt Corpus Chriſti*. Quibus verbis huius myſterii arcana recludit. Elementorum ſpecies docet eſse Sacramentum, & rem illius Sacramenti eſse Corpus Chriſti. Duo autem illa eſse diſtinctas ab invicem naturas; ita ut corporis inviſibilis natura differat a natura elementi viſibilis, quam alibi formam panis vocat. Quae duo tamen, Sacramentum nempe, & res Sacramenti, ſint Corpus Chriſti, ob coniunctionem ſigni viſibilis cum carne inviſibili; coniunctionem ſcilicet naturalem, non ſolum illam quae fit intellectu ſigni cum re ſignificata.

Attamen ſerio animadvertendum eſt, differre inter ſe hos loquendi modos apud Aguſtinum, *Panis conſecratus eſt Corpus Chriſti*. His quippe verbis ſignificatur Sacramentum cum re Sacramenti, id eſt ipſum Corpus Chriſti verum & naturale, ut in lib. de Trinit.: Et apud Bedam deſcriptos. Alia eſt ratio huius locutionis, *Sacramentum corporis eſt corpus*, ut in ep. 23. ad Bonifacium. tunc enim diſtinguitur Sacramentum, id eſt ſpecies viſibilis, atque adeo non eſt ipſum corpus, niſi quodam modo. Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum non haberent, quarum Sacramenta ſunt, Sacramenta non eſſent: Ex hac autem ſimilitudine plerumque ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut

ergo

Digitized by Google

ergo ſecundum quemdam modum Sacramentum corporis Chriſti Corpus eſt: ita Sacramentum fidei fides eſt.

Vnde idem Auguſtinus in lib. 3. de Trinitate c. 4. *Corpus & Sanguinem dicimus illud, quod ex fructibus terrae acceptum, & prece myſtica conſecratum rite ſumimus ad ſalutem ſpiritualem in memoriam pro nobis Dominicae Paſſionis.*

Idem apud Bedam: *quod videtur panis eſt & Calix, quod etiam oculi renuntiant. Quod autem fides poſtulat inſtruenda panis eſt Corpus Chriſti, Calix Sanguis.*

Haec Auguſtini doctrina & Eccleſiae univerſae illuſtrari poteſt egregio teſtimonio Ephraemii Patriarchae Antiocheni in Bibliotheca Photii. Diſputans adverſus Neſtorianos & Eutychianos docet, duas in Chriſto fuiſſe naturas, hanc viſibilem & tractabilem, illam inviſibilem & quae tangi non poſſit. Quemadmodum in myſterio quoque baptiſmi aliud eſt, quod videtur, aquae elementum, & aliud, quod non videtur, gratiae regenerationis donum. Vbi obſervandum eſt, non conferri ab Ephraemio coniunctionis modum, qui eſt hypoſtaticus in Incarnatione, & moralis tantum inter gratiam baptiſmi, & elementum aquae: ſed componi ad invicem duas naturas, ex quibus myſteria conſtant, quarum una videtur & tangitur, altera non videtur. Sic quoque, inquit Ephraemius, duarum naturarum in Chriſto alia eſt viſibilis, altera inviſibilis, *Quemadmodum* quod a fidelibus ſumitur Corpus Chriſti, & a ſenſibili eſſentia non recedit, & ab intelligibili gratia manet indiviſum. Sane ſpecierum panis & vini ſenſibilis eſt eſſentia, & alterius omnino naturae a gratia, ſive a carne intelligibili: Vnum tamen ex illis efficitur Corpus Chriſti: ipſaque ſenſibilis natura eam appellationem ſuſcipit, ut docet ipſemet Ephraemius, qui carnem inviſibilem & intelligibilem τὸ νοητὸν, ut loquitur Chryſoſtomus, vocat gratiam ut apud Auguſtinum tractatu in Ioannem iam citato, & illo in loco quem citat Beda; *Nec quando manducamus Chriſtum partes de illo facimus. Et quidem in Sacramento ſic fit, & norunt fideles quemadmodum manducent carnem Chriſti. Vnuſquiſque accipit partem ſuam: unde ipſa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, & manet integer totus: per partes manducatur in Sacramento, & manet integer totus in coelo, manet integer totus in corde tuo.* Significat, Sacramenti diſtributi fragmenta vocari partes, & ſic gratiam ſive carnem Chriſti vocari partem, quia ineſt unicuique parti.

Gelaſii Papae locus in lib. de duabus naturis ex iſto Ephraemii, & ex altero Auguſtini apud Proſperum lucem accipiet. Contendit ille adverſus Neſtorianos & Eutychianos, integrum & unum Chriſtum ex duabus ſubſtantiis & naturis conſtare. Mox ait: *Certe Sacramenta quae ſumimus Corporis & Sanguinis Chriſti, divina res eſt, propter quod & per eadem divinae conſortes efficimur naturae, &* ra-

Digitized by Google

tamen non deſinit eſſe ſubſtantia vel natura panis & vini: Et certe imago & ſimilitudo Corporis & Sanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto Domino ſentiendum quod in eius imagine profitemur, celebramus, & ſumimus: ut ſicut in hanc, ſcilicet in divinam tranſeant, ſancto Spiritu perficiente ſubſtantiam, permanente tamen in ſuae proprietate naturae: ſic illud ipſum myſterium principale, cuius nobis efficientiam virtutemque efficaciter repraeſentant, ex quibus conſtat proprie permanentibus, unum Chriſtum, quia integrum verumque permanere demonſtrant.

Didicimus ex Auguſtino, compoſita earum rerum naturam continere, ex quibus conſtant, Chriſtum ſcilicet, Dei, & hominis: Et ſacrificium Eccleſiae, viſibilis Sacramenti, & Corporis Chriſti. Ephraemius quoque nobis auctor fuit, in Corpore Chriſti ſenſibilem eſſentiam permanere, & indiviſam ab illa manere intelligibilem gratiam. Quae teſtimonia in eo tantum componunt Euchariſtiae myſterium cum Incarnatione, quod duae ſint naturae & eſſentiae in utroque myſterio, ex quibus unum aliquod integrum conficiatur: non autem quod duae illae naturae ad invicem comparatae eodem modo ſe habeant. Quantum enim intereſt inter panis ſpeciem in Sacramento, & naturam humanam in Incarnatione! Conveniunt tamen, quod ſufficit ad inſtitutum, in eo quod ſpecies panis eſt eſſentia & natura diſtincta a Corpore Chriſti ſibi adiuncto: licet ratio Euchariſtiae id exigat, ut ſubſtantia panis interior converſa fuerit in illud corpus modo quodam, qui omnem cogitationem exſuperat. Ceterum mutatio illa non officit quin panis, qui videtur, ſuam naturam, extantiam, & eſſentiam ſive ſubſtantiam retineat, & naturae verae proprietates, inter quas eſt alendi corporis humani facultas, quae, quum ſparſa eſſet & diſſipata per totam panis maſſam ante conſecrationem, quae ex illo pane ſubſtantia vertitur in corpus, non adimit in reſidua panis natura proprietatem illam. Vnde conſequitur, recte obſervatum a Gelaſio, Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti divinam rem eſſe, quia panis & vinum in divinam tranſeunt ſubſtantiam, ſancto Spiritu perficiente, nempe in Corpus Chriſti ſpiritale: ſed alia ex parte non deſinere ſubſtantiam & naturam panis & vini, ſed ea permanere in ſuae proprietate naturae. Quoniam ſcilicet, poſtquam panis in divinam ſubſtantiam tranſivit, non interiit integra panis natura, quam ſubſtantiam quoque vocat, nec deſivit: ſed in ſuae proprietate naturae permanſit ad alendum corpus idonea, quod eſt praecipuum confecti panis munus.

Porro quod ait Gelaſius, in myſteriorum actione imaginem & ſimilitudinem Corporis Chriſti celebrari, intelligit cum ceteris, Corporis Chriſti mortui & crucifixi imaginem exhiberi, ut ſuperius explicatum eſt. Interim adnotandum eſt, Gelaſium monere, Sacramenta veraciter re-

repraeſentare efficientiam virtutemque myſterii principalis, quod eſt incarnatio Chriſti: quoniam vivificae carnis Verbo unitae nos participes redeunt: *& divinae conſortes naturae nos efficiunt*, ut ipſius verbis utar.

THEODORETI SENTENTIA

De Sacramento Euchariſtiae.

EXplicanda nobis eſt accurate Theodoreti ſententia, qui, licet in unam cum ceteris conſpiret dogmatis veritatem, diverſo tamen tradendi modo eam illuſtrare conatus eſt: occaſione hinc arrepta evertendae Eutychetis inſaniae, quam tribus Dialogis graviter exagitat.

Docebant illi, ut compendio aniles illas fabulas complectar, duas in Chriſto naturas ante unionem: qua definitione ſe alienos ab haereſibus iam damnatis, Marcionis, Valentini, Manichaei, & Apollinaris eſſe putabant: ſed ſtatim poſt ſummam unionem, quam factam dicebant in conceptione, humanitatem abſortam fuiſſe a divinitate, ne duo eſſent filii, ſi duae eſſent naturae. Attamen, ut ſalutis noſtrae conſilium peragi poſſet, naturam divinam ſubiiſſe corporis figuram, labores, perpeſſiones, ipſamque mortem οἰκονομικῶς, ita ut videretur eſſe humana natura, quae revera & θεολογικῶς erat divina. Ceterum poſt Reſurrectionem, vel ad ſummum poſt Aſcenſionem non ſolum abſorptam fuiſſe penitus naturam humanam a divina, ſed iſtam etiam circumſcriptione omni corporis humani ita caruiſſe, & inconſpicuam fuiſſe.

Contrarium evincit Theodoretus Dialogo 1. & 2. variis ex Scriptura petitis argumentis: atque etiam ex ipſis divinis myſteriis; ut probet, etiam hodie Chriſtum veri corporis naturam poſſidere. Cuius ut vim capiamus, neceſſe eſt ex principiis a Theodoreto poſitis rem totam expendere.

Attamen in anteceſſum obſervare oportet, totum negotium cum arte quadam ab eo patefactum, ne myſteria prodere videretur non initiatis; quod unum ſumme cavebant veteres, ut viri eruditi docuerunt ex Chryſoſtomo, Auguſtino, & ipſo Theodoreto, qui ob eam rationem ſe per ambages myſtice, & aenigmatice locuturum profitetur.

Vt ut ſit, quinque capita apud illum ſunt certiſſima. Primum eſt, in hoc myſterio diſtingui ſymbola, & ſigna myſtica panis & vini, a Corpore Chriſti: eaque eſſe huius figuram & imaginem. Secundum eſt, partem alteram huius myſterii eſſe ipſum Corpus Chriſti verum, quod veritas & gratia, divinum ac vivificum Corpus Domini dicitur. Tertium eſt, rerum appellationes in hoc myſterio permutari, ita ut ſa-

cra ſymbola poſt ſanctificationem ex invocatione Sacerdotis factam Corporis & Sanguinis Domini nomina ſuſcipiant : Corpus autem Domini panis dicatur. Quartum eſt, mutationem fieri in hoc myſterio, quando gratia accedit ad ſymbolorum naturam.

Quintum eſt, totum iſtud ſacrum myſterium & peragi, & ſignificari his verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, Et *Hic eſt Sanguis meus*; adeo ut mutatio fiat in ſymbolis ex gratiae adventu ; & ſymbola a ſua viſibili natura non recedant, ſintque figura Corporis Chriſti.

Haec ultima pars definitionis, quod ſymbola non recedant a ſua natura, ſintque figura tantum Corporis Chriſti, quam longiſſime abeſt a modo loquendi Cyrilli utriuſque, Gregorii Nyſſeni, & Chryſoſtomi apud Grecos, Ambroſii apud Latinos: qui, ut ſuperius monuimus, diſerte docent, ipſa quoque Sacramenta ſive ſymbola dici, & eſſe Corpus Chriſti; eorumque mutationem integre fieri, adeo ut pars, quae prius erant accidentia panis, nunc ſint quaedam, & acceſſio Corporis Chriſti, eaque ratione ipſam naturam mutaſſe dicenda ſint.

Iſte modus explicandi diſplicuit Theodoreto, qui ex comparatione huius myſterii cum Incarnatione argumenta ab Eutychianis trahi perſpiciens, ad probandam naturae humanae in divinam converſionem, novam apud Graecos interpretandi viam aggreſſus eſt, licet iam detritam ab Anguſtino in Occidente. Quare docuit, mutationem quidem in ſymbolis credendam fieri ex Gratia: ita tamen ut ſigna, quae videntur, a ſua natura non recedant : quod Eutychianorum cauſſam labefactabat.

Symbolis antem quae accidit mutationem ex nominum permutatione probat: quod apud illum eſt naturae mutatae plenum argumentum Dixerat enim ſuperius, ex appellationis cuiuſque rei mutatione naturae quoque mutationem colligi. *Si ergo*, inquit, *Deum Verbum mutationem in carnem ſuſtinuiſſe dicitis, cur nam ipſum Deum & non carnem appellatis? Naturae enim mutationi convenit appellationis mutatio*; quemadmodum, ut explicat ille, arena igne liquefacta concreſcit in vitrum, lapis reſolvitur in calcem, & vinum degenerat in acetum, mutatis naturis nova accedente appellatione. Quare quum ſymbola ſanctificata Corporis & Sanguinis Domini appellatione honeſtata ſint, credendum eſt, inquit, ex gratia mutationem ſucepiſſe. Haec porro mutatio non eſt alia, quam ipſa quae initiatis tradebatur, ſcilicet virtute divina ex pane fieri corpus, ipſamque ſubſtantiam panis mutari in Corpus Chriſti, quae eſt gratia, de qua loquitur Theodoretus: Sacramenta in divinam tranſire ſubſtantiam, ut dicebat Gelaſius.

Hanc mutationem ſignificat, quae ex traditione interpretationis recepta erat in Eccleſia ut fidei dogma. Ceterum noluit admittere mutationem ullam in natura conſpicua & viſibili ſimbolorum : quod ad modum tradendi, qui varius eſſe poteſt, potius quam ad fidei decretum pertinere putabat. Haec

Haec omnia perſpicua erunt, ſi veſtigia Theodoreti proſequamur. Contendit Orthodoxus cum Eraniſta Dialogo 1. Deum, qui ex natura ſua videri non poterat, carnem aſſumſiſſe, ut videri poſſet; uſumque fuiſſe vivo & vero quodam, veluti velo, carnis integumento. Exhorruit Eraniſta novitatem verbi, quaeſivitque ecqua in parte Scripturae caro Domini velum appellaretur. Obiurgata illius ignorantia docet Orthodoxus, carnem Chriſti *velamen* appellari in epiſtola ad Hebraeos: *veſtem* quoque, & *indumentum* dici docet in Geneſi his verbis: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvae indumentum ſuum*. Quae ad Chriſti corpus pertinere manifeſte docet, quod in cruce ſuo ipſius ſanguine irrigatum fuit. Qui quidem ſanguis Domini eo loco dicitur ſanguis uvae, id eſt vinum. Porro ſanguis Domini recte dici vinum, ſive ſanguinem uvae, probat, quia ipſe vitem ſe eſſe dixit: Vnde concludit: *Sicut enim nos myſticum vitis fructum poſt ſanctificationem Domini ſanguinem nominamus, ita verae vitis ſanguinem uvae ſanguinem nominavit*. Quae Theodoreti comparatio futilis erit & inepta, niſi ponamus, verum Chriſti Sanguinem eſſe in myſteriis: licet ex illius mente, Sacramentum ſanguis dicatur, quia figura eſt veri ſanguinis: ea tamen eſt iſtius figurae ratio, ut adiunctam habeat veritatem & gratiam, ut poſtea patebit, ſed noluit aperte pandere totius myſterii veritatem, etſi ea ſit uſus ut ſtatim recte monuit ſub nomine Eraniſtae: *Myſtice ſimul, & dilucide, quod propoſitum fuerat, oſtenſum eſt*.

Pergit in eadem materia Orthodoxus, docetque conſentiente Eraniſta, Chriſtum corpori ſuo panis nomen dediſſe, imo vero & tritici nomine carnem ſuam ſignificaſſe Ioannis 12. Mox addit: *In myſteriorum autem traditione corpus panem appellavit, & ſanguinem id, quod in Calice infuſum, & commixtum eſt.* Eran. *Ita nominavit.* Orthod. *Atqui & quod eſt ſecundum naturam corpus, corpus iure vocabitur, & itidem ſanguis*. Eran. *In confeſſo eſt*. Quorum verborum haec eſt ſententia, pani collatum corporis nomen, & vino mixto ſanguinis, in Sacramento Euchariſtiae. Verum quoque Domini Corpus, & Sanguinem recte dici corpus & ſanguinem. Ex quo concludit Orthodoxus, permutata fuiſſe rerum nomina a Chriſto, qui corpori quidem vero Sacramenti nomen dedit, nempe panis: & Sacramento viceverſa impoſuit nomen corporis. Eodem modo, quum ſe vitem nominaviſſet, ſymbolo vini nomen ſanguinis dediſſe. Orth. *Servator quidem certe noſter nomina commutavit, & corpori quidem id quod erat ſymboli ac ſigni nomen impoſuit: Symbolo autem, quod erat corporis. Ita, quum ſe vitem nominaviſſet, ſanguinem id, quod erat ſymbolum, appellavit*.

Eraniſta conſentiens ſciſcitatur cauſſam iſtius mutationis nominum. Cui ſatisfaciens Orthodoxus praemittit cautionem conſuetam, haec nota eſſe initiatis: ne ſcilicet Eraniſta expectaret diſertiſſimam explica-

Digitized by Google

tionem, quamvis veram. Orthod. *Manifeſtum eſt inſtitutum iis, qui ſunt divinis myſteriis initiati. Volebat enim, eos qui ſunt divinorum myſteriorum participes, non attendere naturam eorum, quae videntur, ſed propter nominum permutationem, mutationi, quae fit ex gratia credere. Qui enim quod natura corpus eſt triticum & panem appellavit, & vitem rurſus ſeipſum nominavit, is ſymbola & ſigna, quae videntur, appellatione corporis & ſanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, ſed naturae gratiam adiiciens.* Reſpondet Eraniſta. *Et myſtice myſtica dicta ſunt, & aperte declarata quae non ſunt nota omnibus.*

Ex reſponſione patet, inſignem alioqui locum rei quidem veritatem explanaſſe, ſed myſtice, & obſcuris verbis: adeoque novo, & non cognito omnibus modo illam aperuiſſe. Quare laborandum eſt tantiſper, ut mens auctoris detegatur, ad quam nos manu ducet fides qua myſteriis ſumus initiati. Manifeſte quidem docet, gratiam adiunctam eſſe ſymbolis: atque adeo totum myſterium conſtare ex gratia & ſymbolis myſticis, id eſt elementis viſibilibus panis & vini, & carne & ſanguine Chriſti inviſibili & immortali, ut loquitur Auguſtinus; ex re ſenſibili, & ex intelligibili, ſeu Corpore Chriſti, ſecundum Chryſoſtomum; ex Eulogia, & carne vivifica, iuxta Cyrillum Alexandrinum. Sed gratiae nomine ſignificant myſtice Corpus Chriſti qua voce oſtendimus ſuperius ex Auguſtino & Euphremio Antiocheno ipſum corpus Chriſti inviſibile deſignari. Quoniam veritas cuiuſque Sacramenti habet ſuam gratiam, Baptiſmus gratiam regenerationis; Sacramentum vero Corporis Chriſti habet ipſum corpus immortale Chriſti pro gratia ſibi coniuncta. Haec mihi videtur afferri poſſe ratio, cur gratia myſtice ſignificet non Chriſtum ipſum, ſed Corpus Chriſti. Quod enim quidam exiſtimant, gratiam hic ſumi pro Chriſto qui eſt gratia per eſſentiam, non ſatis accurate expendiſſe videntur, hic agi principaliter de Chriſti corpore, quod eſt veritas & gratia Sacramenti, deinde ex conſequentia de Chriſto Domino, cuius hoc eſt corpus.

Ceterum quo pacto gratia illa accedat ad ſymbola, Theodoretus ſignificat; nempe per mutationem, quae fit in ſymbolis ex gratia, id eſt ob adiectionem gratiae. Corporis quippe ſubſtantia myſteria conſumuntur, ut docuit Chryſoſtomus: quando, ut cum Iuſtino loquamur, ex prece ab ipſo verbo profecta, panis fit caro Chriſti. Myſtice vero de hac quoque mutatione locutus eſt, quam univerſa tamen profitebatur Eccleſia.

Quoniam vero incurioſius videbantur locuti plerique veterum, qui conſtituta ſemel hac mutatione panis, nihil naturae panis permanere docebant, aut docere videbantur; Theodoretus audacter ait & vere, ſymbola poſt ſanctificationem eam naturam ſervare quae videtur: licet ap-

appellatione corporis & ſanguinis decorata fuerint.

Itaque ex mente huius auctoris, verbis operatoriis Chriſti, quibus Sacramenta conficiuntur, mutatio fit in ſymbolis; ex qua ſequitur praeſentia gratiae ſymbolis adiunctae, ſive corporis ipſius & ſanguinis Domini: Et praeterea ſymbola viſibilia, quae permanent in ſua natura, corporis & ſanguinis appellationem ſortiuntur, fiuntque Sacramentum, ſive figura naturalis corporis & ſanguinis.

Queri poteſt, quomodo mutentur ſymbola, & tamen in ſua natura permaneant? Mutantur quoad ſubſtantiam inconſpicuam in Corpus Chriſti inviſibile; ſic tamen, ut ſubſtantia illa inconſpicua non deſinat eſſe, ſed attrahatur a Corpore Chriſti, At vero quoad naturam conſpicuam, quae videtur & tangitur, non mutantur. Si cui non placet hic loquendi modus, Ariſtotelis verba adhibebimus. Materia & forma panis, quae ex ſe res eſt inviſibils & inſenſibilis, ſecreta a quantitate non perit, ſed tranſit in Corpus Chriſti; Remanet autem corpus ex quantitate & caeteris accidentibus conflatum, in quo proprietates prioris compoſiti reſiduae ſunt; ita ut & nutriat, & per ſe ſubſiſtat ex vi ſubſiſtentiae partialis, quae competebat quantitati, etiam quando coniuncta erat cum ſubſtantia. Quod quidem corpus a ſua natura viſibili non recedit, ut in Corporis Chriſti naturam tranſeat, licet illius nomine ornetur.

His iactis fundamentis, ulterius progreditur, ut doctrinam Euchariſtiae illuſtret; & ſuum inde adverſus Eutychianos argumentum conficiat. Pergit itaque Orthodoxus, & petit ab Eraniſta, cuius figuram & ſymbolum eſſe putet alimentum ſanctiſſimum, divinitatis, an Corporis Chriſti, & Sanguinis? Reſpondet iſte, eius eſſe ſymbolum, cuius appellationem ſuſcepit, nempe corporis & ſanguinis. Subiungit autem Orthodoxus: *Vt decet amicum veritatis dixiſti. Etenim Dominus, quum accepiſſet ſymbolum, ſeu ſignum, non dixit; Hoc eſt deitas mea, ſed, Hoc eſt corpus meum; & rurſus, Hic eſt ſanguis meus, & alibi: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.*

Fruſtra ſe hoc loco tuentur Calviniani, ac ſi doceret Theodoretus formulae divinae non aliam eſſe vim, quam ut ſymbola ſanctificata ſint tantum figura corporis & ſanguinis, quaſi ſcilicet hoc arcanum tanta cura recondendum eſſet, ne pateret non initiatis. Vera mens auctoris haec eſt, verbis formulae confici Sacramentum, quibus & corporis ac ſanguinis inviſibilis gratia ſiſtatur praeſens: & ſymbola panis atque vini munus illius ſignificandi adſciſcant: non autem ſignificandae divinitatis. Quod autem teſtimonium ex capite ſexto Ioannis adiungit, *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, eo conſilio facit, ut confirmet formulae divinae efficacia id agi, ut caro inviſibilis hoc pane ſanctificato contineatur; qui deinde una cum illa carne

ne ſit figura illius carnis, ut notabitur inferius. In quo iſti partim convenit cum Tertullirno, & Auguſtino; qui duplicem illum formulae effectum agnoverunt, nempe & ſiſtendae carnis inviſibilis, & ſignificandi corporis; ſed, ut loquitur Auguſtinus, in quo differt a Theodoreto, viſibilis atque palpabilis corporis: cuius caro illa inviſibilis cum forma panis eſt Sacramentum, ſignum & figura: quod ſumtum videtur ex his Ambroſii verbis *Caro verae carnis eſt Sacramentum*. Theodoretus vero ſimplicius agit, & profitetur, ſymbola eſſe ſigna corporis ipſius, & ſanguinis inviſibilis, prout Coniuncta ſunt cum ſymbolis; quod explicandi genus etiamnum hodie frequentatur in ſchola Theologica: neque illud negaret Auguſtinus, cuius doctrina non repugnat Theodorero, ſed uberior eſt in explicando ſignificandi modo, iuxta quem panis myſticus eſt Sacramentum veritatis ſuae, id eſt Corporis Chriſti: & praeterea prout eſt Sacramentum cum veritate coniunctum eſt ſignum, & figura corporis viſibilis & in cruce ſuffixi.

Ex iſtis tandem concludit Orthodoxus, ſi haec vera ſint, Dominum habuiſſe corpus poſt unionem cum Verbo in myſterio Incarnationis. Quod praefracte negat Eraniſta, ſeque tantum noſſe, Verbum carnem factum.

Vrget iterum idem genus argumentationis petitum a divinis myſterii Dialogo 2. Etenim, ut ſatisfaciat Eraniſtae, qui contendebat Corpus Chriſti non fuiſſe appellatum corpus poſt aſcenſionem in coelos, reſpondet Orthodoxus, ſe quidem probationem illam iam impleviſſe, quoniam docuerat ex Scripturis, Chriſtum in extremo adventu, quando iudicium in homines exerciturus redibit, eodem modo ſe videndum praebiturum, quo in coelos ſe ſuſtulit: Interim apertis coelis viſum a Stephano a dextris Dei, addita quoque hac ratione, ut oſtendatur vis argumenti, *quod enim videtur corpus eſt*. Attamen adiungit inſuper locum Pauli in Epiſtola ad Philipenſes, ubi tradit, corpus humilitatis noſtrae conforme futurum corpori gloriae Chriſti. Vnde probat, poſt aſſumtionem in coelos Corpus Chriſti dici corpus ab Apoſtolo.

Mox gradum facit ad Euchariſtiam his verbis: Orth. *Dic ergo myſtica ſymbola, quae Deo a Dei Sacerdotibus offeruntur, quorumnam dices eſſe ſymbola?* Eran. *Corporis & Sanguinis Domini*. Orth. *Optime, oportet enim imaginis eſſe exemplar archetyphum. Etenim pictores imitantur naturam, & eorum, quae videntur, depingunt imagines*. Eran. *Verum*. Orth. *Si ergo divina myſteria corpus quod vere eſt, repraeſentant. Ergo corpus etiam nunc Domini quoque corpus eſt, non in naturam divinitatis mutatum, ſed impletum divina gloria*. Obſervandum eſt, myſtica ſymbola offerri Deo a Dei Sacerdotibus. Porro certum eſt ex doctrina omnium veterum offerri incruentam carnem vivificam Chriſti, qui praeſens adeſt ſuis ſymbolis. Reliqua verba non indigent explicatione. Superius enim oſtendi, myſtica ſymbola eſſe

eſſe imagines Corporis & Sanguinis Domini, ita tamen ut gratia inviſibilis carnis ſit illis coniuncta.

Eraniſta hac argumentatione compulſus nihil collectioni reſpondet quidem, ſed argumentum Eutychianis familiare, petitum ex eadem materia, contorquet adverſus Orthodoxum: ut oſtendat, Corpus Domini in aliam mutari naturam in myſterio Incarnationis. Ac primo quidem ſciſcitatur ab Orthodoxo, quid appellet donum, quod offertur ante invocationem Sacerdotis. At ille cautione adhibita ſecreti non omnino pandendi reſpondet, *Non oportet aperte dicere; eſt enim veriſimile adeſſe aliquos myſteriis non initiatos*. Er. *Reſpondeatur aenigmatice*. Conſentiunt, myſterii arcana non eſſe ſic patefacienda, ut eius cognitio ſit aperta non initiatis. Quare in eo explicando ita verſatur, ut involucro aliquo veritatem tegat; nunc gratiae nomine corpus inviſibile ſignificando; nunc mutationem, quae in ſymbolis vi formulae divinae accidit, profitendo quidem, ſed eius non aperiendo modum, ut fecit Dialogo 1. Hic ambages in nominibus ſymbolorum ponit, quae diſerte expoſuerat Dialogo 1. panem ſaltem aperte nominando. Reſpondet itaque Orthodoxus, donum ante invocationem eſſe illud nutrimentum, quod fit ex huiuſmodi ſeminibus, & commune hoc nomen, quod potus ſpeciem ſignificat.

Pergit Er. *Poſt ſignificationem autem quomodo ea appellas?* Orth. *Corpus Chriſti, & Sanguinem Chriſti*. Er. *Et credis, te fieri participem Chriſti Corporis & Sanguinis?* Orth. *Ita credo* Hic obſervandum eſt, ſymbola ſic eſſe Sacramenta & ſigna, ut ipſius tamen corporis & ſanguinis nos participes efficiant: quod fit in hoc myſterio naturaliter, reipſa, & non per fidem tantum, ut univerſa Eccleſia profitebatur teſtibus Cyrillis, Gregorio Nyſſeno, Chryſoſtomo, & omnibus qui hac de re verbum fecere, tractatoribus. Vnde conſequitur verum corpus his ſymbolis contineri, licet ſpiritali, & inviſibili modo.

Ex iſtis colligit Eraniſta: *Sicut ergo ſymbola Domini corporis & ſanguinis alia quidem ſunt ante invocationem Sacerdotis, ſed poſt invocationem mutantur, & alia fiunt: ita etiam corpus Domini poſt aſſumtionem mutatur in divinam ſubſtantiam*.

Antequam reſponſio Orthodoxi proponatur, repetendum eſt, quod Dialogo primo animadvertit, ſcilicet in ſymbolis fieri mutationem ex gratia, accedente nempe gratia ad naturam: Eam tamen mutationem officere omnino cauſſae Eutychianorum, quia ſcilicet conſpicua ſymbolorum natura nullam ſui mutationem patiatur.

Quare Orthodoxus non ſolum argumentum Eraniſtae refellit, qui ex mutatione ſymbolorum, converſum Corpus Domini in divinam ſubſtantiam in Incarnatione argumentabatur: ſed ex eadem comparatione, Corpus Domini perſeverare in coelis, demonſtrat. Quoniam myſtica ſymbola poſt Sacerdotis invocationem *manent in priore ſubſtantia*.

tia, forma & figura: & videri, atque tangi poſſunt, ut prius. Monuerat antea Theodoretus, *quod videtur, corpus eſſe*; & ex Phyſicae principiis ſciebat quod ait Lucretius, *tangere, vel tangi niſi corpus, nulla poteſt res*. Quare quum ſymbola eodem modo videantur, & tangantur, quo ante conſecrationem, quin ſint corpus naturale ſuis dimenſionibus conſtans, negari non poteſt. Non ſolum autem circumſcriptionem, formam, & figuram in his agnoſcit, ſed eamdem priorem naturam, quam ſubſtantiam vocat. Neque vero hic ſe tricis Logicorum involvit, quum horum corporum ſenſibilium naturam vocat ſubſtantiam, quod idem eſt ac eſſentia. Sufficit enim ad praeſentis controverſiae cum Eutychianis diſceptationem, qui poſt Aſcenſionem divinam naturam corporis humani circumſcriptionem & figuram deſeruiſſe dicebant, ſi doceat Orthodoxus, priorem formam, & figuram ſymbolorum permanere, ita ut videri atque tangi poſſint, ut prius. Sed praeterea quoque docet, ut adimat argumentationi vim, quae ex mutatione per gratiam in ſymbolis facta, cuius hic quoque meminit, conſequi poterat, ſymbolorum priorem quoque ſubſtantiam corpoream ſive naturam perſeverare: imo vero & priorem panis ſubſtantiam quamvis mutatam ex gratia: eoque exemplo evincit, Corpus Chriſti in coelis priorem formam, & circumſcriptionem atque corporis ſubſtantiam poſſidere. Quare non eſt neceſſe uti nos eruditiſſimi, & acutiſſimi Cardinalis Perronii obſervatione, qui ex vi Graecarum dictionum recte aiebat ſic poſſe reddi Thodoreti locum; ut manere dicerentur ſymbola ſub *prioris ſubſtantiæ figura & forma*. Haec enim interpretatio imminuere videtur reſponſionis robur; & ut iam dixi, non eſt neceſſaria. Satius eſt ergo adhaerere vulgatae verſioni, cuius haec ſunt verba.

Orth. *Quae ipſe texuiſti retibus captus es. Neque enim ſigna myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura. Manent enim in priore ſubſtantia, & figura, & forma, & videri, & tangi poſſunt ut prius. Intelliguntur autem ea eſſe quae facta ſunt, & creduntur & adorantur, ut quae illa ſint quae creduntur. Confer ergo imaginem cum exemplari & videbis ſimilitudinem. Oportet enim figuram eſſe veritati ſimilem. Illud enim corpus habet priorem quidem formam & figuram, & circumſcriptionem, &, ut ſemel dicam, corporis ſubſtantiam. Immortale autem poſt reſurrectionem factum eſt, & potentius quam ut ulla in ipſum cadat corruptio & interitus, ſeſſioneque ad dextram dignatum eſt, & ab omni creatura adoratur, ut quod appelletur corpus naturae Domini.*

Ex iſtis verbis & ſuperioribus teſtimoniis patet, quaenam fuerit ſententia Theodoreti de tota huius myſterii veritate. Quemadmodum enim ſuperius dixerat, haec myſtica ſymbola poſt invocationem Sacerdotis Deo offerri a Dei Sacerdotibus, & mutationem ſubiiſſe ex gratia,

quae accedit ad ſymbola: quae quidem ita ſunt Sacramenta Corporis & Sanguinis Domini, ut ipſius veri Corporis & Sanguinis Dominici nos particeps efficiant: Sic iiſdem inhaerendo veſtigiis, nunc ait, haec ſymbola intelligi eſſe, quae facta ſunt, & credi, & adorari ut quae illa ſint, quae creduntur: id eſt, per mutationem ex gratia ſunt ſymbola carnis inviſibilis praeſentis: & ideo adorantur; quoniam nemo carnem illam ſumit, quin prius illam adoraverit, ut ait Auguſtinus. Quare habemus ex Theodoreto, ſymbolorum coofecrationem miniſterio Sacerdotis, & verbis Chriſti factam; mutationem ſymbolorum ex gratia; praeſentiam carnis Chriſti & ſanguinis; oblationem ſymbolorum ſanctificatorum, quae Deo fit a Dei Sacerdotibus; ſymbolorum adorationem; & eorum interventu, participationem Corporis & Sanguinis Dominici.

De integro redit Eraniſta ad congreſſum, & ex mutatione appellationis, quae fit in ſymbolo myſtico, quod non amplius panis, ſed corpus vocatur, colligi poſſe putat, hius Sacramenti veritatem Deum dici debere, non autem Corpus Chriſti. Eran. *Atqui ſymbolum myſticum priorem mutat appellationem, neque enim amplius nominatur, quod prius vocabatur, ſed corpus appellatur. Oportet ergo etiam veritatem* Deum, *& non corpus, vocari.*

Vbi ſerio adnotatum eſt, quod alibi dixit, *imaginis archetypum* hic vocari *veritatem*; nempe corpus naturale, & immortale, Chriſti: quae fuit Auguſtini quoque phraſis, qui in hoc myſterio Euchariſtiae duas partes conſtituit, Sacramentum, & rem atque veritatem Sacramenti, ſive gratiam: utramque enim dictionem uſurpat, ut fecit Theodoretus. Rem terrenam, & coeleſtem, ut ait Irenaeus. Veteratorie autem & dolo malo cavillatur Eraniſta cum Orthodoxo; neque enim in hac controverſia comparatio inſtituitur inter Deum & corpus, ſed inter ſymbola & eorum veritatem, id eſt verum Corpus Chriſti. Quare quod unum colligere poterat Eraniſta ex mutatione appellationis in ſymbolis, hoc erat, ut in veritate Sacramenti mutatio quoque aliqua fieret, quod atrinet ad appellationem. Quod Orthodoxus concedit, & novam corpori vero Chriſti additam appellationem in hoc myſterio indicat, nempe dici *panem vitae* etiam ab ipſo Chriſto, in capite ſcilicet ſexto Ioannis. Vbi caro Chriſti dicitur *panis vivus*, & panis in Euchariſtia exhibendus dicitur eſſe *caro*.

Ignorantiae itaque inſimulat Eraniſtam, quod myſterii huius arcanum non penetrarit, vel potius doli, me iudice, quod illud diſſimulet: factam ſcilicet nominum permutationem, de qua Dialogo primo pluribus egerat, ut pani Corporis Chriſti; Corpori vero panis nomen inditum fuerit. Vnde ſequitur, ut in hoc myſterio veritas Sacramenti non debeat, corporis nomen deferendo, Deus vocari, ſed corpus: ſymbola enim non ſunt divinitatis ſigna, ſed corporis, ut fatebatur

Eraniſtâ Dialogo primo. Ceterum in hac nominum commutatione meminiſſe oportet eius effati, quod Theodoretus illo priore Dialogo nos docuit; praeter mutationem appellationis in ſymbolis fieri quoque mutationem ex gratiae adiectione. At in veritate Sacramenti, quum ſit corpus divinum Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quod poſt reſurrectionem non poteſt amplius cadere corruptio, ut ait Theodoretus in priore; in iſta reſponſione, quam expendimus, ſola poteſt eſſe novi nominis appellatio, ut *panis vitae* dicatur. Enimvero non fruſtra decoratur hoc nomine, quia reficit animam, & propter adiunctam huic carni divinitatem Verbi vitam immortalem largitur. Quippe, ut docebat Cyrillus Alexandrinus efficaciam huius myſterii edifferens in Commentariis ſuis ad Ioannem, vivifica eſt caro latens in his myſteriis, quia eſt coniuncta Verbo, a quo vim illam & poteſtatem ſortitur.

Concludamus ergo hanc diſputationem recitatione verborum, quibus Orthodoxus Eraniſtae cavillos ſolvit. Orth. *Ignarus mihi eſſe videris; non enim corpus ſolum, ſed etiam panis vitae nominatur; ita Dominus ipſe appellavit. Porro autem ipſum corpus, divinum corpus nominamus, & vivificum, & Dominicum, docentes non eſſe commune alicuius hominis, ſed Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Deus & homo. Ieſus enim Chriſtus heri & hodie, idem & in ſaecula.*

DE SACRIFICIO MISSAE

Diſſertatio.

QVVm tanta ſit tamque ſublimis ſempiterni Dei maieſtas, tamque immenſa illi beneficia debeat univerſum mortalium genus, quod illius potentia ſemel conditum, eius deinde benignitate & paterna cura ſuaviſſime regitur ac fovetur: addita quoque ad cumulum delictorum omnium indulgentia, quam ſanguine ſuo in cruce effuſo Chriſtus promeruit Adamo, eiuſque poſteris omnibus, qui eam non contempſerint, profuturam; neceſſe fuit, ut grati animi teſtimonium aliquod homines ederent, & ſummum illud nomen ſummo quoque cultus genere, quod in oculos omnium incurreret, devote ac ſuppliciter venerarentur.

In eum uſum ante diluvii tempora ex Adami ipſius inſtituto Abel primitias frugum, & pinguiores e grege victimas Deo adolevit. Hunc morem poſt diluvium conſtanter retinuit Abrahamus, eiuſque ſoboles; donec ſacrificiorum aliqua genera ab ipſo Deo certis legibus, & ceremoniis conſtitutis firmata ſunt, ut populus Iudaicus officium ſuum expleret potius, quam Deus, qui rerum omnium eſt Dominus, armentorum vel gregum mactatione indigeret.

Quod aperte teſtatum reliquere David, Iſaias, aliique Prophetae, qui

qui rectae & caſtigatae mentis, & piorum operum ex legis obſequio profeſſorum ſacrificiis, non autem animalium profuſo ſanguine, Deo litari docuerunt; adeo ut ſi haec abeſſet hominum pietas a ſacrificiis externis, ea Dominum plane abominari denunciarint. Quod autem Deo gratum erat & acceptum ſacrificium, laudis, & iuſtitiae, atque cordis contriti eleganter dicitur a Davide, aliiſque Prophetis: utpote quod laudes, & gratiarum actiones Domino referat pro beneficiis acceptis, mentemque puram ab omni ſcelere, confoſſo ac veluti mactato rebellis concupiſcentiae appetitu, divino nomini exhiberet.

Dubitandum quoque non eſt, quin varia illa Moſaicae legis ſacrificia inſtituta eſſent, ut ſingulare illud & unicum Chriſti ſacrificium ſignificarent, quo corpus ſuum in cruce mactandum, & ſanguinem profundendum praebuit, ut hominibus a ſervitute, & iugo peccati ereptis Patrem placatum redderet: quo unico ſacrificio veterem legem tranſtulit in novam, & ſola illa oblatione in aeternum fideles perfecit, ſive conſummavit ſanctificatos, ut loquitur Paullus.

Et ne ſui cultoribus deeſſet ceremonia aliqua externa, qua ſacrificium mentis internum teſtarentur, ſingulari ſui amoris induſtria Chriſtus, quum in eo eſſet articulo, ut mox neci tradendus eſſet, inſtituit Euchariſtiae Sacramentum, atque ſacrificium, ut corporis ſui in cruce ſuffigendi, & ſanguinis effundendi memoriam fideles renovare poſſent, eiuſque ſacrificii cruenti fieri participes per communionem huius incruenti.

Norunt myſteriis initiati, Chriſtum acceptum panem & vinum, recitata illa ſolenni formula, corpus & ſanguinem ſuum feciſſe: addito Apoſtolis mandato, ut in ſui memoriam haec Sacramenti conſecratio perageretur.

Hoc eſt novum Chriſtinae legis externum ſacrificium, ut ſummo conſenſu docent omnes antiqui Patres, nemine demto, qui hanc eſſe oblationem mundam, quae toto orbe offerenda erat, a Malachia praenuntiatam teſtantur: Hoc eſſe Melchiſedechi ſacrificium, qui panis & vini ſpecies Deo prius ab ſe oblatas, ut decebat Sacerdotem Altiſſimi ad agendas de Abrahami victoria gratias, ipſi dein atque commilitonibus edendas bibendaſque praebuit, ut ſacrificii participes omnes faceret. Quamobrem hoc praecipue nomine Chriſtus dicitur a Davide *Sacerdos in aeternum ſecundum ordinem Melchiſedec*; licet aliae huius quoque Sacerdotii in Chriſto cauſſae non deferuint, quas exequitur Apoſtolus, hac oblatione conſulto praetermiſſa; ne ſcilicet ſolidiore cibo rudiores adhuc Hebraeos reficeret, ut ipſe monuit initio diſputationis de Melchiſedechi Sacerdotio. Cuius exemplo Chriſtus, pane & vino prolatis in ultima menſa, Deo gratias egit, & primarias illas creaturas in corporis & ſanguinis ſui naturam ſecreta poteſtate convertit, ſic diſtributo in duas partes ſenſibiles Sacramento, ut

illa corporis ſeorſim a ſanguine, & iſta ſanguinis a corpore ſeparati, eſſet Sacramentum cum rei veritate coniunctum. Quare frugum illarum ſacrificium a Melchiſedecho ad Dei venerationem adhibitum typus fuit veri ſacrificii a Chriſto inſtituti, quod ex iiſdem frugibus myſtica prece in Corpus & Sanguinem Chriſti mutatis conficitur.

Enimvero quoniam ſacrificiis priſtinis cum veteri lege deletis, & Aaronis Sacerdotio penitus abolito, non eſt arbitrario de negotio adeo ſerio diſputandum ſine Scripturarum auctoritate: neceſſe eſt, ut aperte conſtituatur quaenam ſit ratio ſacrificii iſtius Euchariſtici, atque eadem opera doceatur, nullam iniuriam fieri ſacrificio Chriſti in cruce cruente peracto.

Sed in anteceſſum obſervandum eſt, plura fuiſſe in lege moſaica ſacrificiorum genera; ſic, ut in his ſolida & integra victima igne adoleretur, quod fiebat in holocauſtis: in iſtis, parte Hoſtiae in altari abſumpta, reliquum cederet in uſum Sacerdotum: In aliis pars quoque Hoſtiae traderetur offerenti, ut fieri ſolitum in ſacrificiis pro gratiarum actione. Ceterum in his omnibus ſacrificiis, vel integra victima, vel pars illius arae impoſita cremabatur. Erat aliud quoque ſacrificii genus in Deuter. c. 16. & Levit. c. 23. praeſcriptum, quod *oblatio ſpontanea* dicebatur: panum ſcilicet ex novis frugibus confectorum, quos in ſolenni feſto Pentecoſtes populus Sacerdoti traditos offerebat. Hic vero duos ex illis panes poſtquam ante Dominum ſuſtuliſſet, iuxta ritum cum ceteris ſacrificiis communem, reliquos ſpontaneos panes in uſum ſuum ſervabat. Quod uſurpatum quoque in panibus propoſitionis, qui altari impoſiti coram Deo per hebdomadam conſiſtebant.

Quare neceſſe non eſt, ut rationem cuiuſque ſacrificii in victimae mactatione, vel interitu Hoſtiae, conſtituamus: cum ſufficiat ſola rei ſenſibilis ad honorem divini numinis ex ipſius decreto dicatae oblatio, quae illi a miniſtro publico nuncupatur, ut ſacrificium dici poſſit. Quamvis in ſacrificio Euchariſtico non deſit quoque ſuo modo myſticus victimae interitus, ſi quis hanc quoque conditionem in ſacrificii veri ratione deſideret.

Expectabit Lector, ut tricas & ambages, quibus haec involvitur materia, uno verbo reſolvam. Sacrificium Euchariſtiae quum ſit res eadem cum hoc Sacramento, eorum natura ſic eſt eadem in ſe, ut aliud abſque altero conſiſtere non poſſit. Sacrificium quippe iſtud in eo poſitum eſt, ut immolationem Chriſti in cruce peractam nobis in myſterio exhibeat; eamdemque victimam Sacramentis praeſentem ſic ſiſtat, ut per ſpecies ſenſibiles imponatur altari corpus diſcretum a ſanguine. Id ſit per ſpecierum conſecrationem: quae quatenus Chriſti Corpus & Sanguinem ſub formis illis latentia repraeſentant, Sacramenta dicuntur; quatenus vero interfecti corporis & effuſi ſanguinis ſunt ſigna inter-

inter ſe diverſa, inſerviunt ad myſticam veri corporis & ſanguinis immolationem.

Quae quidem myſtica immolatio eſt a Chriſto inſtituta his verbis *Hoc facite in meam commemorationem*: id eſt, ut explicuit diſerte Paulus, Hanc ceremoniam conficite, ut mors Domini annuncietur, ſignificetur & in myſterio exhibeatur, renovata cruenti ſacrificii memoria per eiuſdem Hoſtiae praeſentis, ſed incruento modo, in myſterio deſignatam, & repraeſentatam mactationem. Ita variis in locis hanc ſacrificii rationem explicat Auguſtinus, & alii Patres: qui ex eodem fonte ducunt alium loquendi modum: ſcilicet hoc eſſe ſacrificium commemorans ſacrificium cruentum, ut ſaepe Chryſoſtomus loquitur.

Nec eſt quod inde occaſionem ſibi plaudendi deſumant haeretici, qui ob ſolam commemorationem alterius veri ſacrificii hoc improprie ſacrificium a Patribus nuncupari contendunt. Sic enim iſtud docent veteres eſſe ſacrificium per commemorationem, ut memoria mortis obitae facta, eamdem victimam habeat praeſentem incruento modo.

Hinc quoque fit, quod tantum abſit ab inferenda iniuria ſacrificio cruento, quod ſolum eſt atque unicum religionis Chriſtianae ſacrificium, neque amplius repetendum; ut potius ad eius decus augendum non mediocriter valeat. Etenim Sacerdotum miniſterio ipſe Chriſtus ſeipſum praeſentem Sacramento ſiſtit, ut ſuae mortis iam peractae memoriam renovet: & incruento modo eamdem Hoſtiam abſque ſacrificii illius cruenti vera & naturali repetitione, ſed tantum myſtica, altaribus imponat: Porro quum ſacrificium ſit coniunctum Sacramento, & iſtud tendat ad animarum refectionem & naturalem unionem cum Chriſto, quae fit per eſum illius cibi caeleſtis; hinc fit, ut in ſacrificii Euchariſtici ratione contineatur eius deſtinatio ad Communionem ſive ſumptionem Sacerdotis, & fidelium. Quod docent ipſa Chriſti verba hoc ſacrificium, & ſacramentum inſtituentis, *Accipite & manducate* Quod habet exemplum in ſacrificiis Hoſtiarum pacificarum, quae fiebant pro gratiarum actione, ubi pars victimae cedebat in uſum & Sacerdotum, & eius qui eam offerebat mactandam.

Hinc colliges, ſacrificii rationem non eſſe ponendam in actu Tranſubſtantiationis, quaſi tunc ſpecies intereant, ut placuit Tappero: Ex hoc enim ſequeretur, ſpecies offerri, non autem Corpus Domini, quod tunc non interit. Porro nec ſumptio ſpecierum, & Corporis Chriſti pertinet ad eſſentiam ſacrificii una cum conſecratione, ut viſum Bellarmino. Quoniam haec eſt ſacrificii iam oblati participatio, non autem ſacrificii ratio: ut palam eſt in ſacrificiis Moſaicis, quae mactata Hoſtia fiebant: licet, peracto ſacrificio, in pleriſque pars victimae cederet Sacerdotibus.

Quaeri quoque ſolet, an ſpecies panis & vini ſint pars iſtius ſacrificii? quod ſi admittitur, ſequetur, rem oblatam & victimam aliam eſſe,

eſſe a victima in cruce oblata. Attamen ex Auguſtino docuit Proſper, ſacrificium Eccleſiae conſtare ex re viſibili, & Corpore Chriſti, ſicut Chriſtus conſtat ex Deo & homine. Vnde Suares docet, panem & vinum aliquo modo offerri tum quoad ſubſtantiam, quia mutatur in corpus, tum quoad ſpecies, quas ait intrinſece pertinere ad rem oblatam in hoc ſacrificio; ita ut res oblata per modum termini non ſit tantum Chriſtus nude ſumptus, ſed ſimul cum ſpeciebus, quatenus cum ipſis unum compoſitum ſacramentale conſtituit. Sed iſta, quae quibuſdam durior videtur ſententia, temperari poteſt, ita ut dicatur, rem principaliter oblatam eſſe Chriſtum, ſed ſpecies neceſſarias eſſe ad modum huius ſacrificii conſtituendum, nempe ut ſit viſibile, myſticum, & incruentum: ſic ut pertineant ad rem oblatam per conſequentiam quamdam, ut corpus, quod apertum erat in cruce, hic ſit opertum.

Reliqua eſt de huius ſacrificii valore controverſia, qua de re non videtur integrum, ut aliquid diſputetur poſt ſynodi Tridentinae definitionem, quae conſtituit, hoc ſacrificium eſſe propitiatorium pro peccatis. De quo graviter conqueruntur haeretici, qui ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, ut dici poſſe non abnuunt, ita fieri inſignitam iniuriam cruento crucis ſacrificio contendunt, quod peccatorum remiſſionem, deleto in cruce veteris debiti chirographo, ut loquitur Paulus nobis apud Patrem promeruit, Chriſto livore corporis ſui, imo vero & morte viliſſima poenas luente noſtris criminibus debitas.

Fatendum eſt ſane, cruentum ſacrificium fuiſſe vere propitiatorium pro peccatis, ita ut quod de ſacrificiis pro peccato tradebatur in lege, quibus offerentes, a ſceleribus ſuis expiabantur, hoc impletum ſit in ſacrificio crucis, quo condonatio peccatorum univerſi generis humani facta eſt cum effuſione Sanguinis Chriſti, ſine qua remiſſio fieri non potuit, teſte Apoſtolo in Epiſtola ad Hebraeos. Ceterum infinita vis illa pretii divini, quo redempti ſunt homines, ut proſit ſingulis, eorum labore procurandum eſt, atque divinae gratiae adminiculis: quae in eos per Sacramentum, & ſacrificii huius canales velut aqua ſaliens in vitam aeternam deducenda eſt.

Quare duo quaedam conſtituere debemus, Primum eſt, Chriſtum, qui fideles una crucis oblatione conſummavit, ut ait Paulus, in hoc Sacramento eſſe praeſentem quidem, ſed non eſſe in eo ſtatu, ut meritum aliquod novum vel ſatisfactionem nobis acquirat. Secundum eſt, eo modo ſe habere hic apud Patrem pro nobis, quo ſe gerit in coelis, ubi *Ad dexteram Dei interpellat pro nobis*, ut inquit Paulus cap. 8. ad Rom. & in ep. ad Hebraeos. Itaque quum res oblata, & qui principaliter offert & interpellat, ſit ipſe Chriſtus, dubium non eſt, quin ſit in hoc ſacrificio infinita vis impetrandi omnem gratiae apparatum, quo inſtructi ingentium criminum veniam conſequi poſſumus.

Digitized by Google

ſumus. Quid enim deeſt ad peccatorum indulgentiam aſſequendam, ubi auctor ipſe gratiae, qui eam nobis promeritus eſt cruento ſacrificio, in myſtica ceremonia illius memoriam renovat, atque pro nobis Patrem interpellat, quo beneficii in cruce quaeſiti nos faciat compotes: quae fuit ſententia diſerti Chryſoſtomi.

Hoc docet vera interpretatio huius effati Dominici, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quibus verbis docet Chriſtus, remiſſionem criminum promeriturum ſe mortalibus ſanguine ſuo, quem ſtatim profuſurus erat in cruce. Ceterum eumdem illum ſanguinem tanti pretii vere, quamvis myſtico modo, huic poculo eſſe praeſentem, ut effuſionis futurae beneficium illis in anteceſſum hoc myſterio applicaretur. Sic capere oportet hunc locum iuxta vulgatam verſionem, licet plerique recentiores malint urgere tempus praeſens, quod eſt in Graeco textu, *Hic eſt ſanguis meus, qui effunditur in remiſſionem peccatorum.* Quemadmodum de pane dicitur per temporis praeſentis participium: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur:* Et apud Paulum, *quod frangitur.* Ideo enim uſurpata ſunt verba temporis praeſentis, quia mox neci tradendus erat Chriſtus. Praeſens poſitum pro proxime futuro. Qui loquendi modus frequens in Evangeliis hoc loco de induſtria conſtanter retinetur, ut ſciamus hic nunc geri in myſterio ad fructum rei adipiſcendum, quod mox faciendum erat in rei veritate ad peccatorum remiſſionem promerendam.

Quare, ut articulum iſtum contraham in pauca, propitiatorium dicitur ſacrificium Euchariſticum, quoniam impetrat gratiam neceſſariam ad ſalutem, & ad ea omnia conſequenda beneficia, quae Chriſtus nobis ſua paſſione promeruit, niſi contumaciter auxilia illa reiecerimus.

Praeter interpellationis iſtius vim a Chriſto praeſente profectam, quae dicitur *ex opere operato*, eſt alia quoque impetrandi ratio, quae ab Eccleſia, cuius Sacerdos, quemadmodum & Chriſti vices gerit, pondus non leve ſortitur. Illa corporis, & membrorum poſtulationes explicantur apud Deum, quibus per merita & ſatisfactiones Chriſti, petimus criminum veniam & quaecunque ad animae ſalutem pertinent: Addamus, & corporis, quatenus bona temporalia ad ſpiritualem animae profectum conducunt. Caeterum quoniam nihil certi nobis Chriſtus quoad res temporales ſpopondit, & earum fortaſſe conſecutio animae poſſet officere, minus mirum videri debet, ſi earum adeptione quandoque careamus. *Quid enim nos oremus, ſicut oportet, neſcimus*, Rom. 8. Quaecumque vero, quae per Chriſti merita in ſacrificio impetramus, ea nobis ex opere operato donantur: cui operi adiuncta eſt petitio noſtra, quam Sacerdos Eccleſiae, & offerentium nomine exponit. Vnde fit, ut effectus atque fructus huius ſacrificii

non

non impediatur ob mala merita Sacerdotis: a quo id tantum exigitur, ut tanquam publicus Chriſti, & Eccleſiae miniſter ſacrificium conficiat, & vota ac deſideria poſtulantium Deo exponat.

Offerentium meminimus, quoniam mos iſte invaluit ab ipſo Eccleſiae exordio, ut; quemadmodum in veteri lege iuxta vires patrimonii, & cuiuſque pietatem, oblationes fiebant a populo, quae Deo nuncupabantur, ſeu victimarum, ſeu decimarum, vel primitiarum, aut voti nomine cenſerentur; quarum uſum Deus Sacerdotibus indulſit, Num. 18.; ſic Chriſtiani olim oblationibus frugum ſuarum, & aliquando pecuniae, Deum venerabantur; quibus deinde Epiſcopus, & Presbyteri cum reliquo Clero ſeſe exhibebant. Quare oblationum nomine apud Clementem, Irenaeum, & antiquiores illos Decimae, Primitiae, & aliae eiuſcemodi fidelium largitiones intelligebantur.

Porro, ut acceptior, & gratior eſſet divino Numini, cuius honori vovebatur oblatio, fieri ſolita erat in publico Eccleſiae conventu, a ſingulis fidelibus, quorum dona, & munera in commentarios cum nominibus offerentium redigebantur. Quae quidem munera, ſi ſpecies eſſent confectae panis & vini, in Eccleſiam inſerebantur; aliarum vero ſpecierum, ut frugum, largioris quoque vini, pecuniae, & aliquando praediorum, ſeu latifundiorum dona pittaciis inſcripta, ut vocat Hieronymus, tradebantur in ea parte Miſſae, quae hinc dicta eſt *Offertorium*.

Ceterum ſuae quiſque Oblationi titulum ſuae poſtulationis apponebat, ut eius ſpecialis commendatio fieret in ſacrificio. Hic nuptias commendari oblatione ſua petebat, ut docet Tertullianus; uxor eamdem faciebat oblationem ad refrigerium adpoſtulandum ſpiritui viri iam fato functi, eodem auctore. Hinc natae frequentes illae controverſiae vetuſtis Canonibus deciſae, quorum ſint oblationes recipiendae vel reiiciendae: quis poſſit oblationibus communicare; quod de perceptione Euchariſtiae non eſt ſaepiſſime intelligendum, ſed de communicatione illa fidelium, quae ex oblatione conſurgit, in ſacrificio dein commendanda.

Ex muneribus panis & vini Deo oblatis partes aliquae ſeligebantur ex acervo, velut uncia quaedam ex aſſe ſolido, quae corpus, & maſſam integrae oblationis referebant: quae ad incruentum ſacrificium peragendum ſpecialiter deſtinabantur: in quibus ceterae oblationes erant veluti complexae, ut dixi.

Harum oblationum Deo commendatio fiebat oratione ſecreta: quae non ſolum quia ad ſacrificium deſtinatae erant, Hoſtiae dicuntur in Liturgiis, vel etiam ſacrificia: ſed etiam quia ex grati animi & contriti ſacrificio in Dei cultum, eiuſque ſummi dominii agnitionem, divino Numini offerebantur a fidelibus, ut iam monui.

Nomina eorum, qui munera obtulerant, ex libellis, qui a Graecis

cis dicuntur Diptyca, viventium & mortuorum, recitabantur in ſacrificii actione, ut diſcimus ex Innocentio I. Cuius recitationis locus erat in ea Liturgiae parte, ubi vivorum fit mentio, ut & alibi mortuorum.

Hodie vero immutata quidem eſt oblationum inferendarum ratio, tum in eo, quod in ſolis Parochiarum Eccleſiis, ſolemnioribus diebus, aut in Miſſis votivis fieri ſolent: tum etiam, quod ex rebus oblatis non deſumatur Hoſtia conſecranda, ſed eam e domo ferant paratam qui altari inſerviunt. Attamen non deſivit in Eccleſia nec Oblationum emolumentum, quod certius eſt hodie, quam foret olim, ob modum, quo Decimae & Primitiae velut ſola tributa exiguntur; praeter luculenta praedia, & Dynaſtias integras, quibus Eccleſia locupletata eſt; Et praeter quotidianas, quae piorum ex liberalitate manant obventiones: pro quibus donatoribus, ut offerentibus vivis, & mortuis tacite cenſendus eſt offerre Sacerdos, qui Miſſas agit in ea Baſilica, quae illorum beneficiis fundata, vel aucta eſt: & pro iis quoque quorum munera ſuſcepit. Hinc quoque ſequitur, ut Sacerdos, qui offert ſacrificium, Oblatam, ſive Hoſtiam, quam ad id munus adhibet ex fidelium beneficentia, ex qua ſine dubio alitur, eam habere dicendus ſit, niſi malit e ſuo illam promere; ut dona, munera, & ſacrificia illibata fidelium dici poſſint, aeque ac dicebantur olim: quum fideles circumſtantes ſuam ratihabitionem, quaſi a ſe profectam offerant.

Si qui tamen Oblationes, vel munera hodie contulerint Presbytero inter Miſſas in Offertorio, vel ante dederint, aut ſpoponderint, ut eum invitent ad ſacrificium agendum, hi proprie dicentur, etiam ut olim in Canone Miſſae, offerre ſacrificium una cum Sacerdote, eius tamen miniſterio: quamvis omnes quoque circumſtantes, qui cum fide ac pietate ſeſe Sacerdoti adiungunt, ſacrificium offerant, ex verbis Miſſae Latinae: *Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuiſque omnibus*. Vnde eleganter dixit Auguſtinus loquens de hoc ſacrificio, de Chriſto, & Eccleſia: *Tam ipſa* (ideſt Eccleſia) *per ipſum* (i. e. Chriſtum), *quam ipſe per ipſam ſuetus offerri*. Hinc ſequitur neminem ex offerentibus, aut ex circumſtantibus, privari poſſe a Sacerdote eo fructu ſacrificii, qui ad eum ex opere operato pertinere poteſt, pro modo ſuae devotionis, eumque fructum ſibi competentem ſuis quemque communicare poſſe, ut patet ex verbis Liturgiae. Iſtud vero inter eos & Sacerdotem hac in parte intercedit diſcrimen, quod iſte Miſſas agere poſſit, quo iure non potiuntur caeteri; ſicque ex celebratione Sacerdotis pendet qui ad circumſtantes & offerentes fructus pervenit. Tum etiam quod in Sacerdote, ut pro aliis exaudiatur; quia eſt Eccleſiae miniſter, quae ſan-

ſancta eſt ; non requiritur privata illius caritas , ut ad alios , quibus ille etiam abſentibus applicat , utilitas ſacrificii redundare poſſit : quae tamen pietas neceſſaria eſt in circumſtantibus & offerentibus, ut ſibi atque aliis prodeſſe poſſint : Quod etiam in Sacerdote locum habet , ſi partem fructus ex propria devotione ſibi reſpondentem applicare velit .

Omnes quidem circumſtantes , & abſentes etiam , quibus Sacerdotis miniſterio opus ſacrificii deſtinatur , eius efficaciam experiuntur : De qua ſunt accipienda haec verba Ioannis cap. 17. *Ego ſantifico meipſum*, inquit Chriſtus , *ut ipſi etiam ſanctificati ſint in veritate* . Loquitur de Apoſtolis, ad quos poſt Euchariſtiae ſumptionem , graviſſimum illum ſermonem habuit a Ioanne relatum . Vbi ſanctificandi verbum ; quod de victimis & de aliis rebus, quae Deo conſecrantur, in Exodo , & Levitico uſurpatur ; pro Chriſti immolatione per Euchariſtiam deſignata , & mox conſummanda in cruce , accipitur , teſte Chryſoſtomo . Verbum itaque a ſacrificiis deſumptum ad Apoſtolos quoque Euchariſtiae participes transfert , ut ipſi ſint ſanctificati , id eſt ſacrificio purgati , & Deo conſecrati , obſignata in eorum animis fide & caritate .

Sed uberiores fructus ex hoc ſacrificio capiunt , ceteris paribus , qui victimae communicant . Etenim praeterquam quod auctorem gratiae in ſe recipiunt , propius accedunt ad finem hujus ſacrificii , quod eo conſilio inſtitutum monui , ut Chriſtiani fierent ejus participes . Porro qui edunt Hoſtias *participes ſunt altaris* , inquit Paulus 1. Cor. 10. Ab hoc ſane docet Iudaeos excludi , quod Chriſtianis eſt peculiare cap. 13. ep. ad Hebraeos : *Habemus altare , de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſerviunt* .

Sane ſi quis a communione abſtineat, non carebit omni fructu huius ſacrificii , ſi per fidem & pietatem , ut dixi , ſe Sacerdoti offerenti , & communicanti coniungat : ut faciebant olim qui poenitentiae cenſura irretiti ſolis orationibus in Eccleſia communicabant , non autem Corpori Chriſti ; de quibus agitur in Canonibus Synodi Nicaenae, & alibi . Graeci quoque , ut teſtatur Ambroſius, aetate ſua , licet ſynaxi intereſſent , non communicabant , niſi ſemel per annum . Qua de re graviter indignatus Chryſoſtomus ait, fruſtra ſacrificium peragi, ſi Chriſtiani non communicent : a quo peragendo tamen non abſtinebat ille ; ſed agebat expoſtulationem ſuam hoc gravi loquendi modo . Vnde ſapienter Synodus Tridentina fideles hortatur , ut in ſingulis Miſſis communicent aliqui : ſed ex Laicorum negligentia noluit, ut Sacerdotes officio ſuo deeſſent in frequentandis ſacrificiis : quemadmodum nec quinto ſaeculo ceſſatum fuit ab ſacrificandi opere , aliis quam tribus ſollennioribus feſtis , Paſchae , Pentecoſtes , & Natalis Domini ; in quibus ut fideles tardi alioquin , & minus ſeduli in hoc pie-

Digitized by Google

pietatis officio communicarent, Synodus Agathenſis diſerte praecepit.

Addam hic velut mantiſſae vice, quia rei ipſius ſeries hoc poſtulat, licet ex ſacrificii ratione non ſit ipſius communio, attamen, quum ad communionem directa ſit a Chriſto huius ſacrificio inſtitutio, hinc videri, eum Sacerdotem, qui in foro vel in menſa palam expoſitum panem conſecrare intenderet, vel etiam privatim, ritu omni externo ad amuſſim obſervato, ut eo ad praeſtigias magicas abuteretur, vel ut ludibrio ſacrilegorum exponeret, non autem ut ipſe ex eo ſaltem communicaret, revera non confecturum hoc ſacrificium. Finis enim illius eſt Dei honor, Eccleſiae utilitas & fidelium communio: quae non ſolum hic deſunt, ſed contraria impietas exerte ſe prodit. Quare, quum poteſtas conſecrandi ſit moralis, neceſſe eſt, ut ad eius executionem, praeter ceteras cauſſas, finis quoque concurrat. Praeterea, quum Sacerdos in hoc opere ſit Chriſti, & Eccleſiae miniſter, non poteſt alia intentione illud conficere, quam quae fuit Chriſti ipſius inſtituentis: qui noluit derideri, ſed Patrem ſuum hoc ſacrificio coli, mortiſque ſuae memoriam recoli ad ſanctificationem fidelium.

Antequam in lectionem Bonaventurae incidiſſem, hanc ego ſententiam in familiaribus congreſſionibus cum haereticis invexi, ut veritatem Euchariſtici ſacrificii ab eorum ſannis aſſererem. Quod feliciter aliquoties mihi cecidiſſe expertus ſum. Eamdemque opinionem, applaudente Superilluſtri Franciae Cancellario, renitente licet eruditiſſimo Theologo, propugnaſſe memini. Huius quoque opinionis acerrimum vindicem inveni Hieronymum Columbum lib. 4. de Hierarchia c.57. qui praeter argumenta, haec teſtimonia laudat his verbis.

Haec eſt expreſſa D. Bonaventurae Sententia, qui pro ſe quoque Hugonem referens in 4. Sent. diſt. 10. q. 4. ait, non quantavis materia, inquit, ſed quae uſui fidelium ſufficiens eſt, & ſanctae inſtitutioni conveniens, efficitur Corpus Chriſti. Quia haec converſio non fit virtute verborum, niſi adſit intentio, & intentio concors inſtitutioni, & intentioni Eccleſiae, quia; ſicut dicit Hugo; Omne Sacramentum irritum reputatur, ſi contra inſtitutionem celebretur. Intentio autem Chriſti inſtituentis & Eccleſiae eſt, convertere ad uſum fidelium. Vnde, quum virtus verborum ſecundum intentionem Eccleſiae reguletur, ad tantam quantitatem ſe extendit, quantam poteſt Sacerdos conicere, quod debeat & congruat ſumi in uſum fidelium. Et per hoc patet, quod Sacerdos volens conficere totum panem de foro, nil quidem facit. Et infra ait: *Si aliquis conficeret non ad uſum, ſed ut proiiceret in latrinam, dicitur ab aliquibus quod nihil faceret.*

Hoc ipſum aſſertive docuit Alenſis 1. parte q. 10. membro 4. art. 2. q. 8. ac ſecutus eſt Angelus verbo Euchariſtia, §. 25. Quinimo & D. Thomas in opuſculo 5. q. de Sacram. Euch. c. 5. velut probabile

admittit: eo quia requiratur etiam intentio Chriſti inſtituentis, qui non intendit, ut extra uſum fidelium tali tantoque ludibrio celebretur hoc Sacramentum.

Ceterum duplex eſt offerendi actio in Sacerdote. Prima verſatur circa ſpecies panis & vini ad ſacrificium peragendum deſtinatas, quae Deo ſic offeruntur, ut multiplici oratione rogetur eas acceptas habere, & benedicere. Quibus in orationibus inſeruntur vota preceſque fidelium, quarum impetratio pendet ex ſecunda offerendi actione, quae fit poſt conſecrationem, ad quam agendam accedit Sacerdos praemiſſa brevi, ſed gravi oratione, qua ſimul explicat, cur Oblationes panis & vini propoſitas Deo commendarit; & eadem opera mox recitandam ſub Chriſti nomine formulam Oblationi conſecrandae applicat his verbis: *Quam Oblationem, quaeſumus Domine, in omnibus benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Vnde factum, ut apud veteres, & in Synodo Romana ſub Gregorio VII. conſecratio fieri dicatur, *verbis Chriſti, & precibus ſacerdotis*: ideſt iſtac praecipue oratione, quæ verba Chriſti applicat. Quo ſenſu a Graecis, teſte Cabaſila, precibus ſacerdotis confici ſacrificium dicitur, quia verba Chriſti illis applicantur: illud tamen eſt diſcrimen inter Liturgias; quod in Orientalibus preces ſubſequantur ſtatim recitationem verborum Chriſti. Quod intelligendum eſt, ac ſi utrumque uno ſpiritu, & momento proferretur, ut explicuit Beſſarion iu Concilio Florentino ad ſedandam controverſiam, quae hac de re Graecis cum Latinis interceſſerat. In Miſſa vero Latina rectius preces antecedunt; & praecipue iſta, quam monui ideo praeſcriptam, ut verba conſecrationis ſub nomine Chriſti proferenda ad Oblationem praeſentem applicentur & definiantur.

Peracta vero conſecratione ſequitur ſtatim ſecunda offerendi actio, qua Sacerdos ſuo, & offerentium ac circumſtantium nomine defungitur: ut Deum veneretur, ac ſuas illorumque poſtulationes ſuperioribus orationibus expoſitas, adiuncta Hoſtiae coeleſtis, quam patri offert, interpellatione adſequatur. *Offerimus praeclarae maieſtati tuae de tuis donis ac datis, Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitae aeternae, & Calicem ſalutis perpetuae*. Obtulerat prius dona & munera fidelium, oblatas ſcilicet panis & vini ſpecies, ut Deo eſſent acceptae, eaſque benediceret, & tandem eas efficeret corpus, & ſanguinem ſuum.

Nunc vero Chriſti Corpus, & Sanguinem, prout in hoc Sacramento ſunt myſtice immolata, & memoriam renovant cruenti ſacrificii in cruce peracti, offert divinae Maieſtati. Qua oblatione non fit ſacrificium incruentum, quod iam peractum eſt conſecratione; ſed adiungitur actioni & interpellationi Chriſti actio Sacerdotis, qui victimam prae-

praeſentem Chriſti mediatoris Patri offert, ut eius miſericordiam alliciat.

In hac autem orationis formula duo loquendi genera notanda ſunt. Vnum eſt, corpus Domini his ſpeciebus opertum eleganter dici *Panem ſanctum vitae aeternae*, ob permutationem illam nominum, quae fit in hoc myſterio inter ſymbola, & rei veritatem, ut docuit erudite Theodoretus. Quod deſumptum ex cap. 6. Ioannis, ubi Chriſtus praeludens Euchariſtiae, ſe panem vivum nuncupat. Calix quoque dicitur ſalutis perpetuae eadem ratione, qua panis vitae aeternae dictus eſt.

Alterum loquendi genus eſt, offerri Deo Hoſtiam iſtam *ſanctam ex ſuis donis, & datis*. Quod ideo dictum, ut res univerſas dominio ad Deum pertinere fateamur. Adeo ut dona & munera, quae illi obtulimus, teſtemur ex ejus donis eſſe profecta: iuxta illud lib. 1. Paralip. c. ult. *Tua ſunt omnia, & quae de manu tua accepimus reddimus tibi*. Quod alio quoque Canonis loco profitemur, nempe per Chriſtum haec omnia ſemper bona creari, & ſanctificari. Illud quoque non omittendum eſt, mutationem primae Oblationis in ſecundam, id eſt ſymbolorum in Corpus & Sanguinem Domini, ſignificari verbis illis, *Ex tuis donis, & datis, panem ſanctum vitae aeternae, & Calicem ſalutis perpetuae*.

Porro Deus rogatur, ut hoc ſacrificium ſereno vultu accipiat, ſicut reſpexit in Abelis, Abrahami, & Melchiſedechi ſacrificio. Quod non refertur ad victimam, ac ſi patri minus grata eſſet: ſed ad ipſos offerentes, quibus haec ipſa victima, ſit licet pretii infiniti, proficere non poterit, niſi aliunde fide ſua & pietate iuventur. Quem intellectum eſſe verum docet ipſa trium ſacrificiorum ſimilitudo: ubi victimae ſelectae ex armentis, & panes atque vinum Melchiſedechi, quum eſſent res a Deo conditae, non poterant eſſe niſi valde bonae, ut loquitur Scriptura.

Sed animus offerentis imparatus poterat Dei bonitatem laedere, & clementiae ipſius effectus retardare. Ne tale aliquid accidat Chriſtianis in hoc ſacrificio, orat Sacerdos, ut petitionibus noſtris adiutis huius victimae praeſentia & interpellatione Deus ſe propitium exhibeat.

Quae poſtulatio ut effectum habeat, petit iterum Sacerdos rem oblatam una cum votis atque orationibus fidelium coniunctam perferri per manus Angeli ad ſublime altare Dei. Ad hanc formulam Liturgiae alludit Irenaeus, qui Euchariſtiae oblationem in ſublime illud altare deferri docet. Quae fraſis metaphorica petita eſt ex Apocalypſi, ubi altaris coram Deo poſiti mentio, in quo ſcilicet orationum victimis Deo litatur: Chriſto, qui ad dexteram Patris ſedet, merita ſua per mortem ſuam in hominum beneficium quaeſita Patri proponente,

ut

Digitized by Google

ut eorum fructus uberrimos fideles capiant. Angeli vero iniicitur, quoniam preces Angelorum miniſterio ab hominibus ad Deum deferri dicuntur in Scripturis: & ut noſtra cum ſanctis Communio oſtendatur, non ſolum cum hominibus fato functis, quorum Communio, & memoriae veneratio iam ſancita eſt, ſed etiam cum Angelis, qui ſunt miniſtratorii ſpiritus ad noſtram ſalutem, quorum hic maximus numerus Regem ſuum Chriſtum ſtipans conſiſtit, teſte Chryſoſtomo & Gregorio.

Quum res oblata ſit Chriſtus, & ipſe ſit qui principaliter hoc ſacrificium conficit, Sacerdotum uſus miniſterio, palam eſt, huius ſacrificii infinitas eſſe vires: Neque vero aliquid ex eius valore deteri, quod miniſter ſit tenuis homo: qui potentiam Dei infinitam remorari non poteſt. Attamen fructus huius ſacrificii, quum in homines redundare debeat, qui fide ſua & pietate locum praebeant tanto beneficio, finitus eſt pro modulo cuiuſque, ad quem pervenit. Caeterum tam benigna eſt beneficii copia, ut quibuſque profit, qui ſe illius recipiendi idoneos praebuerint, ita ut nullum detrimentum inferatur uni ex alterius communione. Id egregie docet Miſſae Canon, ubi pro Eccleſia univerſa, pro Papa, Dioeceſis Epiſcopo, Rege, pro ſingulis quoque fidelibus, pro ſe ipſo orat Sacerdos, pro aliis quoque, quos ſigillatim memorat: quia virtus ſacrificii tam copioſa eſt, ut omnibus ſufficiat: Et ſi aliquis minus, vel nihil inde capiat, ſuae negligentiae id damnum imputare debeat, non ſacrificii deficientiae. Si quis vero cavilletur hinc ſequi, unius Miſſae recitatione pluribus a Sacerdote ſatisfieri poſſe, reſponderi poteſt, id eſſe contra bonam fidem, ſi abſque gravi cauſſa qui pollicitus eſt ſingulis ſuum ſacrificium unius actione defungatur. Deinde, quum pietas cuiuſque neceſſaria ſit ad fructum Miſſae capiendum, qui pluribus una vice ſe ſatisfacturum putat occaſionem fortaſſe ſingulis adimit exhibendi ſe paratos huic beneficio recipiendo. Praeterea cultum Divinum, qui praecipue in hoc ſacrificio verſatur, per negligentiam ſuam imminuit.

TRAITTE' DU SACREMENT DE L' EUCHARISTIE,

Compoſé par Meſſire PIERRE DE MARCA *Archeveſque de Paris.*

L' Euchariſtie qui a eſté inſtituée par noſtre Seigneur Jeſus Chriſt pour unir les Chreſtiens a ſoy, & les faire entr' eux un meſme corps myſtique, les faiſant participer a un meſme pain, comme parle l' Apoſtre, eſt neanmoins en ce temps l' occaſion la plus preſſante de leur diviſion: dautant que la ſubtilité de l' eſprit des hommes ayant introduit diverſes interpretations ſur les paroles de l' Inſtitution de

Digitized by Google

de cet Auguſte Sacrement, qui eſt au deſſus de la portée de l'entendement humain en quelle façon que l'on veüille l'interpreter, comme l'avoüent les plus entendus de chaque party; il eſt arrivé que chacun voulant ſouſtenir ſon opinion, le ſujet de l'union a eſté fait celuy de la Diviſion, de la Secte, du Schiſme, & de l'Hereſie.

Si l'on eut voulu captiver ſon entendement a la ſimplicité des Anciens, & a la ſincerité de leur interpretation, l'on ne ſeroit pas aujourd-huy en ſi grand' peine pour accommoder tant de diverſes explications aux paroles du Seigneur.

Il y a trois principales opinions qui partagent le Chriſtianiſme ſur cette matiere. Les Catholiques diſent, que la ſubſtance du pain eſt changée au Corps de Ieſus-Chriſt, en ſorte que les accidens demeurent ſans ſujet, & que le corps ſuccede en la place de la ſubſtance du pain par la multiplication de ſa preſence, qui eſt au Ciel avec ſes dimenſions, & en l'Autel indiviſiblement accompagné de l'ame & de la Divinité.

Les Lutheriens ſont de meſme avis, ſauf en ce que les Catholiques admettent le changement de la ſubſtance au corps, & que les accidens demeurent ſans ſujet; car ils conſervent tout le pain, & reçoivent la preſence indiviſible du corps unie au pain par une vraye union Sacramentale.

Les Calviniſtes veulent que le pain ſoit le Sacrament du corps, en telle ſorte qu'il ait en ſoy l'efficace de ce corps: De maniere que mangeant par la bouche le Sacrement du corps, le Fidele mange par la Foy la ſubſtance du vray Chorps de Criſt. Si cette opinion conſentoit que la ſubſtance du corps, qui repeiſt l'ame fuſt unie réellement & ſans diſtance au Sacrement, elle ſeroit la meſme que celle des Lutheriens.

Si l'on deſire ſçavoir quelle a eſté la foy des anciens Peres, on peut aſſeurer qu'ils conviennent en une meſme concluſion, mais qu'ils ont diverſes façons pour s'expliquer; leſquelles n'ayant pas eſté bien conſiderées, les eſprits chatoüilleux ont pris dela quelque ſujet d'opiner diverſement.

La plus ancienne façon d'expliquer ce myſtere eſt celle cy; Que noſtre Seigneur ayant pris du pain, le diſtribua a ſes Diſciples, & leur dit que ce pain eſtoit ſon Corps, qui ſeroit donné & rompu, pour eux en la Croix. De ſorte que ſelon le ſens literal du texte, ce pain devient Corps de Chriſt. *E pane fit caro Chriſti*. C'eſt a dire, qu'il devient non ſeulement le Sacrement du Corps de Chriſt, mais ſon vray Corps, a ſçavoir celuy-la meſme, qui devoit eſtre rompu pour nous en la Croix.

Cette explication, qui eſt vraye, reçoit neanmoins diverſes conſiderations. Ce que l'on pourra mieux juger par l'examen de ceux, qui
ſe

ſe ſont plus amplement expliquez, en les conferant avec les autres, qui ont parlé moins. Pour le mieux comprendre nous monterons de bas en haut.

Saint Jean Damaſcene explique certe matiere avec beaucoup de circonſpection en ſon Epiſtre a Zacharie Eveſque de Doare, & au Chapitre qui ſuit. Car il fait cinq propoſitions pour l' intelligence de ce myſtere. La premiere, que le Corps, qui eſt en l' Euchariſtie, & celuy, qui eſt au Ciel, eſt un ſeul corps. La ſeconde, qui explique la premiere, Que ce Corps de l' Eucariſtie eſt une augmentation du vray Corps de Jeſus-Chriſt, ἐις ἐπαυξησιν τȣ σωματος. De maniere que comme l'enfant, qui eſt né avec ſon petit corps, augmente ce meſme corps par le moyen de la nourriture, les facultez naturelles changeant l'aliment en la vraye ſubſtance de ſon corps; de meſme, le pain conſacré eſt changé par le S. Eſprit en l' augumentation du vray Corps de Jeſus-Chriſt.

La troiſiéme, Que cette augmentation ſe fait par un changement inexplicable du pain au corps au moyen de la venuë du S. Eſprit. Car de meſme que le ſang de la Vierge fut converti au Corps de Chriſt par l'union de l' hypoſtaſe du Verbe; le pain eſt converti au meſme Corps de Chriſt par le S. Eſprit, qni ſurvient a l' Autel & opere ce changement: en ſorte que le pain, c' eſt a dire, tout ce compoſé d' Accidens & de Subſtance eſt fait le vray Corps de Chriſt.

D' où ſuit la quatriéme propoſition, à ſavoir que noſtre Signeur ayant voulu que l' Euchariſtie fuſt celebrée pour la memoire de ſa Paſſion, ce Corps eſt rompu & mangé en l' Euchariſtie, & y eſt ſujet à corruption: afin que l'œconomie de noſtre ſalut ſoit mieux repreſentée, c'eſt a dire que les myſteres, qui ont eſtè operez au corps Incarné ſoient ſenſibilment repreſentez, & que ce Corps ſoit rompu au Sacrament, comme il fut cloüé & percé en la Croix. Et pour cet effet l'inſtitution de ce Sacrement fut faite par noſtre Seigneur avant la Reſurrection, tandis que ſon Corps eſtoit corruptible.

La cinquiéme propoſition eſt, Que non obſtant certe fraction, qui arrive au corps en l' Euchariſtie pour accomplir l' œconomie lors qu' il eſt dans nous par la manducation, comme dans le ſepulchre, il ne perd point ſon eſtre; mais il demeure incorruptible & inviolable; rend incorruptibles les Chreſtiens, & paſſe en la nourriture ſpirituelle de leurs ames.

Cette explication ainſi propoſée verifie la concluſion des Catholiques, que le vray Corps de Jeſus-Chriſt eſt en l' Euchariſtie, & que le pain eſt changé au corps: mais la façon d' expliquer eſt un peu differente. Car Damaſcene ne s' engage pas à ce que l'on dit dans l' Eſchole, que le Corps de Jeſus Chriſt, qui eſt au Ciel, eſt reudu preſent par une multiplication de preſence; mais il dit que le pain eſt fait

fait le Corps de Chriſt par augmentation du corps. Ce qui pourroit s'accommoder a l'opinion de Suarez, qui veut que cette preſence ſe faſſe par reproduction. Il ne dit pas auſſi expreſſement, que la ſubſtance du pain deſiſte, & que les accidens demeurent ſans ſujet; mais il dit que tout le pain eſt fait le Corps de Chriſt.

Neanmoins il s'affermit au changement, lequel il attribuë a la toute puiſſance du S. Eſprit. Et encore plus fortement au Livre quatriéme de la Foy orthodoxe chap. 14. il dit, que la parole de Dieu eſt vive & efficace, qui crea la lumiere & tout ce qui eſt au monde; Que le Verbe forma ſa chair ſans ſemence d'homme du ſang le plus pur des entrailles de la Vierge, & partant que rien n'empeſche que du pain il ne faſſe ſon Corps. Ce qu'il opere tous les jours dans l'Euchariſtie; la force obombrante du S. Eſprit ſervant pour cet effet par la conſecration comme d'une pluye pour cette moiſſon. La Vierge demanda comment elle pouvoit concevoir n'ayant point connoiſſance d'homme. Si vous demandez auſſi, dit-il, comment le pain peut eſtre fait le Corps de Chriſt, Je vous réponds, que le S. Eſprit ſurvient, qui fait ce qui ne peut eſtre ny conceu dans l'entendement, ny expliqué par la parole. Enſuite il ajoûte; aſſeurément ce corps, qui dans l'Euchariſtie eſt vrayement uni a la Divinité, eſt ce corps, qui eſt né de la ſainte Vierge; non pas que ce Corps ſoit deſcendu du Ciel, mais parce que le pain & le vin ſont changez au Corps & au Sang. Et l'on ne peut rien dire davantage ſur ce ſujet, ſinon que la Parole de Dieu eſt veritable, efficace, & toute-puiſſante. Car la façon en eſt telle, qu'elle ne peut eſtre recherchée par aucunce raiſon. On peut bien dire, que comme le pain, que l'on mange, eſt changé par la force de la nature au corps de celuy, qui mange; auſſi le pain & le vin de l'Euchariſtie ſont changez d'une façon merveilleuſe par l'invocation, & venuë du S. Eſprit, au Corps & au Sang de Jeſus-Chriſt.

Il paſſe plus outre: car il dit, que ce pain n'eſt pas la figure du corps, mais le corps meſme, dautant que noſtre Seigneur a dit, que c'eſtoit ſon Corps & non pas la figure de ſon Corps. Il confirme enſuite cette penſée, diſant que le pain de la communion n'eſt pas un ſimple pain, mais un pain conjoint a la Divinité, enſorte que ce Corps eſt d'une nature differente de celle de la Divinité, & qu'il y a deux natures, l'une du Corps, l'autre celle de la Divinité.

Le Corps de l'Euchariſtie eſt deſtiné pour le ſalut de noſtre ame & de noſtre corps, qui n'eſt point conſumé, ny ne va au retrait, mais purge noſtre ame. S'il rencontre de l'or faux, il l'épure avec la flamme & le feu, pour empeſcher que l'on ne ſoit pas damné a l'avenir avec le monde, ſelon l'Apoſtre en l'Epiſtre aux Corinthiens. (La où il eſt remarquable, qu'il donne une nouvelle explication au-

texte, qui porte, que celuy qui mange le Corps du Seigneur indignement, mange ſon jugement; c'eſt a dire qu'il eſt chaſtié en ce monde pour n'eſtre point damné a l'avenir.) Mais auſſi, ajoûte Damaſcene, eſtant purgez par ce pain de l'Euchariſtie, nous ſommes unis au Corps du Seigneur & a ſon Eſprit, & ſommes faits un corps avec luy.

Par ce diſcours tout le pain, y compris les accidens, ſemble eſtre converti au Corps de Jeſus-Chriſt. Et apres l'œconomie & la memoire de la Paſſion parachevée, ce corps Euchariſtique ne ſe perd pas; mais il ſe reünit en un meſme corps d'une façon inviſible, ὀ διαφθείρεται, dit il en ſon Chapitre particulier ſur cette matiere, οὐδε χωρει εἰς το μη εἰναι. συναγεται γαρ ἀορατως εἰς ἑν σωμα.

Aprés Damaſcene, qui explique la foy de ſon temps, il faut peſer S. Chryſoſtome, qui repreſente celle de ſon ſiecle, & de ceux qui avoient precedé, ſemblabe aux concluſions, mais differente en la façon d'interpreter.

S. Chryſoſtome juſtifie ce changement, diſant que c'eſt Chriſt qui le fait; les Preſtres n'eſtant en cette operation que ſes Miniſtres; que ce Corps qui eſt au Ciel, eſt par ce moyen a meſme temps entre les mains de Preſtres; qu'il y eſt rompu & mangé par les Chreſtiens, mais qu'il ne va point au retrait. *A Dieu ne plaiſe*, dit-il. Ce que Damaſcene a tranſcrit dans ſon diſcours. Il eſt vray qu'il ſemble expoſer ce changement d'une façon particuliere en l'Epiſtre écrite à Cæſarius, rapportée par Pierre Martyr de la Bibliotheque Florentine; a ſçavoir, que le pain, eſtant conſacré, ne change point de nature ny de ſubſtance, encore qu'il quitte le nom de pain, & qu'il ſoit fait un corps avec le vray Corps de Chriſt, de meſme façon que l'homme & la Divinité unis enſemble font un Chriſt. D'où il s'enſuit, que S. Chryſoſtome reconnoit un changement au pain, qui le fait eſtre Corps de Chriſt par union avec le vray Corps, en ſorte que ce ne ſoit plus qu'un meſme Corps, a cauſe de la participation des Idiomes que ce Sacrement introduit. Il eſt vray, qu'il met le Lecteur en peine, lors qu'il dit, que ce Corps eſt rompu & mangé, mais qui ne va point au retrait: car ſi la nature du pain eſt conſervée, qui empeſche que ce qui eſt materiel, *non abeat in ſeceſſum?* comme Origene avouë, lequel diſtingue en l'Euchariſtie le materiel, & ce qui arrive au pain par la conſecration. Mais S. Chryſoſtome a voulu parler avec plus de reſpect de l'Euchariſtie, & n'a pas voulu que l'on ſe perſuadaſt, que ce qui avoit eſté fait un meſme corps par union, peut aller au retrait en ce qu'il avoit de materiel.

S. Epiphane ſemble expliquer ces paroles en meſme ſens, lors qu'il écrit, que ce qui eſt petit, rond, blanc & inanimé, eſt fait le Corps de Chriſt par grace τῃ χαριτι.

Cy-

Cyrille Hieroſolimitain en ſes Cathecheſes, explique ce myſtere de meſme façon avec S. Chryſoſtome, ou avec Damaſcene : car il dit nettement que le pain, que l'on voit, n' eſt pas pain, encore que le gouſt le juge tel, mais que c'eſt le Corps de Jeſus-Chriſt. Il allegue les changemens reels arrivez par la toute-puiſſance de Dieu, pour juſtifier celuy-cy.

S. Gregoire de Nyſſe en ſa Catecheſe aſſeure, que le pain eſt changé au Corps, & allegue l' exemple du changement du pain en la chair de l' homme qui le mange, voire meſme en la chair de Jeſus Chriſt, lors qu'il eſtoit en ce monde. D'où ce Pere conclud, que l' operation du S. Eſprit ſera bien aſſez efficace pour changer le pain au Corps du Verbe, puiſque la chaleur & force naturelle changeoit le pain en la Chair du Verbe, lors qu' il le mangeoit eſtant en ce monde. D'où l'on voit que cet Auteur approche de l'opinion de Damaſcene, & en dit pour le moins autant que S. Chryſoſtome.

Au reſte il eſt fort ètrange, qu'il s'avance de dire, que cette cauſe vous ragarde tous deux, chacun en ſon degrè. Oú a-t-il touvè qu'il fuſt de la Famille, & devant qui a-t-il juſtifiè le degrè de ſa parentè avec feu Monſeigneur voſtre Pere. C'eſt a moy d'uſer de cette libertè, & je peux bien vous ècrire, que cette cauſe nous regarde tous deux, chacun en ſon degrè; c'eſt a dire vous le premier comme ſon fils, & moy en ſuite comme ſon couſin germain, avec toute la parentè, qui fait profeſſion de Lettres; en ce que ce petit Copiſte & Aumoſnier eſt ſi temeraire de dire contre la veritè, que feu Monſeigneur l'Archeveſque de Paris ſon Maiſtre, un ſi grand Prelat, & une lumiere ſi èclatante de l'Egliſe, euſt choiſi pour publier ſes ècrits un homme, qu'il traitoit de ridicule, dont il faiſoit ſi peu d'eſtime, & qu'il tenoit pour ignorant en toutes les Sciences, & en la Langue Grecque, l'intelligence de laquelle eſt naceſſaire pour cette edition. Si ce grand homme euſt voulu commettre quelqun pour en prendre le ſoin, comme je ſuis aſſeurè qu'il ne vouloit point donner cette peine a qui que ce ſoit, il n'auroit pas jettè les yeux ſur autre ſujet que ſur ſon fils, qui a plus de ſcience au bout du doigt, comme l'on dit communement, que le Sieur Baluze en ſa petite & legere teſte. En effet, de quelque coſtè que l'on prenne la choſe, n'a-t-il pas ordonnè, que ſes ouvrages vous fuſſent remis, a quoy le Sieur Baluze a obeï? Vous les poſſedez, Monſieur, & c'eſt a vous de voir ce que vous en devez faire.

Le motif que le Sieur Baluze a eu de vous ècrire la ſeconde Lettre, qu'il a fait imprimer, eſt le meſme que celuy de la premiere. C'eſt le dèplaiſir qu'il a, que j'aye vengè l'honneur de feu Monſeigneur voſtre Pere, le mien, & celuy de toute la parentè, en dècuvrant au public l'impoſture, qu'il luy a voulu perſuader d'avoir receu de luy l'ordre, dont je viens de parler, comme le ſeul qui eſtoit capable de l'executer. Et neanmoins vous remarquerez, qu'il eſt ſi plaiſant de dire, que ce n'eſt pas la meſintelligence, qui eſt entre luy & moy, qui l'a obligè de vous l'ècrire, *parce qu'il ne m'eſtime pas*

aſſez

aſſez pour vouloir ſe donner la peine d'écrire contre moy. Je vous avoüe, que cette inſulte me pourroit toucher, ſi je ne conſiderois, que ce diſcours eſt une fanfaronneirie d'un Capitan Matemore: Car il parle de moy avec autant de mèpris, que ſi j'ètois l'Aumoſnier de voſtre Maiſon, & luy le Parent. Mais on ſçait aſſez, qu'il n'y a point de competence entre luy & moy: & en effet, ſi je ne conſiderois que ceux qui ne le connoiſſent pas, pourroient recevoir quelque fauſſe impreſſion par la lecture des ſes folies, je mèpriſerois tout ce qu'il ſuppoſe avoir ècrit a Monſeigneur l'Eveſque de Tulle, & a vous-meſme, & je ſupprimerois ma rèponſe ſuivant le ſentiment de mes amis, qui l'en jugent indigne.

A l'ègard de ce qu'il vous dit avec ſon defaut ordinaire de reſpect, que *par un caprice extravagant, & par vanité de vouloir paroiſtre Autheur, j'ay fait imprimer un Livre*; je puis vous aſſeurer Monſieur, que je ne ſçay pas ſi c'eſt le motif qu'il a eu, lors qu'il s'eſt diſpenſè contre ſon devoir, & ſur des copies ſurpriſes, de faire imprimer les Diſſertations, qu'il a ajouſtèes au Livre *de Concordia Sacerdotii & Imperii*: Mais que le mien n'a eſtè que d'obèïr aux amis de feu Monſeigneur voſtre Pere, & aux miens; qui ſçachant qu'il me reſtoit encore quelques-uns de ſes ècrits, ne m'ont laiſſè en repos, juſqu'a ce que je les aye donnez au public, dequoy ma pareſſe vouloit aſſez s'excuſer, & s'èpargner cette peine.

Je ne doute pas, que vous ne vous ſoyez diverti, comme ont fait pluſieurs autres, ſur ce que le Sieur Baluze ſuppoſe vous avoir ècrit, *qu'il doit a feu Monſaigneur l'Archeveſque le peu qu'il ſcait*. Il n'a jamais rien dit de ſi bien: car en veritè il luy doit fort peu de choſe de ce coſtè-la; & s'il ne luy avoit pas plus d'obligation de ce qu'il l'a ſouffert dans ſon ſervice, & de ſes Benefices & penſions, il luy en auroit certainement fort peu. Neanmoins vous aurez compaſſion, auſſi bien que moy, de voir combien peu judicieuſement il ſe vante luy-meſme par cette Lettre d'eſtre fort ſçavan, & veut ſe preferer a moy, luy qui n'a nul principe d'aucune ſcience, n'y ayant jamais ètudiè; tout le fondement de ſa preſomtion conſiſtant en ce qu'il a compoſè avec l'ayde de ſes amis, quelques epiſtres dedicatoires, & qu'il a fait imprimer les écrits, qui ont eſtè compoſez par les autres, ſans prendre garde, que la ſcience paroiſt en la compoſition de ſes propres ouvrages, & non pas en la publication de ceux d'autruy. A mon ègard je croy n'avoir jamais fait paroiſtre par mes diſcours, que j'aye aucune preſomtion de moy meſme, que je me *ſois perſuadè d'eſtre habile homme*, & que je me *flate mal a propos de cette grande capacité & haute intelligence*, dequoy m'accuſe fauſſement & malicieuſement le Sieur Baluze. Au contraire j'accorde d'ignorer beaucoup de choſes, que je pourrois & devrois ſçavoir; Mais je ſçay

qu'il vous eſt fort connu, comme il eſt notoire, que feu Monſeigneur l'Archeveſque de Paris voſtre pere ne me faiſoit pas entrer en comparaiſon avec le Sieur Baluze, qu'il croyoit, que j'avois eſtudiè les belles Lettres & les Sciences, dont il avoit veu les eſſais publics, au lieu qu'il ſçavoit, que le Sieur Baluze n'en avoit pas meſme les fondemens. J'avoüe bien, ainſi que me reproche le Sieur Baluze, que je ne me ſuis pas toûjours appliquè a l'eſtude, & a cultiver ce que j'avois appris, comme j'euſſe pû faire, ſi je n'en euſſe eſtè empeſchè par les affaires differentes, temporelles & ſpirituelles, dans leſquelles Monſeigneur l'Archeveſque m'a occupè preſque continuellesment, qui ne ſont pourtant pas celles du pecule, duquel le Sieur Baluze parle avec peu de reſpect, comme ſi je m'eſtois employè a la banque, & au commerce; & encore malicieuſement, pour diminuer la pitiè, que je dois faire a ceux qui ſont ſenſibles d'eſtre ſorti de l'Agence generale du Clergè, ſans que j'aye, ny que l'on m'ait donnè dequoy pouvoir m'entretenir avec la decence, que j'ay toûjours veſcu.

Mais ce qui n'eſt pas du ſens commun, & qui deſtruit abſolument tous les ſentimens, que le Sieur Baluze dit avoir, des obligations qu'il a à ſon maiſtre, eſt l'invective publique qu'il fait contre le traitè de l'Euchariſtie composè en langage François, ſans avoir auparavant appris voſtre volontè ſur la ſuppreſſion, que j'en ay faite; & par cette mauvaiſe conduite en faiſant ce qu'il dit, qu'il faudroit èviter, il fait voir, qu'il eſt digne de remplir la place des petites Maiſons, qu'il me veut donner avec tant d'effronterie & ſi peu de reſpect. Il a voulu y prevenir la connoiſſance, qu'on pouvoit donner au public, de l'opinion que feu Monſeigneur l'Archeveſque de Paris ſon Maiſtre avoit de luy, l'ayant toûjours eſtimè, comme vous ſçavez, tres propre pour avoir ce longement-la, & diſant qu'il alloit ordinairement plus viſte de la teſte, que des mains, lors qu'il faiſoit ſon meſtier de Copiſte, l'ayant auſſi toûjour traitè de ridicule, comme faiſoit encore toute la famille, & ceux qui hantoient voſtre maiſon. Il a voulu confirmer l'eſtime, que faiſoit de luy ce grand Prelat, lors que ſous le nom vague d'un homme, qui tient un rang conſiderable dans l'eſtat, il parle avec tant d'eſtravagance & d'inſolence d'une perſonne, a laquelle il doit du reſpect, comme ayant l'honneur d'eſtre proche parent de ſon Maiſtre.

Vous n'avez pas a mon avis beaucoup de peine a croire, Monſieur, que ce qu'il dit de Monſeigneur le Chancelier eſt une nouvelle impoſture; Car cet incomparable Chef de la juſtice m'a toûjours fait la grace de me traitter fort honneſtement. Ce que je n'attribuë pas a mon merite; mais a la memoire, qu'il a de feu Monſeigneur l'Archeveſque, & a voſtre conſideration.

Au

Au reſte, ce pauvre garçon fait pitiè, lors qu'il veut mettre le nez dans les queſtions de Theologie. S'il les entendoit, il ne diroit pas, que les Huguenots feroient imprimer en Hollande & a Geneve le Traitè François de l'Euchariſtie, auquel ils ne trouvent pas leur compte, s'ils veulent ſuivre l'opinion de l'Autheur, & des anciens Peres qu'il y cite. Il y explique le point de l'Euchariſtie controverſè avec eux, d'une maniere ſi plauſible & ſi convaincante, qu'ils devroient donner les mains ſans difficultè a la preſence reèlle du Corps de Jeſus-Chriſt en l'Euchariſtie, que nous croyons. Et s'il a eſtè ſupprimè, les Docteurs qui l'ont leu, luy diront qu'il n'eſt pas expedient, qu'il ſoit publiè en Langue vulgaire; le peuple n'eſtant pas capable d'entendre les extraits, que feu Monſeigneur l'Archeveſque y a fait, de ce que les Autheur en ont ècrit en divres Siecles. De ſorte, Monſieur, que s'il en paroiſt quelque nouvelle Edition, le ſoupçon ne pourra jamais tomber ſur les Huguenots, mais bien pluſtoſt ſur le Sieur Baluze, de la malice duquel on ne doit pas s'attendre moins, qu'en ayant un exemplaire en ſon pouvoir, il ne l'ait procurèe par le miniſtere du meſme Imprimeur, qui a imprimè ſecretement ſes Lettres, & qui en avancera volontiers les frais pour y faire un profit conſiderable.

Encore que feu Monſeigneur voſtre Pere lors qu'il compoſoit ce diſcours de l'Euchariſtie, ou bien ces Collections de ce qu'en avoient dit les anciens Peres, & les Autheurs de moyen temps, n'euſt que 22. ou 23. ans, comme je dis dans la Preface du Livre, & dans ſa vie; il avoit pourtant veu ce que le Cardinal Bellarmin dit de l'Epiſtre ècrite a Cæſarius Moyne, que Pierre Martyr Florentin dit avoir trouvé dans la Bibliotheque de Florence, & l'attribuë a S. Chryſoſtome, & ne laiſſoit pas de la prendre a la rigueur, comme ſi ce S. Pere en euſt eſtè le veritable Autheur. En quoy il ne s'eſtoit pas trompè; car Monſieur Bigot, que les bonnes Lettres, auſſi-bien que la bonne foy, rendent recommandable parmy le Sçavans, l'a trouvèe dans la même Bibliotheque ſous le nom de S. Chryſoſtome. Il voyoit fort bien, qu'encore qu'elle fuſt une veritable production de ſon eſprit, on peut aiſement l'expliquer ſelon le ſens legitime de cet Autheur, & l'ajuſter avec ce qu'il en a dit en d'autres lieux, où il parle du changement du pain par grace; de ſorte que lors que S. Chryſoſtome dit en cette Epiſtre la, que le pain eſt uni au corps, il n'entend pas du tout parler de la ſubſtance du pain, qu'il preſuppoſe avoir eſtè dèja changèe au Corps de Jeſus-Chriſt, mais des accidens, l'union deſquels eſtoit cruë ſans hereſie par luy & ſes Predeceſſeurs, de la facon qu'elle l'eſt aujourd'huy par l'Egliſe. On y peut donner d'autres explications, qui ne ſont pas de ce lieu, & il eſt conſtant que ſi feu Monſeigneur l'Archeveſque avoit jamais reveu ce diſcours,

 com-

comme je ſuis aſſeurè du contraire, il l'auroit miſe en tel eſtat, qu' il n'y avoit reſté aucune difficultè.

Pour faire voir, que le deſſein de feu Monſeigneur l' Archeveſque en écrivant ce Traite eſtoit de faire l'examen des Autheur, qui avoient parlé de l' Euchariſtie, il ne faut que lire la Lettre, qu'il écrivit en 1657. au Pere D. Luc d' Achery, Religieux de la Congregation de S. Maur, & ſcavant Bibliothecaire du Monaſtere de S. Germain des Prez lez Paris, qui l'a fait imprimer a la teſte du ſecond Tome de ſon *Spicilegium*: où feu Monſeigneur l' Archeveſque de Paris, qui n'eſtoit alors qu'Archeveſque de Toulouſe, ſur la queſtion que ce Religieux-la lui avoit faite du ſentiment, qu'il avoit de *Ratramnus*, Moyne de Corbie, qui vivoit a meſme temps que *Paſchaſius* ſon Abbé, duquel *Ratramnus* il avoit quelques manuſcrits preſts a imprimer, deſirant eſtre éclaircy, s' il eſtoit le meſme Autheur que *Bertramus*, qui avoit écrit ſur l' Euchariſtie; il luy répondit aprés de belles obſervations faites ſur ce doute, que *Ratramnus* n' eſt point le meſme que *Bertramus* Preſtre Irlandois, qui avoit eſté conſulté par Charles le Chauve ſur l' Euchariſtie, a cauſe de la reputation de ſa ſcience. Et bien loin de la, il aſſeure, & le confirme par deux raiſons demonſtratives, que le Livre de *Bertramus* eſtoit le meſme que celuy de Jean Scot, lequel fut condamné d' hereſie au Synode de Verceil tenu 1050. & brûlé au Concile Romain ſous Nicolas II. en 1059. Neanmoins feu Monſeigneur voſtre Pere a fait l'extrait du Traité de *Bertramus* dans ces Collections-la, & le faiſoit ſans doute parce que cet Autheur avoit eſté conſulté par Charles le Chauve, & parce que les *Docteurs de Douay* taſchent de l' excuſer, & l'expliquer comme il l' interprete luy-meſme auſſi favorablement, qu' il peut: Mais il ſe garde bien d' eſtre de ſon ſentiment. Il auroit pû faire de meſme l'extrait de ce qu' en dit Calvin, ſans pouvoir en eſtre blaſmé.

Dans cette meſme Lettre écrite au P. D. Luc feu Monſeigneur voſtre Pere fait voir ſa doctrine ſur l' Euchariſtie, auſſi-bien que dans ſon Traité Latin ſur le meſme ſujet, que j'ay fait imprimer, laquelle eſt tres-orthodoxe & Catholique, & neamoins ſemblable a celle du diſcours ſupprimé, dans lequel il fait profeſſion de dire, que la doctrine des Peres a eſté perpetuellement dans tous les Siecles la meſme & tout a fait uniforme ſur l' Euchariſtie, quoy que la façon d' expliquer ce myſtere ait eſté differente. De ſorte que vous admirerez la terreur panique du Sieur Baluze, qui publie imprudemment, & neanmoins avec malice, & peu de reconnoiſſance des obligations, qu' il y a à ſon Maiſtre, qu'il y a la dedans des hereſies, *& qu'on ne ſçauroit empeſcher, que feu Monſeigneur ne paſſe pour Heretique au ſujet de l' Euchariſtie*: Mais il ne faut pas le trouver eſtrange, puis qu' il

qu'il ne peut pas juger de ce qu'il n'entend pas, non plus qu'un ſourd ne peut juger de la muſique.

Vous obſerverez, Monſieur, que ce pauvre garçon, aprés avoir ſi mal fait ouverture des queſtions de Theologie en cette Lettre, il revient à ſon égarement ordinaire. Et comme cet ancien fou, qui s'eſtoit imaginè, que tous les navires, qui abordoient au Port, eſtoient à luy, il ſemble qu'il ait tellement rempli ſon imagination à force de le dire, que ſon Maiſtre luy a commis l'impreſſion de ſes Ouvrages, qu'il ſe le ſoit enfin perſuadè. Mais je veux raiſonner plus favorablement pour luy, & dire que ce qu'il a imprimè dans cette Lettre, n'eſt pas conforme à ce qu'il vous a effectivement ècrit, parce qu'apparemment dans ſes bons intervalles il ſe ſouvient, que vous ſcavez le contraire, ayant par devers vous les originaux, qu'il vous a rendus, & ſçachant la verité de tout ce qui s'eſt paſſè; de de ſorte que ce qu'il ſoûtient maintenant avec tant d'opiniaſtreté, eſt pour tâcher de ſauver ſon honneur, quoy que ce ſoit par un mauvais moyen, à cauſe qu'il s'en eſtoit dèja vanté par ècrit. Voila Monſieur, des malheureuſes ſuites d'un engagement temeraire.

Je ſuis fachè d'eſtre obligè de remarquer pour ma defenſe, que la teſte luy tourne auſſi, quand il dit, que ſi feu Monſeigneur voſtre Pere avoit eu de l'eſtime pour moy, il m'auroit donnè charge de publier ſes ècrits; car cet eſprit dèmontè ne s'aviſe pas de faire reflexion, qu'il ne devoit pas avoir la penſée de me faire cet honneur à voſtre prejudice, s'il euſt eu le deſſein de faire imprimer ſes OEuvres après ſa mort, comme il en avoit eu un tout contraire.

La ſageſſe du Sieur Baluze ne vous aura pas ſans doute paru plus grande, & vous touverez tout à fait ridicule, qu'il parle dans cette Lettre de ſon Maiſtre, comme s'il luy avoit eſtè ègal de meſme façon preſque qu'il l'a exprimè dans quelques lieux de ſa Vie (*) qu'il a publièe, dans leſquels il dit, qu'ils eſtudioient & conferoient eſemble des obſervations, qu'ils avoient faites, qu'il l'aidoit dans ſes eſtudes, & aux compoſitions de ſes Livres comme ſon compagnon, & que feu Monſeigneur l'Archeveſque publioit de vive voix, & par ſes Lettres, les loüanges & merites du Sieur Baluze. Il eſt vray que dans la ſeconde Lettre, qu'il vous ècrit, il ſe met à l'ègard de la doctrine un peu au deſſous de luy, & le prend pour ſon Pedagogue, comme s'il euſt fait meſtier d'enſeigner, & qu'il euſt pris un ſoin particulier d'èlever & te-

(*) P. 63. Ep. ad Sorberium. *Iam ea erat in eo bonitas, ut perſaepe anteverteret quaeſtiones meas, mecumque lubentiſſime communicaret quod ipſe recenter adnotaverat. In libris autem componendis, haud dubie nemine alio ſtudiorum ſocio, & adjutore utebatur, quam me ipſo.* P. 64. *Annon pulchrum & decorum eſt, quod ubique apud amicos, quod ſcriptis etiam literis, hoc quicquid eſt in me ingenii, & bonarum literarum laudibus proſequebatur?*

d' inſtruire ſon Aumoſnier ; au lieu qu'il devoit ſe ſovenir, que feu Monſeigneur l' Archeveſque eſtimoit trop le temps, qu' il employoit continuellement aux affaires publiques, a celles de ſes amis, & a ſes compoſitions, pour le perdre a enſeigner ſon Officier ; qui a la verité, copiant ſes ècrit, pouvoit attrapper quelque choſe, quelquefois dans les diſcours, qu'il faiſoit a ſes amis, & d'autrefois ſur les queſtions, que vous & moy luy propoſions dans les voyages, lors que nous nous y recontrions ; nous pouvions en ces occaſions-là en faire quelque profit, & j'ay bien encore quelques memoires ècrits de ma main, de ce que je luy ay oüi dire de vive voix, dont je n' ay pas, graces a Dieu, perdu les idèes. Mais ces momens eſtoient aſſez rares, & je ne puis pas me vanter, qu'il ait pris aucun ſoin particulier, ny peine de m'enſeigner quelque choſe, (quoy que l'on me diſe, que mon *eſprit* a quelque trempe, qui perſuade qu' il eſt *plus capable des ſciences*, que celuy du Sieur Baluze.) Ce qui obligera un chacun de croire facilement, qu' il en a pris a proportion pour ſon Aumoſnier. C' eſt tout ce qu' il a pû faire a voſtre ègard, Monſieur, vous qui eſtes ſon fils: & je ſçay neanmoins ſeulement, qu'il vous faiſoit rendre compte quelquefois de l'étude, que vous faiſiez aux Loix, ſans pouvoir s'en mettre en plus grande peine, a cauſe de ſes continuelles & importantes occupations ; eſtant d' ailleurs fortement perſuadè que le travail, que vous faiſiez de voſtre propre mouvement, & l' application, que vous aviez a l' étude, eſtoient ſuffiſans pour la ſatisfaction, qu' il ſouhaitoit de vous. En quoy il a reconnu depuis ne s'eſtre pas trompé par les marques glorieuſes, que vous en avez données dans l'exercice de voſtre charge.

Je ſuis marri d'avoir abuſé de voſtre temps, & ſi mal employé le mien, pour vous entretenir ſur le ſujet d' un perſonnage, qui vous eſt d' ailleurs aſſez connu, & qui m'a contraint de mettre la main a la plume. Il me donne du moins une nouvelle occaſion de vous aſſeurer, que je ſuis toûjours avec reſpect,

MONSIEUR mon Couſin,

Voſtre tres-humble & tres-obeiſſant ſerviteur & Couſin

A Paris le 29. Juillet 1668.

L'ABBE' DE FAGET.

IACO-

IACOBI SIRMONDI

DIATRIBA I. SIRMITANA

De anno Synodi Sirmienſis & fidei formulis in ea editis.

Pro Baronio adverſus viri docti Animadverſiones ad Epiphanium.

I. QVo anno aerae Chriſtianae quibuſve Conſulibus congregatum ſit Concilium Sirmienſe, quot praeterea numero & quaenam in eo conditae ſint fidei formulae, non una eſt inter antiquos & aevi noſtri ſcriptores controverſia. Etenim ut de anno prius diſſeramus (a), Socrates & (b) Sozomenus convocatum tradunt poſt Sergii & Nigriniani conſulatum, qui fuit annus Chriſti CCCLI. At Baronius toto ſexennio ab his differt, celebratum docens anno CCCLVII. conſulatu Conſtantii Auguſti nono & Iuliani Caeſaris ſecundo. Socrati & Sozomeno adſtipulatur Dionyſius Petavius in (c) Animadverſionibus ad Epiphanium. Mihi cur potior Baronii ſententia videatur, ratio eſt non obſcura, ejuſmodi certe, cui Socrates & Sozomenus refragari nequeant. Teſtatur enim uterque illorum, Concilio Sirmienſi adfuiſſe inter ceteros Epiſcopos Hoſium Cordubenſem & Georgium Alexandrinum. At certum eſt, ſi Concilium referas ad annum CCCLI. nec Hoſium illi adeſſe nec Georgium potuiſſe. Nam quod ad Hoſium quidem attinet, ſi ejus lapſus, quo ad Arrianae perfidiae ſubſcriptionem impulſus eſt, in Synodo Sirmienſi contigit, ut Socrates & Sozomenus affirmant, ſynodum poſt Hoſii exilium coactam fateri neceſſe eſt. Quorſum enim, ſi praeceſſerat Synodus, in eaque ad Arrianos jam tranſierat Hoſius, Hoſio exilium, inſtigantibus Arrianis, a Conſtantio fuiſſet imperatum? Hoſii vero exilium qui accuratius ratiocinantur, in annum Chriſti CCCLVI. incidiſſe ſtatuunt, argumento epiſtolae Athanaſii ad Solitarios (d), quae catholicorum antiſtitum exilia ordine percenſens, poſt mentionem Paulini Trevirenſis, & Luciferi Sardiniae, Euſebii Vercellenſis, Dionyſii Mediolanenſis, quorum ille a Concilo Arelatenſi anno CCCLIII. reliqui a Mediolanenſi anno CCCLV. ſedibus ſuis ſunt ejecti, & poſt Liberii Papae relegationem, quae aliquanto poſt ſecuta eſt, Hoſium extremo loco adnumerat, eumque narrat a Conſtantio primum in aulam accitum, atque in Hiſpaniam remiſſum, tum inde rurſus poſt datas ultro citroque litteras iterum accerſitum, & pro exilio Sirmii anno integro detentum. Quare ſi Hoſii exilio poſterior ejus lapſus fuit, ut oſtenſum eſt, exilii au-

(a) *Lib.* 2. *c.* 24.
(b) *Lib.* 4. *c.* 5.
(c) *Pag.* 306.
(d) *Pag.* 603.

Digitized by Google

autem initium anno congruit CCCLVI. non poteſt ſynodus Sirmienſis, in qua lapſus dicitur, ad annum referri CCCLI. Quod ipſum pariter ex Georgio Alexandrino, quem Socrates & Sozomenus huic quoque ſynodo interfuiſſe volunt, liquido comprobatur. Georgius namque ſedem Alexandrinam, pulſo Athanaſio, invaſit anno ineunte CCCLVI. poſt conſulatum Arbetionis & Lolliani, ut populi Alexandrini publicae litterae declarant, quae apud Athanaſium exſtant poſt epiſtolam ad (*a*) Solitarios. Quî ergo potuit ille in Sirmienſi Concilio, ſi anno CCCLI. celebratum eſt, inter Epiſcopos ſedere, qui Epiſcopus nondum erat, cathedramque Alexandrinam quinto demum poſt anno adeptus eſt?

II. Sed de anno ſynodi Sirmienſis, in qua Photinus damnatus eſt, cur conjecturas quaerimus, cum de illo nobis, poſt ſancti Hilarii profeſſionem, quam in ejus fragmentis teſtatam videmus, ambigere non liceat (*b*)? *Ad tollendum*, inquit, *ex epiſcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanenſi ſynodo erat haereticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur ſacerdotes*. ET POST ALIA. *Inter haec Sirmium convenitur. Photinus haereticus deprehenſus, & a communione jam pridem unitatis abſciſſus, nec tum quidem per factionem populi potuit amoveri*. Ergo cum Mediolanenſem ſynodum, Arbetione & Lolliano Conſulibus anno CCCLV. celebratam fuiſſe conſtet, ac Sirmienſem biennio poſt convocatam teſtetur Hilarius, cui dubium eſſe queat quin vera & certa ſit Baronii ſententia, qui anno CCCLVII. adſcribendam cenſuit? Anno autem CCCLI. non potuiſſe, ut aliis placet, ſynodum celebrari quis ambiget, ſi meminerit anno illo bellicis adverſus Magnentium (*c*) motibus Pannoniam arſiſſe univerſam, & Sirmium (*d*) ipſum, quod Idacii Faſti docent, non in Conſtantii, ſed in Vetranionis tyranni poteſtate uſque ad anni exitum fuiſſe? De hoc igitur priori capite, hoc eſt, de ſynodi noſtrae anno, jam ſatis. Nunc alterum de formulis in ea conditis expendamus.

III. Socrates (*e*) enim tres in hac ſynodo editas commemorat, primam contra Photinum, quam a Marco Arethuſio dictatam refert, alteram Latine ſcriptam, quae Hoſii blaſphemia dicitur ab Hilario, tertiam quae Conſules habuit, & a Socrate (*f*) poſtea recitatur, cum agit de Concilio Ariminenſi. Ceterum duplex in his verbis, ut Nicolaus Faber in praefatione ſua obſervat, Socratis fuit hallucinatio. Vna, quod primae formulae auctorem Marcum facit, cum tertiae auctorem non primae dicere debuerit. Altera, quod hanc tertiam in ſynodo Sirmienſi editam putat, cum ex Hypatii & Euſebii conſulatu, quem adſcriptum habuit ad annum CCCLX. pertinere liqueat, & Sirmii quidem, non tamen in ſynodo, ſed in fortuito paucorum Epiſco-

(a) *pag.* 856.
(b) *pag.* 29.
(c) *Socrates lib.* 2. *c.* 22.
(d) *Sozomen. lib.* 4. *c.* 1. *&* 3.
(e) *Lib.* 2. *c.* 25.
(f) *Ibid. c.* 32.

Digitized by Google

ſcoporum congreſſu, praeſente Conſtantio, compoſitam fuiſſe doceat epiſtola Germinii, quae legitur in fragmentis Hilarianis (a). Secluſa porro rejectaque a ſynodo Sirmienſi hac tertia formula, reliquae ſunt duae priores, quas in ea ſynodo ſcriptas agnoſcunt Hilarius in libro de ſynodis, & Athanaſius de ſynodo Seleuciae & Arimini: quarum alteram, quae adverſus Photinum promulgata eſt, ut orthodoxam vel ab orthodoxis non abhorrentem interpretatur & commendat Hilarius; alteram, quam Hoſii blaſphemiam nominat, ut impiam & Arrianam, tum a Gallis merito repudiatam oſtendit, tum ab Orientalibus poſtmodum in ſynodo Ancyrana duodecim oppoſitis capitibus accurate confutatam. Qua in re mirum, nec injuria, videri poterat tam diſcrepantes fidei regulas ab una & eadem ſynodo prodiiſſe, niſi exploratum eſſet, non ab iiſdem, ſed a diverſis diverſaeque ſententiae Epiſcopis conditas fuiſſe. Quod enim jam ante acciderat in ſynodo Sardicenſi, ut diviſi inter ſe Orientales atque Occidentales Epiſcopi ſuas utrique ſynodicas prorſus diſſimiles conſcriberent, hi pro Marcello & Athanaſio, illi contra Marcellum & Athanaſium, id ipſum contigiſſe liquet in Sirmienſi: ad quam quum diverſi, ut Socrates & Sozomenus tradunt, Orientis & Occidentis Epiſcopi conveniſſent, utriſque poſt damnatum communi calculo Photinum ſuas ſeorſim fidei formulas edere placuit; quas pro germanis ſynodi placitis in varias oras tranſmiſerunt. Orientales Graecam, qua Photini dogmata confutantur, Occidentales Latinam edidere, quae Hoſii blaſphemia nuncupata eſt: in qua rejecto homouſio ſimul atque homoeouſio, τὸ ἀνόμοιον, diſſimile, hoc eſt, liquidus meruſque Arrianiſmus ſanciebatur.

IV. Verum reclamat (b) hoc loco vehementerque obſiſtit Petavius, & contendit in ſynodo Sirmienſi unicam duntaxat, id eſt, primam illam contra Photinum conditam formulam fuiſſe, Hoſianam vero alteram Sirmii quidem & anno CCCLVII. non tamen in ſynodo, quam in eum annum cadere poſſe negat, ſed a paucis Epiſcopis, qui apud Conſtantium tunc forte convenerant, compoſitam arbitratur, & ſententiam ſuam conjecturis adſtruere conatur. Sed conjecturis quis locus eſſe poſſit contra certam & apertam Phoebadii Epiſcopi auctoritatem, qui adverſus ipſam Hoſii formulam ſcribens ex inſtituto, eam in ſynodo natam ſub libri ſui finem diſerte ſignificat. *Non ſum neſcius*, inquit (c), *antiquiſſimi ſacerdotis & promptae ſemper fidei Hoſii nomen quaſi quendam in nos arietem temperari. Sed non poteſt ejus auctoritate praeſcribi, qui aut nunc errat, aut ſemper erravit. Nam ſi nonaginta fere annis male credidit, poſt nonaginta illum recte ſentire non credam. Aut ſi nunc recte, quid de his opinandum eſt, qui ab eodem ſignati fide, in qua tunc ipſe erat, de ſaeculo tranſierunt?*

(a) *pag.* 44.
(b) *pag.* 310.
(c) *Lib. contra Arrianos*.

Quid & de ipſo pronuntiaretur, ſi ante hanc SYNODVM *dormiſſet?* Si haec longo poſt tempore ſcripta eſſent a Phoebadio, tamen ſpernenda tanti viri auctoritas non eſſet. Nunc vero cum ea ſcribat, quae oculis ipſe cernebat, & miſſam ad Gallos Hoſii perfidiam ex ſynodo miſſam profiteatur, de ea re quaenam poteſt juſta eſſe dubitatio?

V. Reſtat ergo, ut Petavii conjecturas diſcutiamus, & has teſtatae veritati officere non poſſe oſtendamus (a). Sirmienſem ait formulam a ſynodo Ancyrana laudari, Hoſianam contra blaſphemiam, ut quae Arrianae τῦ ἀνομοίου haereſi conſentiret, rejici penitus & explodi, proinde conſentaneum non videri, ut a ſynodo Sirmienſi utraque prodierit. Haec prima illius argumentatio; cui nos aliud agentes iam ſupra occurrimus, quum formularum iſtarum unam ab Orientalibus, alteram ab Occidentalibus in ſynodo Sirmienſi conditam fuiſſe docuimus. Itaque abſurdum non eſt, in ſynodo Ancyrana, cui Baſilius Epiſcopus praeerat, idem qui praecipuas in Sirmienſi contra Photinum partes egerat, ut patet ex (b) Epiphanio, approbari ab Epiſcopis Orientalibus Sirmienſem formulam priorem, quam ipſimet condiderant, reſpui autem damnarique Hoſianam ab Occidentalibus Arrianis conditam, a quibus in Anomoei quaeſtione diffidebant. Atque hunc in modum ſatis opinor factum eſt primae Petavii obiectioni (c). Proxima, qua ex ſynodica Ancyrani Concilii demonſtrare nititur longo poſt Sirmienſem ſynodum intervallo Hoſianam formulam extitiſſe, nullius item eſt momenti. Neque enim ſcribunt in illa (d) ſynodica Baſilius Ancyranus & ceteri Epiſcopi, ſe poſt ſynodum Sirmienſem diuturnam quietem egiſſe, ut videri vult Petavius, ſed diuturnam optaſſe. Quod vero addit de Georgii Laodiceni litteris, quas recitat (e) Sozomenus, ex quibus confici putat, inter ſynodos Sirmienſem & Ancyranam longius temporis ſpatium interceſſiſſe, nullas etiam vires habet, aut contra Petavium ipſum habet, qui Hoſii lapſum, de quo uno Georgii litterae loquuntur, anno CCCLVII. contigiſſe non inficiatur. Re vera autem, quum ſynodum Ancyranam ſub Paſchales ſequentis anni ferias celebratam ſit in confeſſo, nihil eſt incommodi, ut anni ſpatio, quod inter ſynodum utramque interceptum eſt, ea omnia geſta ſint, quae in Laodiceni litteris commemorantur.

VI. Nec virium plus habet (f) tertia Petavii ratiocinatio, quam duxit ab Hilario, ut Hoſii formulam in ſynodo editam non fuiſſe concludat. Hilarius, inquit, in libro de ſynodis poſt Hoſianae blaſphemiae diſcuſſionem ſubiicit deinceps Gallorum rogatu Orientalium fides omnes, diverſis & locis & temporibus conſcriptas, in quibus & priorem ſynodi Sirmienſis formulam recenſet. Alio ergo extra ſynodum

(a) *pag.* 311.
(b) *Haer.* 71.
(c) *pag.* 312.
(d) *Epiph. haer.* 73.
(e) *Lib.* 4 *c.* 12.
(f) *pag.* 313.

Digitized by Google

dum tempore Hoſianam exſtitiſſe cenſuit. At quis non videt in his verbis Hilarii, non Hoſianam cum formulis Orientalibus, ad quas nihil attinebat, ſed ipſas inter ſe Orientales ſolas comparari, quas diverſis locis & temporibus conditas in unum conferebat & digerebat Hilarius?

VII. Reliqua eſt ergo poſtrema (a) auctoris iudicio validiſſima ratio ex Sulpitii Severi verbis petita, qui libro II. ſacrae hiſtoriae ſynodum Sirmienſem antiquiorem facere videtur Arelatenſi & Mediolanenſi: quarum altera quum anno CCCLIII. habita ſit, altera CCCLV. neceſſe eſt Sirmienſem dicamus poſt illas anno CCCLVII. collocari non poſſe. Graviſque omnino & exceptione maior Severi auctoritas foret, ſi haec ab illo ſic afferta eſſe conſtaret. Sed Severo tribui non debent quae Severi re vera non ſunt. Quis enim, ſi mentem propius adiiciat, non ſtatim animadvertit, Sirmienſis ſynodi aut rerum in ea geſtarum nullam apud Severum extare mentionem, ac titulum iſtum, qui in editione Sigoniana legitur, CONCILIUM SIRMIENSE ARRIANUM, quum in ſuperioribus non exſtet, adſcititium atque adulterinum videri? maxime quum ea quae titulo mox ſubiiciuntur de Athanaſio & Marcello ad Sirmienſe Concilium nullatenus pertineant, ſed ad Sardicenſem, de quo ſuperius diximus, Arrianorum conventum; in quo ea, quae pro Athanaſio & Marcello apud Sardicam recte ab orthodoxis iudicata fuerant, contrariis decretis infringere & abolere conati ſunt. Quare ſi quis titulus hîc figi debuit, CONCILIUM SARDICENSE ARRIANUM potius, quam Sirmienſe dici oportuit.

VIII. Ita confutatis reiectiſque omnibus, quae contra obtendebantur, manet integra Baronii ſententia, Concilium Sirmienſe biennio poſt Mediolanenſe, Hilario teſte, celebratum in annum Chriſti CCCLVII. incidiſſe, Hoſii vero Sirmienſem blaſphemiam, quam refellens Phoebadius in ſynodo editam ſignificat, non in fortuito quopiam alio Epiſcoporum congreſſu; ſed in eodem ipſo Sirmienſi Concilio conflatam eſſe.

DIONYSII PETAVII

De Photino haeretico eiuſque damnatione.

DISSERTATIO

AD LECTOREM.

SCRIPSI *de Photino haeretico, deque Sirmienſi contra eum facta ſynodo, tum de variis fidei formulis per illud tempus editis non*

A a 2 *pauca*

(a) *pag.* 314.

Digitized by Google

pauca, neque vulgo cognita, in Epiphanianis Animadverſionibus: quae quum eiuſmodi eſſent, ut propter ſubtilitatem & obſcuritatem nonniſi longa explicari diſputatione poſſent, ab Rationarii hiſtorici, quod tertio iam edimus, anguſtiis excludenda putaveram. Nam nulla, quod fateri neceſſe eſt, eccleſiaſticae pars hiſtoriae vel impeditior eſt vel ignota magis, non hac aetate ſolum, ſed duodecim abhinc ferme ſaeculis; idque non falſo a me dici ſcient qui illa legere ac perſcrutari voluerit. Sed quum ex eo tempore, quo Epiphanius noſter in lucem exiit, quoſdam eſſe compererim, qui ſe noſtra illa non probare dicerent, coepi omnem hanc hiſtoriam, & quae de ea commentatus illic eram, attentius relegere. Quod quum ſaepe & accurate feciſſem, duo ſum aſſecutus; alterum, ut illa mihi, quae tum ſcripſeram, non minus quam ante placerent; alterum, ut in iis recolendis nova etiam occurrerent alia, quae haud paullo abſtruſiora prioribus eſſent & digniora ſcitu & nullius hactenus vel leviſſima ſuſpicione perſtricta. Haec mihi iuſtiſſima viſa ratio eſt, cur quaeſtionem illam tam eleganti auctam acceſſione mandarem huic opuſculo, & univerſam damnati Photini hiſtoriam ac Sirmienſes fidei formulas exponerem, quod hoc & altero capite quam potero breviſſime complectar.

DE PHOTINO HAERETICO

Eiſque damnatione.

Photini hiſtoria, & ſynodorum contra eum celebratarum tam a catholicis quam ab haereticis. Oſtenditur duas fuiſſe Sirmienſes: quarum prior hactenus ignota in lucem extrahitur.

CAPVT I.

PHOTINVS Sirmii, quod Pannoniae oppidum eſt, Epiſcopus (*a*), Marcelli Ancyrae Epiſcopi in adoleſcentia diſcipulus; & (*b*) ſub eo Diaconus aliquandiu vixit. Is de Chriſto prave ſentiens (*c*), Pauli Samoſateni inſtauravit haereſim, ob eamque ſaepe damnatus eſt tam ab catholicis quam ab ipſis Arianis.

(*d*) Severus Sulpicius (*e*) auctor eſt, ipſum una cum Marcello praeceptore ſuo ſynodi iudicio condemnatum eſſe etiam ante Sardicenſem. Ac videtur ea ſynodus Conſtantinopolitana fuiſſe, quae poſt famoſum illud Tyri conciliabulum anno Chriſti CCCXXXVI. imperante adhuc Con-

(a) *Sever. lib. 2. Hiſt.*
(b) *Hilar. fragm.*
(c) *Epiph. Haer. 71.*

(d) *Lib. 2.*
(e) Primo damnatus in ſynodo Conſtantinopolitana ab haereticis.

Digitized by Google

Conſtantino, peracta eſt, de qua Socrates lib. I. cap. XXXVI. & Tripart. lib. III. cap. IX. Nam Marcellus in illa depoſitus, quamquam de Photino nulla apud Socratem fit mentio. Porro, quum Athanaſius poſt id tempus cum ambobus iſtis communicaſſet, ab iiſdem Arianis abſens condemnatus eſt, ut ait Severus, quod ad ſynodum Antiochenam pertinet (*a*), in qua depoſitus eſt Athanaſius.

(*b*) Poſt Sardicenſe Concilium anno CCCXLVII. celebratum eſt, in quo Athanaſius, & Marcellus priſtinum in locum reſtituti ſunt; ut ex ſynodica conſtat (*c*), quae apud Theodoretum legitur (*d*). Epiphanius refert, in eadem ſynodo Photinum damnatum & gradu eſſe deiectum; cuius in ſynodica nulla extat mentio.

(*e*) Exinde Mediolani catholicorum celebrata ſynodus eſt, biennio antequam Valens & Vrſacius in Eccleſiam recipi ſe poſtulantes, Iulio & Athanaſio ſupplices libellos obtuliſſent. *Igitur ad tollendum* (ait (*f*) Hilarius) *ex epiſcopatu Photinum, qui ante biennium iam in Mediolanenſi ſynodo erat haereticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur ſacerdotes, hoc magis ſoliciti atque anxii, turbari rurſum miſcerique omnia, quod iampridem plures Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio iudiciorum, vel communionis haereſis Arianae, ab Eccleſia fuerat neceſſe reſecare. Quam opportunitatem nacti Vrſacius & Valens, Romanae plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur &c.* Huic ſynodo Romani Pontificis interfuere Legati, in eaque haereſis Ariana proſcripta eſt, & Vrſacius ac Valens a communione ſuſpenſi, rogata venia in gratiam recepti ſunt. Quatuor alii Epiſcopi Arianae ſectae, quum Arii perfidiam damnare noluiſſent, irati exierunt. Cuius rei fidem faciunt imprimis epiſtolae duae, (*g*) altera Concilii Ariminenſis ad Conſtantium, altera Liberii Papae, quam per Luciferum Epiſcopum ad eundem Conſtantium Imperatorem miſit, quum ab eo ſolicitaretur, uti Athanaſii depoſitioni ſubſcriberet paullo antequam iret in exilium. Hanc epiſtolam primo loco commemorabo; in qua Liberius Conſtantium hortantem, ut cum Arianis Epiſcopis conſentiret, ita compellat. *Quae eſt pax, clementiſſime Imperator, quum ſint ex partibus ipſis quatuor Epiſcopi Demofilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, quum apud Mediolanum Arii ſententiam haereticam noluiſſent damnare, de Concilio iratis animis exierunt?* In (*h*) altera ſynodi Ariminenſis epiſtola catholici Epiſcopi de Vrſacio & Valente ſic apud eundem Con-

(a) *Socrat. lib. 2. c. 10.*
(b) Secundo in Sardicenſi a catholicis.
(c) *Lib. 2. c. 8. Tripar. 1. cap. 24.*
(d) *Haer. 71. N. 1.*
(e) Tertio in Mediolanenſi a catholicis.
(f) *Hilar. in frag.*
(g) *Extat in calce operum Luciferi, & in frag. Hilar.*
(h) *Extat apud Athan. lib. de Syn. p. 676. Socra. lib. 2. Theodore. 2. c. 19. Tripar. 5. cap. 21.*

Conſtantium queruntur; ut e Greco vertit Epiphanius. Scholaſticus in Tripartita. *Quapropter Vrſacius & Valens, quoniam participes & concordes Ariani dogmatis erant, a noſtra ſunt communione ſegregati. Quam ut reciperent, cognoſcentes delicta quibus peccaverant, poenitentiam atque veniam impetrare poſcebant; & reſcripta coram haec ita ſe habere teſtantur, per quae criminum veniam conſecuti ſunt. Erat enim tempus, quo haec geſta noſcuntur, quando Mediolani ſynonodus celebrata eſt praeſentibus Romanae Eccleſiae Presbyteris. Cognoſcentes vero ſimul etiam poſt mortem dignum memoria Conſtantium cum omni integritate & examinatione conſcriptam expoſuiſſe fidem: qui quum ab hac luce baptiſmate percepto diſceſſerit, & ad praemia debitae pacis abierit, incongruum eſſe iudicamus poſt illum aliquid novitatis admittere.* Hanc epiſtolam Latinae conceptam retulit Hilarius in fragmentis, ſed conciſam, & omiſſis plurimis, quae in Graeco ſunt, mutilam. Ita enim verba illa, quae deſcripſimus, illic leguntur. *Ideo Vrſacius & Valens in ſuſpicionem eiuſdem haereſeos Arianae venerunt aliquando; & ſuſpenſi erant a communione, & rogaverunt veniam; ſicut eorum continent ſcripta: quam meruerunt tunc temporis a Concilio Mediolanenſi, & aſſiſtentibus etiam Legatis Romanae Eccleſiae, Coſtantino praeſente. In hoc quum magno examine fuiſſet conſcriptum quod tenens baptizatus ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde aliquid mutare* (a). Ex his colliguntur quatuor, quae ad Mediolanenſem iſtam ſynodum illuſtrandam pertinent. Primum, in ea damnatos Arianos, ac proinde celebratam eſſe ab Epiſcopis catholicis. Deinde Romanae Eccleſiae Presbyteros vel, ut habet Hilarius, Legatos interfuiſſe. Quod autem Conſtantino praeſente facta eſſe apud eundem Hilarium legitur, id in Graeco non extat: neque de Conſtantino M. verum eſt, uti neque de eius filio iuniore Conſtantino, ut ex illius ſynodi tempore paullo poſt evidens fiet. De Conſtante itaque loquuntur; cuius iuſſu, utpote catholici Principis, coacta videtur illa ſynodus. Quod ſi verum eſt, tum ſane reliqua, quibus eius mortis & baptiſmi meminerunt, ad Conſtantem, non ad Conſtantinum, pertinebunt. Sed ea res alterius eſt diſputationis ac loci. Tertio indidem conſtat, Vrſacium & Valentem in mediolanenſi Concilio Arianae poſtulatos haereſis veniam exoraſſe, & in integrum reſtitutos eſſe. Quarto annus quoque, quo illa ſynodus eſt congregata, ex Liberii epiſtola conficitur. Nam dicit ante octo annos, quam ad Conſtantium illam epiſtolam ſcriberet, Mediolani eam habitam fuiſſe. Porro ſcripſit ad Conſtantium Liberius antequam in exilium mitteretur, adeoque anno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo quinto. Quare octavus annus ante hunc erit annus Chriſti CCCXLVII. ut Sardicenſem ſynodum brevi intervallo Mediolanenſis

(a) Illuſtratur Mediolanenſis ſynodus.

ſis confecta ſit , eodemque anno celebrata . Biennio poſt , quum Athanaſius Conſtantis & Conſtantii auctoritate ac decreto ab exilio revocatus eſſet , Alexandriamque profectus , & catholica res meliore iam loco eſſe coepiſſet, Valens & Vrſacius , qui in ditione Conſtantis erant , & ad potentiorum nutum voluntatem ac religionem ſuam fingere iamdudum inſtituerant , ut antea cum Eccleſia catholica , ita cum Athanaſio redire in gratiam e re ſua eſſe ſtatuerunt . Itaque libellum obtulere primum Iulio Papae : in quo & illa omnia conficta eſſe faſſi ſunt, quae contra Athanaſium obiecta fuerant , & Arrianam perfidiam anathemate damnarunt: *Sicut per priorem libellum* (inquiunt) *noſtrum , quem apud Mediolanum porreximus , & nunc & ſemper anathematizaſſe hac manu noſtra , qua ſcripſimus , profitemur.* Haec in Latino eorum libello apud Hilarium ; cui iſta ſubiicit: *Haec epiſtola poſt biennium miſſa eſt , quam haereſis Photini a Romanis damnata eſt*, nempe in Mediolanenſi ſynodo , ut ex iis patet , quae paullo antea ſcripſit Hilarius ; biennio ante Mediolanenſem ſynodum, cui Romani interfuere Legati, peractam eſſe, quam Valens & Vrſacius cum Athanaſio dato libello reconciliati ſunt.

(*a*) Ceterum Vrſacii & Valentis iſta reconciliatio perperam in Annalibus confertur in annum CCCL. poſt mortem Conſtantis , qui XV. Cal. Febr. interemptus eſt. Etenim certiſſimum eſt, ſuperſtite Conſtante ambos illos reſipuiſſe ac libellos dediſſe, quod Athanaſius ipſe dubium eſſe non patitur (*b*) in epiſtola ad ſolitarios , ubi iſtos ait poſt Conſtantis obitum ab Arianis adductos eſſe , ut ad vomitum redirent & ab Athanaſii pariter atque Eccleſiae catholicae communione deſciſcerent, cauſſantes metu ſe Conſtantis & ingratiis ad ſimulandam hanc poenitentiam eſſe compulſos. Hoc vero falſo illos allegaſſe dicit Athanaſius , quod neque tum ullus Palatinus aut Notarius ad eos miſſus ſit, qui illos cogeret , quemadmodum ipſi deinceps inſtituerunt facere , ſed nec Imperator quidem adeſſet , verum ſponte ipſi Romam advolaſſent, & in medio Eccleſiae coetu poenitentiae libellos palam protuliſſent . Haec Athanaſius . Ex quibus perſpicuum eſt, Conſtante adhuc vivo, Valentem & Vrſacium Iulio pariter & Athanaſio ſupplicaſſe, quod anno CCCXLIX. contigit , biennio poſt Mediolanenſem ſynodum, quae ante annos octo, quam Liberius ad Conſtantium epiſtolam daret, indicta ponitur ab eodem Liberio Quocirca tertia Photini damnatio in Mediolanenſi catholicorum ſynodo facta eſt , ut ex his omnibus conſtat .

(*c*) Quarto damnatus idem eſt in Sirmienſi ſynodo , non illa celebri cui Ariani praefuerunt, Imperatore Conſtantio , ac Baſilio Ancyrano

(a) Vrſacii & Valentis reconciliatio ſuo tempori reſtituta .

(b) *Pag.* 640.

(c) Quarto damnatus eſt Photinus in Sirmienſi Concilio a catholicis.

rano praecipuas partes illius ſuſtinente, ſed in altera, cuius ex annalium hiſtoriarumque monimentis hodie memoria omnis excidit, quam nos ex Hilarii fragmentis, velut e parietinis ac ruderibus, ſepultam ac pene obliteratam eruimus. Synodum ergo Sirmienſem a catholicis & Occidentalibus in cauſſa Photini celebratam eſſe dico priorem illa, quae in eadem urbe ab Arianis & Orientalibus eſt habita. Quod ex verbis Hilarii colligitur, quae huius capitis initio poſuimus. Refert enim Hilarius, ad tollendum ex epiſcopatu Photinum congregatos eſſe Epiſcopos poſt biennium, quam in Mediolanenſi ſynodo damnatus fuerat, ac per eam occaſionem Valentem & Vrſacium, qui in Mediolanenſi ſynodo cum catholica Eccleſia in concordiam redierant, cum Athanaſio reconciliatos eſſe. Quod ſuperſtite Conſtante factum eſſe & anno Chriſti CCCXLIX. paullo antea demonſtravimus. His iſta ſubiicit Hilarius. *Verum inter haec Sirmium convenitur. Photinus haereticus comprehenſus, olim reus pronunciatus, & a communione iampridem unitatis abſciſſus, ne tunc quidem per factionem populi potuit (a) admoveri.* Hinc de loco ſynodi illius conſtat, nempe Sirmii eam habitam fuiſſe, neque Photinum de ſede pelli potuiſſe, quod populus, ſeditione facta, Epiſcoporum conatui reſtitiſſet.

(*b*) Nam quod Sirmienſis iſta ſynodus diverſa ſit ab ea, quae poſtea contra Photinum eundem celebrata eſt ab Arianis, quaeque vel unum fidei decretum, vel etiam duo condidit, de quibus mox agetur pluribus, his argumentis oſtenditur. Primum ex tempore, quod ab Hilario ſignificatur, & a nobis illuſtratum eſt hactenus. Biennio quippe poſt Mediolanenſem ſynodum, & ſex annis antequam Liberius relegaretur, adeoque anno CCCXLIX, Sirmii congregata eſt illa ſynodus. At vero famoſum illud Concilium, cui Baſilius Ancyranus interfuit, ut minimum biennio poſt, Chriſti CCCLI. celebratum eſt, ut autem aliis placet nono poſt anno, Chriſti CCCLVII. de qua re poſtea. Deinde, quia Photinus in priore illa propter populi factionem amoveri non potuit, in poſteriore vero ab Arianis & Conſtantio habita omnino deiectus eſt, ut Sozomenus refert libro IV. in fine capitis ſexti. Tertio, quod Concilium Sirmienſe, de quo Hilarius ſcribit, occidentales ſoli celebrarunt, decretumque ſuum ad orientales miſerunt Epiſcopos, ut idem teſtis eſt Hilarius, qui *decretum de Photino ab occidentalibus* factum *ad orientales relatum* aſſerit, orientales vero *mente callidos, ingenio ſubtiles, malitia pertinaces occaſionem revolvendi eius, quod Athanaſii abſolutione eſt diſſolutum, quaeſiſſe iudicii, & reſcribentes de Photino Marcelli mentionem, velut inſtitutionum talium magiſtri, addidiſſe; ut mortuam de Athanaſio ipſo iam tempore quaeſtionem & veritatis iudicio conſepultam in publicam recordationem cauſſae novitas excitaret, & ſubrepens per Photini damnationem Marcelli*

(a) cor. *amoveri*.

(b) Probatur Sirmienſis prior ſynodus.

celli nomen inveheret. Haec Hilarius: quorum ex antecedentibus, atque ex hiſtoria Severi, haec ſententia eſt, Marcellus Photini magiſter quum ab Arianis una cum Photino depoſitus eſſet, ut ſupra demonſtravi, in Sardicenſi Concilio in integrum reſtitutus erat. Verùm quum priſtinum errorem poſtea reſumſiſſet, *Athanaſius hunc a communione ſuſpendit; habuitque ille hanc verecundiam, ut tanti viri iudicio notatus, ſponte concederet*, ut Severus narrat. Quod Athanaſii iudicium Photini damnatione ac Sirmienſi ſynodo anterius fuiſſe teſtatur Hilarius, atque *his, quae in Photinum gerenda erant, auctoritatem praebuiſſe*. Itaque orientales, decreto illo contra Photinum ab occidentalibus miſſo, reſcripſerunt, non ſolum Photini damnationem approbantes, ſed Marcelli inſuper addentes; ut hoc modo Sardicenſis acta Concilii labefactarent, & quae ibi de Marcello & Athanaſio conſtituta erant irrita facerent. Quippe ambo, uti diximus, a Sardicenſi ſynodo ſedibus ſuis reſtituti ſunt. Huius autem convelli auctoritas infringique videbatur, damnato Marcello, quem illa ſublevarat, & ad Athanaſii damnationem, quem perinde complexa ſynodus erat, aditus praeſtrui. Haec ab Hilario ad eum modum geſta narrantur. Vnde illud apparet, Sirmienſem hanc ſynodum occidentalium fuiſſe, & quidem catholicorum; primum quia Valens & Vrſacius huius occaſione ſynodi cum catholicis & Athanaſio penitus concordiam inierunt; ut ex Hilario ſupra docuimus. Deinde quod idem Hilarius, paucis interiectis, occidentales iſtos, qui Sirmii convenerant, ea re commendat, quod decretum ſuum ad Orientales miſerint bono more inſtitutoque, non ut eos ad aſſentiendum cogerent, *ut nunc*, inquit *agitur*, ſed ut certiores illos facerent. *De Photino autem, ſicuti mos poſcebat, ad orientales epiſtolae fiunt, non iniuria extorquendi, ut nunc agitur, adſenſum, ſed inſtruendae univerſorum ſcientiae conſuetudine*. Quamobrem occidentalium iſte conſeſſus Sirmii factus non poteſt idem eſſe cum altero, in quo Baſilius cum Photino commiſſus eſt, cui ſoli orientales propemodum interfuere. Ac videtur Conſtans Imperator, catholicae fidei ſtudioſiſſimus Princeps, eius promovendae & in Occidente ſanciendae gratia primum Mediolani Epiſcopos congregaſſe, ut de Arianis, ac praeſertim Valente & Vrſacio, cognoſcerent, & quae nuper in Sardicenſi Concilio decreta erant denuo firmarent, deinde Sirmii, ut Photinum e gradu deiicerent, quod ne fieret populus interceſſit. Conſtans vero, antequam vim adhibere poſſet, e vita ſublatus eſt. Itaque nova deinde ſynodo opus fuit ad deponendum Photinum.

Quinta igitur & poſtrema Photini (a) damnatio in eadem urbe Sirmio biennio poſt priorem facta eſt anno CCCLI. quo depoſitus eſt iterum Photinus & epiſcopatu pulſus, (quod obtineri hactenus non potuerat)

(a) Quinta Photini damnatio in Concilio Sirmienſi ab haereticis habito.

Digitized by Google

rat) atque etiam collatione cum Baſilio Ancyrano habita convinctus ac proſtratus eſt. Cuius ſynodi ratio quia perplexa eſt & multis obſtructa difficultatibus, nec levis de actis illius controverſia, ſeponemus ei explicandae caput alterum, in quo quae ad illam pertinent brevi complectemur.

De tribus fidei formulis Sirmii editis, e quibus ſola prima in Concilio adverſus Photinum illic peracto facta eſſe monſtratur.

CAPUT II.

QVVM iam quarto epiſcopalibus ſententiis notatus ac depoſitus Photinus, invitis omnibus, ſedem ſuam retineret, demum adverſus eundem Sirmienſis altera ſynodus eſt collecta; in qua Conſtantii Imperatoris auctoritate rurſus ille damnatus epiſcopatu cedere cogitur. Synodum hanc celebravere orientales potiſſimum epiſcopi. Nam Hilarius libro de ſynodis formulam fidei cum anathematiſmis illic editam ſic inſcribit: *Exemplum fidei Sirmio ab orientalibus contra Photinum conſcriptae*: ac proxime ante, tunc eam eſſe propoſitam refert *quum Photinus epiſcopatu deiectus eſt*. Vnde, quod ſuperiori capite diximus, conſtat alteram hanc Sirmienſem eſſe ſynodum ab ea, quam occidentales biennio ante in eadem urbe fecerunt.

Duo ſunt hac de ſynodo quaeſtionis capita, alterum de anno, quo peracta eſt, alterum de fidei formulis, quae in ea publicatae feruntur. Quod primum attinet, Socrates libro II. cap. XIX. Graece edit. & Sozomenus lib. IV. cap. VI. teſtantur, eum annum fuiſſe poſt conſulatum Sergii & Nigriniani, quo nulli conſulatum geſſerunt ob bellicos tumultus. Hic eſt annus Chriſti CCCLI. At Baronius in annum num CCCLVII. illam coniicit. De fidei formulis non minor eſt controverſia. Nam tres omnino extant eius urbis inſcriptae nomine, quae in eadem Sirmienſi contra Photinum collecta ſynodo propoſitae narrantur a (*a*) Socrate, (*b*) Sozomeno, ac (*c*) Nicephoro.

Primae auctor fuiſſe perhibetur Marcus Arethuſius(*d*), ut ſcribit Socrates, Graeceque concepta eſt cum anathematiſmis XXV. Ea Graece apud Athanaſium legitur (*e*) in libro de ſynodis, & (*f*) Socratem loco iam citato. Latine autem apud Hilarium libro de Synodis, & in Tripartita libro IV. cap. VII. In ea damnantur anathemate qui dicunt, filium *de non extantibus aut ex altera hypoſtaſi eſſe, vel fuiſſe tempus aut ſeculum quando non erat*. Nulla porro in illa mentio fit οὐσίας, niſi quod damnantur qui dicunt πλατυσμὸν τῆς οὐσίας, *collationem ſubſtantiae* eſſe

(a) *Lib.* 2. *c.* 30.
(b) *Lib.* 4. *c.* 6.
(c) *Lib.* 9. *c.* 38.
(d) Prima formula Sirmienſis.
(e) *Pag.* 693.
(f) *Lib.* 2. *c.* 30.

Digitized by Google

eſſe filium (a). Huius fidei formulae, ac Sirmienſis ſynodi, & Photini depoſitionis, quod ſubit mirari, nullam mentionem facit in eius haereſi (b) S. Epiphanius; ſed ſolius Sardicenſis Occidentalium ſynodi meminit, in qua damnatus eſt, ſecundum quam Conſtantium adiiſſe, ac ſe iniuſte depoſitum querentem, iudices impetraſſe, ac miſſos eſſe Thalaſſium, Datianum, Cerealem, Taurum, Marcellinum, Evanthium, Olympium, Leontium, quos ex ordine ſenatorio fuiſſe Socrates indicat. Coram his & Epiſcopis pluribus deſcendiſſe illum in certamen cum Baſilio Ancyrano prodit Epiphanius, ac Socrates, & Sozomenus. Qui ambo ſignificant, finita iam ſynodo Sirmienſi, & poſt depoſitum in eadem Photinum, diſputationem illam eſſe factam, qua convictus Photinus & exauctoratus eſt. Verum apud eundem Epiphanium (c) in Semiarianorum haereſi Baſilius aliique Epiſcopi in ſynodica Ancyrani conciliabuli meminerunt Sirmienſis ſynodi eiuſque actorum adverſus Photinum.

Secunda (d) fidei formula apud Sirmium edita eſt Latino ſermone; ut teſtantur Athanaſius, Socrates, Hilarius, qui eam deſcribunt, Sozomenus, aliique. Huius inſcriptio eſt apud Hilarium eiuſmodi: *Exemplum blaſphemiae apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptae*. In ea prohibitum eſt fieri mentionem nominum ὀσίας, ὁμουσίου, & ὁμοιουσίου, quia nuſquam in ſcripturis leguntur. Eandem poſtea ſupprimere conati ſunt Ariani, interpoſita auctoritate Conſtantii, ut iidem ſcriptores referunt.

Tertia (e) formula Latine itidem Sirmii concepta eſt notatis Coſſ. Euſebio & Hypatio, qui annus Chriſti fuit CCCLIX, eaque a Valente & Urſacio Ariminum perlata, quae apud Athanaſium & Socratem extat. Sed eam in Sirmienſi contra Photinnm ſynodo editam non fuiſſe perſpicuum eſt; idque Nicolaus Faber in praefatione ad Hilarii fragmenta olim animadvertit.

Nos in Animadverſionibus ad Epiphanium, ante annos quatuordecim, quum de hoc argumento longam diſputationem faceremus, duo quaedam expoſuimus; alterum, Sirmienſem illam poſtremam ſynodum eo anno peractam fuiſſe, quem habet Socrates, Chriſti CCCLI. non, ut pleriſque perſuaſit annalium eccleſiaſticorum conditor, anno CCCLVII. Alterum; e tribus illis fidei formulis, quas paullo ante commemoravi, ſolam primam in illo Concilio ſcriptam fuiſſe, ſecundam vero non in ſynodo ipſa Sirmienſi, ſed aliquot annis poſtea editam in conſeſſu paucorum Epiſcoporum. Horum primum veterum illorum, quos citavi, auctoritate nititur, praeſertim Socratis; qui ut ſaepius, ita nunquam temere aut falſo notas illas conſulatuum adhibet, ſed ex actis publicis ac faſtis haud dubie depromptas: quo maior

(a) Anathematiſmo 6. & 7.
(b) *Haer.* 71.
(c) *Haer.* 73. *n.* 2.
(d) Secunda formula.
(e) Tertia formula.

Digitized by Google

ior illis habenda fides eſt , maxime ubi nulla in contrarium idonea ſunt argumenta; cuiuſmodi certe hic nulla ſunt. Nam quae in annalibus opponuntur , ſatis iis reſponſum eſt in Animadverſionibus ad Epiphanium, ac paullo poſt ea prorſus irrita & inania eſſe conſtabit, ubi quod poſterius eſt e duobus a me poſitis oſtendero, ſecundam de tribus fidei formulam non in Sirmienſi contra Photinum ſynodo, ſed alio tempore ac diverſo coetu praeſulum in lucem exiiſſe. Quod illic diſputatum latius, ut in pauca contraham, his maxime de cauſſis aſſeritur.

Imprimis auctores ſunt (*a*) Epiphanius & (*b*) Hilarius, quum ſecunda iſta formula publicata eſſet, atque e Sirmio (*c*) in Orientem perlata, vehementer exarſiſſe Baſilium Ancyranum Epiſcopum, alioſque Semiarianarum partium, quumque ab Georgio Laodiceno ſectae eiuſdem patrono literas accepiſſent, quibus de Eudoxii perditiſſimi Ariani veſania certiores illos faciebat, (quem refert (*d*) Sozomenus, poſtquam ecthesim illam ab Oſio expreſſam, a Valente & Vrſacio miſſam recepiſſet, gratulationis plenas ad eos ſcripſiſſe literas, quod ipſorum opera vera in Occidente fides reviviſceret) his commotum Laodicenum Georgium ad Baſilium & Epiſcopos, qui cum eo Ancyram convenerant, epiſtolam dediſſe, qua eos hortabatur ut Antiochenae, immo orientali Eccleſiae, ſuccurrerent. Porro Ancyram ideo ſeſe contulerant, ut encaenia celebrarent novae baſilicae, quam a ſe conditam Baſilius ibi dedicabat. Igitur Ancyrae Semiarianorum Concilium habitum eſt paullo ante Paſcha , ut eorum ſynodica teſtatur apud Epiphanium: in quo fidei formulam iſtam, quae ſecunda apud Sirmium edita eſt, damnarunt, & adverſus eam longiſſimam aliam ecthesim cum anathematiſmis ediderunt . Poſt ſynodum deinde legati ad Imperatorem Conſtantium profecti , Baſilius ipſe, Euſtathius Sebaſtenus , Eleuſius Cyzicenus , & Leontius Presbyter, qui hoc ab eo peterent, ὥϛε κρατεῖν τα ἐν Σαρδικη, ϗ ἐν Σιρμιῳ, ϗ ταις ἀλλαις συνοδοις κεκριμενα, ἐν ἁις συνεδοκει ὁμοιον ἑιναι κατ' ὀυσιαν τῳ Πατρι τον Υἱον. *Vti rata haec eſſent, quae apud Sardicam & Sirmium & in aliis ſynodis decreta fuerant ; in quibus communi conſenſu definitum erat, ſimilem eſſe ſecundum ſubſtantiam patri filium*; ut ſcribit Sozomenus, qui Imperatorem narrat ea legatione commotum revocaſſe omnia, quae per Anomoeos extorta fuerant; a quibus ſecunda illa Sirmienſis profeſſio dictata erat.

Ex his omnibus validum argumentum efficitur, quo ſecunda illa formula Sirmienſis oſtenditur nequaquàm in Sirmienſi contra Photinum collecta ſynodo condita fuiſſe. Etenim Sirmienſi huic ſynodo non ſolum Baſilius interfuit, ſed pene etiam praeſuit. Praecipuae certe in ea par-

(a) *Haer.* 73. *n.* 2.
(b) *Lib. de ſyn.*
(c) Probatur ſecundam formulam non in Sirmienſi magna ſynodo editam fuiſſe.
(d) *Lib.* 4. *c.* 12.

partes illius fuerunt; ut qui in eius omni actione floruit, eademque finita, datis ab Conſtantio iudicibus cum Photino congreſſus eſt, eumque ſuperavit, quod Epihanius, Socrates, Sozomenus, aliique narrant. Quid igitur fingi abſurdius poteſt, quam in illa ipſa ſynodo eam fidei conceptum eſſe formulam praeſente Baſilio, quam is paucis poſt menſibus adeo deteſtatus eſt, uti contra eam coetum coëgerit Epiſcoporum, acerrimoque decreto, & anathemate iugularit, & ad illam evertendam legatus ad Conſtantium Sirmium uſque pervenerit? An talem unquam ecthesim coram ſe dictari paſſus eſſet, a qua tantopere diſſidebat? Nam in illa της ὀυσιας, ὁμοουσιου, & ὁμοιουσιου vocabula ex aequo reiecta ſunt, ex Anomoeorum ſententia. At Baſilius Semiarianarum fautor partium το ὁμοιουσιον propugnabat, & Anomoeos, quos apud Epiphanium & Hilarium formulae illius auctores Ancyrana ſynodus facit, peius quam catholicos oderat. Quod ſi invitus illi Sirmii ſubſcripſiſſet, age num Ancyram reverſus Sirmienſem ſynodum adeo commendaſſet, aut eius decreta fideique ſanctionem confirmari ab Imperatore petiiſſet? Nonne id egiſſet potius, ut ea Conſtantii decreto reiiceretur (a)? Sane in Ancyrani Concilii ſynodica optaſſe plurimum ſe aiunt Epiſcopi, ut poſt Sardicenſem ſynodum & Sirmienſem, in qua Photinus damnatus eſt, quietis eſſe ſibi liceret, ſed quoniam ex Illyricianorum literis & Georgii Laodiceni didicerint, confoſſam tot ſynodorum decretis haereſim caput efferre coepiſſe, ideo ſe Ancyrae congregatos ea omnia denuo confirmaſſe, quae in Antiochena ſynodo & Sardicenſi, ὣν ἀνειληφεν ἡ ἐν Σιρμιῳ συνοδος, *quam Sirmienſis ſynodus eſt amplexa*, conſtituta fuerant. Non igitur ſecunda illa formula Sirmii edita ad eam ſynodum pertinere poteſt, quae contra Photinum eſt habita.

Praeterea ex hac rei apud Sirmium Ancyranique geſtae narratione colligitur, eandem formulam, abſente Baſilio Ancyrano, eſſe conſcriptam. Quod ſi verum eſt, non potuit Sirmienſis Concilii tempore fieri. Nam princeps, ut iam diximus, actionis illius ac ſynodi Baſilius Ancyranus fuit, iſque, finito Concilio, cum Photino diſputavit. Quod autem Sirmio tum abfuerit quum ecthesis illa dictata eſt, e (b) Sozomeno probatur: qui refert Eudoxium, Acacium, & Vranium, quum ab Occidentalibus Epiſcopis Valente, Vrſacio, & Germinio formulam iſtam, qua de agimus, accepiſſent Oſii ſubſcriptione firmatam, eius dogma, in quod ipſi cum Aëtio conſentiebant, audacter ac palam divulgare coepiſſe, quod indigne ferens Georgius Laodicenus, certiorem de tota re Baſilium, ac reliquos Ancyranae ſynodi praeſules fecit; ut & ipſi in ſynodica ſua teſtantur. Quare non videtur illius formulae conſcius fuiſſe Baſilius. Quippe ab ſolis Occidentalibus Epiſcopis dictata, ad Orientales deinde miſſa pervenit; ut ex Sozomeno colligitur.

Quin

(a) *Apud Epiphan. haer.* 73. *n.* 2. (b) *Lib.* 4. *c.* 12.

Quinetiam illius inſcriptio, quae apud Hilarium, Athanaſium, & Socratem legitur, ſatis indicat eam a paucis Epiſcopis, non a plena Synodo profectam. Hilarius enim hoc ei lemma praeſcribit: *Exemplum blaſphemiae apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptae.* Tum ſic eadem incipit: *Quum nonnulla putaretur eſſe de fide diſceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata ſunt & diſcuſſa, praeſentibus ſanctiſſimis fratribus & coëpiſcopis noſtris Valente, Vrſacio & Germanio.* Quod exordium Graece itidem apud ceteros extat. Quare paucis, uti dictum eſt, ab Epiſcopis condita eſt haec fidei profeſſio, non ab generali ſynodo. Longe enim aliter Sirmienſis Concilii ecthesim proponit & inſcribit Hilarius eodem in libro de ſynodis. *Exemplum*, inquit, *fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptae*. Hic ab Orientalibus hoc eſt plena in ſynodo ſcriptam ait Sirmienſem illam formulam, alteram nonniſi ab uno alterove. Ad haec Hilarius idem, poſtquam ſecundam hanc Sirmienſem ecthesim & Ancyrani contra illam Concilii decreta propoſuit, ita loquitur: *Dignum autem eſt conſcientia communi etiam ceteras eorundem Epiſcoporum Orientalium diverſis & locis & temporibus conſcriptas fides noſcere &c.* quae poſtquam praefatus eſt, duas, non amplius, formulas deſcribit, alteram Sardicenſis ſynodi, alteram Sirmienſis contra Photinum. Hanc vero commemoraturus ita ſcribit: *Conſequens eſt autem ut eam nunc fidem retractemus, quae non olim, tunc cum Photinus epiſcopatu deiectus eſt, conſcripta eſt.* Itaque Sirmienſis haec formula diverſo vel loco vel tempore ab ea conſcripta eſſe debet, quae ſecunda Sirmienſis dicitur. At loco diverſa non eſt. Tempore igitur diverſa ſit oportet. Huic argumento, quod ex Hilarii teſtimonio petitur, robur addit ſanctus Vigilius, & opinionem noſtram adſtruit, dum in libro quinto adverſus Eutychem duos illos conventus Epiſcoporum atque ſynodos diſtinguit, unam Orientalium, qui contra Photinum apud Sirmium collecti ſunt, quos catholicos appellat, eorumque decreta commendat; alteram Epiſcoporum aliquot, ut Oſii, Valentis, Vrſacii, Germinii, & aliorum, quibus univerſos ait Orientales Epiſcopos contrariis reſtitiſſe decretis. Sed Vigilii verba, quibus egregie id quod volumus affirmat, melius eſt adſcribere. De Ancyrana itaque Orientalium ſynodo contra ſecundam Sirmienſem formulam habita ſic ille ſcribit. *Deinde adverſus ſacrilegam impiae profeſſionis unitatem, quae per Oſium, Valentem, Urſatium, & Germinium, ceteroſque ſimilis pravitatis apud Sirmium fuerat conſcripta, univerſi Orientales Epiſcopi convenientes, alias, id eſt, duodecim ſententiarum definitiones ediderunt, quae Nicaeno Concilio non continentur.* De Sirmienſi porro Concilio, in quo Photinus poſtremo damnatus antea fuerat, haec ſubiicit: *Illius vero catholici Concilii apud Sirmium contra Photinum ex toto Oriente congregati quis ſufficiat* mul-

multiplices fidei ſanctiones comprehendere? quae apud Nicaenam ſynodum, quia talis rei neceſſitas fuerat nulla, non ſunt omnino ſancita: quae nullus fidelium audet reſpuere, aut cunctatur recipere, qui non vult cum Photino anathematis eorum ſententiae ſubiacere. Haec Vigilius: quae non aliunde quam ex Hilarii libro de ſynodis accepit. Hic enim Ancyranae ſynodi ab Semiarianis praeſide Baſilio habitae decreta praedicat & commentario illuſtrat; quae etiam duodecim numero refert, totidem anathematiſmis expreſſa, quae cum auctoribus ſuis Orientalibus Epiſcopis pro catholicis amplectitur. Quum autem Hilarius decreta iſta condidiſſe *Orientales Epiſcopos in unum congregatos* abſolute ſcripſerit, Vigilius putavit omnium Orientalium concurſu celebrem fuiſſe ſynodum illam. In quo fallus eſt. Pauci enim convenerunt, hoc eſt, numero duodecim, quorum nomina ſynodicae Ancyranae ſubſcripta ſunt apud (*a*) Epiphanium. Non enim plena fuit iſta ſynodus, ſed provincialis dumtaxat, & per occaſionem dedicandae apud Ancyram baſilicae collecta; ut ipſimet teſtantur in ſynodica ſua. Inter hos Epiſcopos nominatur Euſtathius Sebaſtenus; quem ſanctus Baſilius Caeſareenſis Epiſcopus (*b*) in epiſtola ad Occidentales illi ipſi Ancyranae interfuiſſe ſynodo & cum haereticis *homouſion* damnaſſe ſcribit, qui locus (*c*) in ſeptima ſynodo citatur. Haereticos igitur iſtos fuiſſe ſcivit, qui haec melius e propinquo noſſe potuit, Baſilius. Quamquam nulla litera extat in illorum anathematiſmis, ac ſynodica tota, quae τὸ ὁμοούσιον condemnet. Sed quia τὸ ὁμοιούσιον praeciſe receperunt, ſuppreſſa mentione alterius, pro huius damnatione Baſilius iſtud habuit. Niſi forte altera quaepiam apud Ancyram celebrata ſynodus eſt, in qua nominatim damnatum ſit τὸ ὁμοούσιον, quod ego non puto. Itaque vera eſt, ut opinor, coniectura noſtra.

Sed ut ad Vigilium revertar, perſpicuum eſt Ancyranam ab eo ſynodum, itidem ut ab Hilario, dici contra Oſii & aliorum blaſphemam formulam celebratam fuiſſe. Eſt haec vero, ut ſaepe docui, ſecunda illa Sirmienſis profeſſio, quam in diverſa ſynodo ab ea, quae Photinum damnavit, editam eſſe mox idem Vigilius indicat, dum hanc ſynodum orientalium contra Photinum *catholicum Concilium* appellat; cuius ſanctiones collaudat, ſimiliter atque Hilarius, & alii quidam veteres perinde ac recentiores fecerunt. At illum coetum Epiſcoporum, qui ſecundam apud Sirmium profeſſionem condidit, haereſis & impietatis arguit. Huius conventiculi & impiae profeſſionis ab Oſio non tam editae, quam vi ac ſuppliciis extortae meminit Foebadius Aginnenſis, ubi hanc ſynodum appellat. Ex quo perperam aliqui concludunt, Sirmienſem ab eo contra Photinum intelligi ſynodum. Sed errant. Synodus enim qualiſcunque conventus Epiſcoporum interdum dicitur, cuiuſmodi

(a) *Haer.* 73. *n.* 11.
(b) *Epiſt.* 74.
(c) *Pag.* 390. *edit. Rom. Graecolat.*

Digitized by Google

diorum profecto fuit, quando Conſtantii potentia & tyrannide freti Ariani nefariam ab Oſio fidei formulam extorſerunt, de qua vide, ſi lubet, quae in Epiphanianis Animadverſionibus notavimus.

Satis (a) pro opinione noſtra diſputatum eſt hactenus. Vnum illud reſtat argumentum, quod ex illorum temporum hiſtoria duci invictum putatur a quibuſdam adverſus Socratis aliorumque veterum ſententiam, quae Sirmienſi poſtremae contra Photinum ſynodo praefinit annum Chriſti CCCLI.; quam nos ab recentioribus haud merito damnatum, ac veriſſimam eſſe monſtravimus. Qui enim potuit, inquiunt, Sirmii juſſu Conſtantii celebrari tum ulla ſynodus, quum Pannonia, cuius opidum illud eſt, a tyrannis obtineretur? Nam poſt Conſtantis obitum (qui ineunte contigit anno CCCL.) Magnentius in Galliis & Italia, Vetranio in Pannonia, cui praeerat, dominatum arripuerunt. Sed accurata notatio temporum iſtorum inane hoc eſſe irritumque docebit.

Conſtans enim Conſtantii frater a Magnentio tyranno coeſus eſt, & Magnentius ipſe tyrannidem invaſit anno ineunte Chriſti CCCL., decimoquinto Cal. Febr. Coſſ. Sergio & Nigriniano; ut Idatius in faſtis, Socrates, Sozomenus, (b) aliique narrant. Magnentius Gallias, Italiam & Africam obtinuit; eodemque anno Vetranio, qui peditum magiſterio praeditus Illiricum curabat, imperium & ipſe uſurpavit apud Sirmium Calendis Martii, ut ait Chronicon Alexandrinum. Ex quo caſtigandus eſt Idatii codex, qui Calendas Maii notat, errore librariorum, qui literam *i* pro *r* poſuerunt. Hunc enim ſcribit in Caeſaribus Victor eis menſem decimum in ordinem redactum eſſe ab Conſtantio, quod VIII. Cal. Ian. accidiſſe teſtis eſt Idatius; apud quem etiam perperam id confertur in annum eum, qui inſcribitur *Poſt conſulatum Sergii & Nigriniani*, & eſt Chriſti CCCLI. Nam iſtud evenit antecedente anno, Coſſ. Sergio & Nigriniano, decimo menſe nondum expleto ab Martio, Vetranione ſumma poteſtate ita, uti diximus, exuto, Conſtantius Illyricum obtinuit. At ſequente anno (qui fuit Chriſti CCCLI.) Magnentius IV. Cal. Octobris, ut refert Idatius, ad Murſam Illyrici opidum victus eſt a Conſtantio, & anno deinde tertio, Chriſti CCCLIII. apud Lugdunum ſibi necem conſcivit. Quocirca anni CCCLI. maiori parte, hoc eſt, prioribus menſibus, & ab Octobri deinceps, Illyricum in poteſtate fuit Conſtantii, potuitque Sirmii Epiſcoporum habere conventum.

Quum igitur, Vetranione deiecto, Conſtantius Sirmii moras faceret, ac Photinus in eadem urbe nefariam vulgaret haereſim, Ariani Epiſcopi, quos in comitatu ſemper habebat Conſtantius, ut pro catholicis ſeſe gererent, atque ab haereſi alienos ſe eſſe monſtrarent, Imperatori perſuadent, ut Sirmium ex Orientis partibus Epiſcopos cogeret; quod

(a) Diſſolvuntur argumenta contra nos oppoſita.

(b) *Zoſim.* 2. *Victor in Caeſ.*

Digitized by Google

quod ab illo factum eſſe anno ipſo CCCLI. teſtatur Socrates. Neque vero conſtat quot illic Epiſcopi fuerint. Sed illud certum eſt, pauciſſimis exceptis, Orientales omnes fuiſſe. Socrates Valentem ſolum Murſorum Epiſcopum nominat & Oſium Cordubenſem. Sed de Oſio fallitur, ut in Animadverſionibus ad Epiphanium oſtendimus. Cauſſa autem erroris haec illi fuit, quod aliam fidei formulam, quae in eadem urbe poſtea decreta eſt, Oſius ſubſcriptione ſua probare coactus eſt, quam quidem in Sirmienſi Concilio, quod adverſus Photinum celebratum eſt, publicatam eſſe falſo arbitratus eſt Socrates. Quamobrem Sirmienſis illa ſynodus Orientalium fuit Epiſcoporum. Unde ſanctus Hilarius libro de ſynodis fidem, quae tum illic publicata eſt, expoſiturus ita praefatur: *Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptae.*

Cur autem plerique omnes, qui tum Sirmii convenerunt, Orientale eſſent, ac praeter unum alterumve nullus Occidentalium acceſſerit, nulla fingi cauſſa poteſt alia, niſi quod Occidentem, hoc eſt, tranſalpinas regiones, & Italiam Magnentius occupabat. Niſi cauſſa haec fuiſſet, ac ſi Conſtantius Occidentem in ditione tenuiſſet, quis dubitat quin Sirmii, quae urbs Occidentalis erat imperii habitam ſynodum frequentiores ex Occidente celebraturi fuerint Epiſcopi? quemadmodum Arimini poſtea factum, & antea Sardicae. Atque hoc non leve eſt argumentum, quo Magnentianis temporibus indicta illa ſynodus oſtenditur.

Hilarii locus ex fragmentis illuſtratur, in quo de Photino agit ac iiſdem contra eum factis. Unde pleraque eorum probantur, quae iiſdem de rebus obſervavimus.

CAPUT III.

CUM ex Hilarii potiſſimum fragmentis expreſſa ſint ea, quae de Photini damnatione, ſynodiſque contra ipſum habitis, capite primo docui, viſum eſt ipſius locum integrum hic exſcribere, ut ſingulorum probationes in promptu habeantur; quibuſdam additis ſcholiis, quibus velut radiis illuſtratus, planus legentibus ac facilis occurrat: quem alioqui deſperatae obſcuritatis eſſe, ac neque verbis neque ſententiis cohaerere, docti quidam homines arbitrati ſunt.

HILARIUS.

Supereſt (*) *ut quid de Marcello & Photino geſtum ſit, pauciſſimis di-*

(*) *Pag.* 23. *edit. Pariſ. anni* 1598.

Digitized by Google

dicam. Photinus Sirmienſis Epiſcopus fuit a Marcello imbutus: Nam Diaconus ſub eo aliquandiu fuit. Hic corruptis innocentiae moribus ac diſciplinis, turbare evangelicam veritatem perſiſtebat novis praedicatibus. Et hoc ita ſaepe eſt, ut quum incrementa vitiorum detrimenta in amore Dei fecerunt, veſanum depravatae ſcientiae ſtudium increſcat. (a) *Igitur ad tollendum ex epiſcopatu Photinum, qui* (b) *ante biennium iam in Mediolanenſi ſynodo erat haereticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur ſacerdotes,* (c) *hoc magis ſoliciti atque anxii, turbari rurſum miſcerique omnia, quod iampridem plures Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio iudiciorum vel communionis haereſis Arrianae ab Eccleſia fuerat neceſſe reſecare.* (d) *Quam opportunitatem nacti Urſacius & Valens, Romanae plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant. Iulius ex conſilio veniam, quam orabant, impertit, ut cum lucro catholicae Eccleſiae vires quoque detraheret Arrianis, quum eos, qui unitatem ante turbaverunt, conſilii huius & audaciae poenitentes in communionem catholicam per veniam reconciliatae pacis admitteret. Et quia non eſt niſi de veritate confeſſio, niſi de vitio poenitentia, niſi venia de admiſſo, Valens & Urſacius admittendi, ut orabant, in communionem, de Athanaſii innocentia, de iudicii falſitate, de Arrianae haereſis piaculo talibus litteris ante profitentur.*

Sequitur libellus quem ſuapte manu Valens perſcripſerat, & Vrſacius ſubſcripſerat, Iulio Papae oblatus.

PERGIT HILARIVS.

(e) *Haec epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quam haereſis Photini a Romanis damnata eſt.*

Sequitur libellus alter Valentis & Vrſacii poſt aliquantum temporis a ſuperiore ad Athanaſium & Epiſcopos miſſus.

HILARIVS.

Superioribus igitur literis datis venia indulgetur, orantibus reditus ad catholicam fidem cum communione donatur; maxime quum Sardicenſis ſynodi veritatem ipſae orantium veniam literae continerent (f) *Verum inter haec Sirmium convenitur. Photinus haereticus comprehenſus, olim reus pronuntiatus, & a communione iampridem unitatis abſciſſus, nec tum quidem per factionem populi potuit* (*) *admoveri*

(*) cor. *a moveri*, vel *abmoveri*.

Digitized by Google

ri (g). *Sed idem Athanaſius Marcellum , qui poſt recitationem libri quem ſcriptum ediderat (nam hunc quoque nos habemus) ſententia ſynodi Sardicenſis epiſcopatui erat redditus , ubi quaedam alia nova miſcere ſenſit , & ambiguis praedicationibus eius, in quam Photinus erupit, doctrinae viam quaerere, a ſua communione ſeparavit anteriore tempore, quam Photinus arguitur, praeventam iudicio meditationem corruptae voluntatis oſtendens, & non ex libri editione condemnans. Sed quia promptum eſt ex bono malum efficere, praebuit non illis in Marcellum quae geſta antea fuerant , ſed his quae in* Photinum *gerenda erant, auctoritatem. Illud autem eſſe cognitum cunctis oportet, nullam unquam adverſus Marcellum, praeter eam, quae Sardicenſibus eſt diſſoluta ſententiis , deinceps ſynodum fuiſſe contractam ,* (h) *neque huc unde* Photino *decretum ab Occidentalibus eſt , & ad Orientales eſt relatum, aliquod in eum expreſſum fuiſſe iudicium . Sed homines mente callidos, ingenio ſubtiles , malitia pertinaces occaſionem revolvendi eius, quod Athanaſii abſolutione eſt diſſolutum, quaeſiviſſe, iudicii, & reſcribentes de* Photino, *Marcelli mentionem, velut inſtitionum talium magiſtri , addidiſſe , ut mortuam de Athanaſio ipſo iam tempore quaeſtionem, & veritatis iudicio conſepultam, in publicam recordationem cauſſae novitas excitaret, & ſubrepens per* Photini *damnationem Marcelli nomen inveheret . Extat autem in ſuperiore epiſtolae corpore, Marcellum ab Arrianis occaſione libri, quem de Iubiectione Domini Chriſti ediderat, una cum Athanaſio fuiſſe damnatum. Docetur etiam recitatione eiuſdem libri innocentem deprehendi: falſitatem quoque iudicii Arriani extantis adhuc libri fides arguit .* (i) *De* Photino *autem, ſicut mos poſcebat, ad Orientales epiſtolae fiunt, non iniuria extorquendi, ut nunc agitur, adſenſum, ſed inſtruendae univerſorum ſcientiae conſuetudine. Sed cur abnegatae Marcello communionis Athanaſius reus eſſe reſcribitur? Numquid propter libri vitium Marcellus abſtentus eſt? Teſtes ipſi ſunt, ex inſtitutis eius* Photinum *perverſitatis iſtius initia ſumſiſſe. Nam negata ſibi ab Athanaſio communione, ingreſſu ſeſe Eccleſiae Marcellus abſtinuit . Ita communio cum eo in iſta fide de ſubiectione traditione regni docet* (*) *negata rurſum pravitate doctrinae alterius oſtendit . At ſic utrumque viri iſtius iudicium caret culpa, quum in data communione ſynodi ſit aſſecutus aſſenſum , in abnegata vero, ipſo ſe Marcello abdicante ſolo, ſine ulla ſynodi auctoritate.*

SCHOLIA.

a IGITUR *ad tollendum*) Hic Sirmienſem ſynodum intelligit priorem a catholicis obitam , utpote cuius opportunitatem conſectati Valens & Vrſacius ad Eccleſiam redierunt, oblatis libellis tam

Iulio Papae, quam Athanaſio. Id autem fecerunt anno Chriſti cccxlix. paullo ante Conſtantis obitum, qui ineunte cccl. accidit. Atque Sirmienſis ſecunda non ante annum ccclı. celebrata eſt. Diverſa igitur ab hac illa fuit eodem in oppido peracta.

(b) *Ante biennium.*) Ergo anno cccxlvii. brevi poſt Sardicenſem tempore, & eodem anno. Mediolanenſis autem iſta perperam cum altera confunditur, quae anno ccclv. ab Arrianis Conſtantii auctoritate fretis eſt habita: in qua complures Epiſcopi catholici relegati ſunt, & inter alios Liberius Papa. Contigit autem, ut & Mediolanenſis una ſynodus biennio ante Sirmienſem priorem fieret, & poſt Mediolanenſem alteram, biennio itidem Sirmii conventus Epiſcoporum aliquot haberetur, non contra Photinum, ſed ad novam fidei condendam formulam, quam Sirmienſem de tribus ſecundam eſſe demonſtravimus. Quae res nonnullis impoſuit, ut Sirmienſes plures ſynodos in unam conflarent, Mediolanenſes itidem plures in eamdem Mediolanſem.

(c) *Hoc magis ſoliciti*) Ergo catholici erant, non Ariani, ut in ſecunda Mediolanenſi.

(d) *Quam opportunitatem nacti*) Florentibus catholicorum rebus & Athanaſio Conſtantis opera reſtituto, Valens & Vrſacius ad Eccleſiam redire conati ſunt, primum poſt Sardicenſem ſynodum, ubi damnati erant, oblato libello in Mediolanenſi catholicorum ſynodo, deinde Romae, Iulio Papae; quod ex ipſorum epiſtola priore ad Iulium data, & Athanaſii apologia ſecunda, colligitur.

(e) *Haec epiſtola*) Falſo haec Hilarii verba referas ad tempus illud, quod poſtremam Sirmienſem ſynodum, in qua depoſitus eſt Photinus, excepit; praeſertim ſi ea anno ccclvii. facta eſt. Nam neque a Romanis in iſta damnatus eſt, ſed ab Orientalibus & haereticis; neque poſt eandem Vrſatius ac Valens reſipuiſſe ac libellos iſtos dediſſe leguntur. Adde Iulium Papam, cui prior libellus porrectus eſt, anno ccclii. deceſſiſſe. Biennio ergo poſt Mediolanenſem priorem, uti primo capite interpretati ſumus, ad Eccleſiam reditum impetrarunt.

(f) *Verum inter haec*) Redit ad inchoatam paullo ante narrationem de Sirmienſi ſynodo *ad tollendum ex epiſcopatu Photinum*, quam interpoſita Valentis & Vrſacii hiſtoria nonnihil abruperat. In ea ſynodo priore Sirmienſi damnatus eſt Photinus; ſed epiſcopatu pelli minime potuit, quod propter eruditionem & facundiam, qua in utraque lingua pollebat, vulgo eſſet acceptus. Hoc eſt quod ait, *per factionem populi amoveri* non potuiſſe.

(g) *Sed idem Athanaſius*) Huic hiſtoriae ſuffragatur Severus Sulpicius libro ii. Sed mirum videtur, Athanaſium nihil in libris ſuis eiuſmodi de Marcello ſignificare. Nam eum potius ubique ſublevat, & ab

Ar-

Digitized by Google

Arrianis immerito, ac per calumniam accuſatum eſſe contendit; ut in apolog. I. & in epiſt. ad Solitarios. Verum in (*a*) oratione quadam, cuius inſcriptio eſt *Quod unus ſit Chriſtus*, Marcellum cum Paullo Samoſateno coniugens ideo reprehendit, quod Chriſtum nudum hominem eſſe dixerit, ac ſervum, nec adoratione dignum: Sed oratio iſta meo quidem iudicio Athanaſii non eſt. Nam & ſtilus ipſe ab Athanaſiano diverſus eſt, ac multo elegantior; tum aperte hypoſtaſes in Trinitate tres agnoſcit, quibus quartam a Marcello & Samoſateno adiectam queritur hominis Chriſti. Atqui ſaepius unicam in divinitate hypoſtaſim tuetur Athanaſius. Poſtremo, quod ad rem magnopere facit, Athanaſii epiſtola ad Solitarios, in qua Marcellum luculenter excuſat, eique catholicae fidei teſtimonium praebet, multo poſterior eſt eo tempore, quo Marcellum eundem ab Athanaſio communione multatum Hilarius ac Severus indicant. Quippe poſt Liberii relegationem lapſumque ſcripta eſt, hoc eſt, poſt annum CCCLVII. qui undecimus fuit a Sardicenſi ſynodo. Epiphanius haereſi LXXII. n. IV. refert, percontanti ſibi aliquando de Marcello quid ſentiret Athanaſium dubie reſpondiſſe, ac ne reſpondiſſe quidem, ſed nutu ſolo ac riſu levem de eo ſuſpicionem indicaſſe; quo ſane contentus eſſe non potuit, ſi eum aliquando propter haereſim communione ſua privaſſet. Quocirca valde mihi perplexa videtur, credo & prudenti cuivis, iſta Hilarii & Sulpicii narratio. Quae ſi vera eſt, tum illa ſane Athanaſii in Marcellum animadverſio medio Sardicenſem inter & Sirmienſem priorem tempore accidit, hoc eſt, inter annum CCCXLVII. & CCCXLIX. In eo vero laborat Hilarius, ut ab Athanaſio damnati Marcelli invidiam repellat. Etenim, quod una cum ipſo in integrum reſtitutus erat in Sardicenſi ſynodo, ac ſubinde tamquam haereticum ab communione ſegregaſſet, Sardicenſis auctoritatem viſus eſt minuere; quemadmodum poſtea ob tria capitula ab Iuſtiniano & Quinta ſynodo damnata Calcedonenſis ſynodus labefactari viſa eſt, & eius acta reſcindi. Quae res catholicos pleroſque contra Conſtantinopolitanam illam ſynodum armavit. Eiuſdem enim generis utraque fuit quaeſtio. Sed Hilarius negat, eadem de cauſſa damnatum ab Athanaſio fuiſſe Marcellum, ob quam ab Arianis primo depoſitus, ab Sardicenſi deinde reſtitutus erat. Verum illic de libro quodam ab eo contra Aſterium edito controverſiam omnem extitiſſe, quem Ariani deteriorem in partem acceperant, Athanaſium vero propter quaedam privatim, ac citra librum illum, ab eo ſparſa, quae occultum virus redolerent, eundem ab communione reieciſſe.

(b) *Neque huc unde Photino*) Sirmienſis prioris ſynodi patres nihil contra Marcellum decreverant, nulla vel levi ſuſpicione perſtrinxerunt. Sed Orientales ipſi, acceptis Occidentalium literis, ita quod con-

(a) *Pag.* 518. *Tom.* I. *Ath. edit. Commel.*

contra Photinum actum illic erat approbarunt, ut cum Photino etiam Marcellum eadem damnatione coniungerent; quo ſibi viam munirent ad opprimendum Athanaſium, qui in eadem cum illo cauſſa eſſe videbatur, utpote damnatus cum eo pariter in Conſtantinopolitana ſynodo, & in Sardicenſi reſtitutus.

(i) *De Photino autem*) Notetur hic locus. Nam Sirmienſi priorem ſynodum aperte & ab occidentalibus celebratam, & iis catholicis, oſtendit.

Haec ad Hilarii verba commentari voluimus, ex quibus appareret, conſequentem illius eſſe loci ſententiam, neque mutilum hunc & inextricabilem videri, ut quidam exiſtimant.

IACOBI SIRMONDI

DIATRIBA SECVNDA.

SIRMITANA.

Examen continens diſſertationis, quam de Photino haeretico, eiuſque damnatione, Dionyſius Petavius in lucem nuper dedit.

CAPVT PRIMVM.

De multiplici damnatione Photini, & novis ſynodis, quas nupera diſſertatio introducit.

I. DIVERSAS quinque ſynodos, in quibus damnatus ſit Photinus, repertas a ſe vel notatas diſſertationis auctor enumerat. Non ſpernenda nec indigna ſcitu obſervatio, ſi vera eſt. Sed quis errorem in eo non ſtatim deprehendit, quod primam Photini damnationem imperante adhuc Conſtantino factam putat? Enimvero damnari Conſtantino regnante Photini haereſis qui potuit, ſi exorta nondum erat? ſi poſt Conſtantini exceſſum, Conſtantii demum temporibus, ipſius, qui loquitur, teſtimonio nata eſt? Epiphanii verba ſunt, ipſo interprete, Photinum, ἐπὶ Κωνσταντίου, Conſtantio imperante, infelix doctrinae ſuae lolium diſſeminaſſe. Sub Conſtantio igitur emerſiſſe Photinum cenſuit Ephanius (*a*). Hoc vero amplius Socrates quod annum quoque ipſum, ſi attendimus, propemodum deſignavit, dum Photini exordia inter utramque ſynodum Antiochenam defixit. Nam, quum priorem in Encaeniis anno Conſtantii Principis quinto, Chriſti CCCLI. peractam fuiſſe conſtet, exinde poſt biennium poſteriorem, quid veriſimilius, quam ut Photini haereſis ex Socratis ſententia vel an-

(a) *Socrat. lib. 2. c. 4.*

Digitized by Google

anno Chriſti CCCXLII. prodiiſſe dicatur cum Baronio, vel CCCXLIII. cum Sigonio? (*a*)

II. Ceterum, ut de anno fortaſſe aliqua ſit controverſia, de auctore noſtro nulla eſſe poteſt quin errarit ad Conſtantini tempora referens quod ad Conſtantiana pertinebat, falſoque de Conſtatinopolitana ſynodo anni CCCXXXVI. coniectarit, damnatum in ea cum Marcello fuiſſe Photinum, quia de Marcello quidem & (*b*) Socrates, & (*c*) Sozomenus, &, qui ſynodo intereſſe potuit, ac poſt illam mox ſcripſit, (*d*) Euſebius Caeſarienſis, & ceteri conſentiunt, de Photino autem, quod in ea damnatus ſit, nemo hactenus ſomniavit praeter ipſum. Photinum ſane una cum Marcello ſynodica ſententia perſtrictum aliquando fuiſſe neſcii non ſumus, ſed non ante ſynodum ſecundam Antiochenam, a qua damnati ambo reperiuntur in formula fidei pluribus verbis expreſſa, quae ideo μακροστιχος appellata eſt. Audiat & ἀστοχιαν ſuam miretur qui primam damnationem Photini falſam & frivolam commentus ſit, veram & germanam non obſervaverit. Sic enim in ea ſynodo Arriani Epiſcopi loquuntur apud Athanaſium (*e*). Βδελυσσομεθα δε και αναθεματιζομεν τους Χριστον μη ειναι προ αιωνων θελοντας, αλλ' εκ τοτε Χριστον αυτον γεγονεναι και υιον του θεου εξ ου την ημετεραν εκ της παρθενου σαρκα ανειληφε· τοιουτοι δε εισιν οι απο Μαρκελλου και Σκοτεινου των αγκυρογαλατων. *Abominamur praeterea & anathemate damnamus eos, qui Chriſtum non ante ſecula fuiſſe contendunt, ſed ex eo tempore eum Chriſtum & filium Dei factum fuiſſe, ex quo noſtram carnem de virgine aſſumpſit. Tales ſunt diſcipuli Marcelli & Scotini ab Ancyra Galatiae.*

III. Scotinumne pro Photino appellarit ſynodus, ut eſt apud Athanaſium, (*f*) an Photinum, ut habet Socrates, nihil moror. Scotinum etiam per ludibrium a Lucifero Calaritano (*g*) dictum in eo libro conſtat, cui titulus eſt *De non parcendo in Deum delinquentibus*. Hoc contendo, primum omnium de Photino ſynodicum iudicium iſtud eſſe numerandum, quod dixi, antiquius illud certe ſynodo Sardicenſi, quod ex Sulpitii Severi verbis, quae citantur, conſequi non negarim. Sed in confuſa eo loco & diſtorta Severi oratione quam certum eſt, falſo tradi, Epiſcopos apud Sardicam Conſtantini iuſſu congregatos, qui ab eius filiis decimo poſt mortem patris anno congregati ſunt, tam minime dubium, falli (*h*) & errare duplici nomine virum doctum; tum quod abſentis Athanaſii damnationem, cuius meminit Severus, ad ſynodum Antiochenam pertinere velit, quum ad Tyriam referenda ſit, quia licet abſens in utraque damnatus ſit, in Tyria tamen ſo-

la

(a) *De Occid. Imp.*
(b) *Lib. 1. c. 24.*
(c) *Lib. 2. c. 31.*
(d) *Lib. 2. cont. Marc. c. 4.*
(e) *Apol. 2. pag. 691.*
(f) *Lib. 2. c. 15.*
(g) *Pag. 264.*
(h) *Pag. 466. diſſert.*

Digitized by Google

la ſub Conſtantino; tum quod obiectam Athanaſio participatae cum Marcello & Photino communionis accuſationem alieno loco apud Severum connumerari non ſentiat, quum exploratum ſit e duobus iudiciis, quae in Athanaſium per Arrianos facta ſunt in Concilio Tyrio & Antiocheno, neutri hunc accuſationis titulum competere. In Tyrio enim falſis de Iſchyra & Arſenio criminibus damnatus eſt, in Antiocheno crimini datum quod priſtinam ſedem, unde ſynodali, ut aiebant, iudicio pulſus fuerat, ſine Epiſcoporum auctoritate repetiiſſet. De recepto autem ad comunionem Marcello aliiſque Arrianorum ſententia damnatis in Sardicenſi demum ſynodo ab Arrianis inſimulatus eſt, quod ex ipſa illorum ſynodica in Hilarii fragmentis obſervare eſt. Quare ad ſynodum Sardicenſem ſpectabat haec accuſatio, & alieno, ut dixi, loco apud Severum prolata eſt. Falſum igitur in prima ſua Photini damnatione, multiſque modis hallucinatum auctorem diſſertationis hactenus oſtendimus. Nunc ad reliquas pergamus.

IV. Poſt haec in Sardicenſi Concilio iterum fuiſſe damnatum auctore aſſerit (*a*) Epiphanio, qui Photinum narrat *ἀπὸ τῆς ἐν τῇ σαρδεκῃ δυτικῆς συνόδου ὀχθηνῆσθαι in Sardicenſi occidentali ſynodo depoſitum.* Ac ne ambiguum foret, quia, ſecedentibus apud Sardicam Arrianis, ſynodus bifariam diviſa eſt, ab utra parte damnatum intelligeremus, a catholicis damnatum affirmat, & hoc addit ipſe de ſuo. Itane vero, ut damnatum a catholicis eo iudicio Photinum credamus, in quo an catholicorum quiſquam ſederit incertum, haereticus omnium conſenſu praefuit, & primas partes egit, Semiarrianorum princeps Baſilius Ancyranus? Credet hoc affirmanti qui volet, nobis non perſuadebit. Porro, quum damnati epiſcopatuque deiecti Photini nulla in Sardicenſibus actis ſit mentio, & quae de Photini exauctoratione, deque Baſilii cum Photino diſputatione, ab Epiphanio tamquam Sardicae geſta memorantur, eadem omnia Sirmienſem ad ſynodum pertinere ſcriptores alii fidem faciant, parum perſpicacem videri oportet eum, qui Epiphanium, quod alii pridem monuerunt, memoria lapſum hoc loco ſynodo Sardicenſi tribuere quod Sirmienſi congruebat, caſſamque & inanem actoris obſervationem iacere non videat.

V. Tertia, inquit, Photini condemnatio in Concilio facta eſt Mediolanenſi, non in illo pervulgato anni CCCLV. de quo nos Hilarii fragmenta interpretabamur, ſed in altero, quod ſtatim poſt Sardicenſe ab Epiſcopis catholicis eodem ipſo anno celebratum vult perſuadere. De Hilarii verbis, utri faveant, poſtea videbimus. Nunc mirificam ipſam eius ſynodum contemplemur. Mediolani, ait, Epiſcopos qui Sardicae nuper fuerant (Quos enim alios dicere habeat ?) iterum congregatos. Quis hoc indulgeat, duas uno anno ſynodos tam diſſitis in locis & tam diverſarum provinciarum Epiſcopis imperatas? Non

(*a*) *Pag. 466. diſſert.*

Non omnes, inquit, ad Mediolanenſem acciti ſunt, ſed ſoli catholici. Quorſum hi praecipue? Vt Photinum condemnarent? Atqui Sardicae a catholicis, ſi ei credimus, proxime fuerat condemnatus. Quid igitur opus fuit eoſdem iterum Mediolani, ut actum agerent, nova ſynodo fatigari? Tam immemor eſt ſui, ut quid paulo ante ſcripſerit non recordetur, tam ſecurus noſtri, ut oblivíſci nos poſſe confidat? In (a) hac praeterea ſynodo Arrianae ſectae quatuor Epiſcopos Demophilum, Macedonium, Eudoxium, & Martyrium interfuiſſe docet, Arrique perfidiam damnare noluiſſe. Quis hoc rurſus credi ab eo potuiſſe non miretur? Quaero enim aliumne cenſeat hunc eſſe Demophilum, alium Macedonium, & alium (b) Eudoxium, quam quorum ſubſcriptiones in Sardicenſi Arrianorum ſynodica leguntur, Demophili a Beroe, Macedonii a Mopſueſtia, Eudoxii a Germanicia. Quod ſi hos ipſos eſſe non negabit, edicat, ſi poteſt, undenam tanta iſtorum tam repentina mutatio, ut qui proxime apud Sardicam, ne cum catholicis coirent, ſeceſſionem fuga fecerant, iidem nunc, eoſdem, ut eorum Concilio interſint, Mediolanum uſque conſectentur? Si edicere non poteſt, incredibilia & falſa haec eſſe confiteatur. Habet tamen unde vera eſſe confirmet, & Liberii Papae ad Conſtantium epiſtolam, in qua narrat octavo ante anno, quam ſcriberet, hoc eſt, ut ipſe ratiocinatur, anno ipſo ſynodi Sardicenſis CCCXLVII. Epiſcopos iſtos, cum ad Mediolanum Arrii ſententiam haereticam noluiſſent damnare, de Concilio iratis animis exiiſſe. De hac ergo nos epiſtola quid ſtatuemus? Errare hic etiam illum & falſo niti principio, qui ſcriptam ponat anno CCCLV. quum anno ſuperiore ſcriptam non vanis argumentis evicerit Baronius, tum cum indicta ſynodus nondum erat, cuius impetrandae gratia legati cum epiſtola mittebantur, ut quum in Galliis adhuc ageret Conſtantius, quem inde poſtea in Italiam ſub exitum anni CCCLIV. ad hiberna deſcendiſſe auctor eſt Ammianus Marcellinus, proinde hunc verum & legitimum eſſe annum epiſtolae Liberianae. Ad hos ergo annos octo quos numerat Liberius ſi regrediare, conventus occurret Mediolanenſis, non quo anno ſtatuebat diſſertatio, ſed anteriore CCCXLVI. ac tum plana & liquida fluent omnia. Nam & Eudoxium collegaſque Epiſcopos, qui ab Orientalibus legati, ut Socrates (c) & Sozomenus, μακροστιχον illam fidei formulam in (d) Italiam attulerant, Mediolani tunc adfuiſſe nihil erit abſurdi. Et quum Athanaſium eodem quoque anno Mediolanum Roma Conſtantis Principis accitu veniſſe, atque inde in Gallias profectum Sardicam ad ſynodum una cum Hoſio contendiſſe (e), Athanaſii ipſius ad Conſtantium apologia demonſtret, liquet profecto Mediolanenſem iſtum qui fuit Epiſcoporum conventum, de

(a) *Pag.* 467. *differt.*
(b) *Hilar. frag. lib.* 2. *c.* 28.

(a) *Socrates lib.* 2. *c.* 15.
(b) *Sozomen. lib.* 3. *c.* 10. (c) *Pag.* 526.

Digitized by Google

de quo ſcribit Liberius, Sardicenſi, contra quam amico noſtro viſum eſt, non ſucceſſiſſe, ſed anteceſſiſſe. Quare nihil illi ad ſuum iſtud Concilium Liberii epiſtola ſuffragata eſt.

VI. Videamus an opis plus afferet altera ſynodi Ariminenſis, quae Vrſatium & Valentem in Concilio Mediolanenſi ad communionem receptos teſtari videtur. Quamquam enim non in Concilio, ſed ſub tempus Concilii receptos emendatiora habeant exemplaria, ὅτε ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον τῆς συνόδου συνεκροτεῖτο, atque hoc ipſum in eam epiſtolam irrepſiſſe per errorem videri poſſit ex Valentis & Vrſatii ad Iulium epiſtola, in qua libelli abs ſe apud Mediolanum oblati meminerunt, tametſi nec ſynodum ibi tunc fuiſſe, nec ad pacem ſe receptos ſignificent, quia tamen in Concilio receptos ipſe atque ſuum hoc Concilium (a) Mediolanenſe id eſſe omnibus nervis contendit, hic enimvero, quod de aliis quatuor Epiſcopis antea quaerebamus, percunctari denuo libet, quam veriſimile arbritretur, duos iſtos Arrianorum principes & anteſignanos, qui pro facinoribus ſuis a ſynodo Sardicenſi deiecti proxime fuerant & communione privati, ad frugem tam ſubito converſos advolaſſe Mediolanum ibique communionem ſine mora recepiſſe? Sed receptos prorſus non fuiſſe, fallique qui aliter ſentiant, manifeſtum eſt. Etenim ſi a Mediolanenſi, ut volunt, ſynodo fuerant in integrum reſtituti, ſi cum Eccleſia catholica redierant in gratiam, quid eſt quod biennio poſt Concilium illud narrat Hilarius, Vrſacium & Valentem (b) Romanae plebis Epiſcopum adiiſſe, *recipi ſe in Eccleſiam deprecantes, & in communionem admitti rogantes?* Quid quod recitatis illorum literis ſubiungit? *Venia indulgetur orantibus, reditus ad catholicam fidem cum communione donatur.* An ignorare potuit Hilarius, veniam illos a Concilio impetraſſe, ſi revera impetrarant, & qui recipi ſe in Eccleſiam rogabant, nondum receptos ſe non ſatis oſtendebant? Quid ergo eſt quod contra horum confeſſionem & contra Hilarii dilucidam relationem argutari nunc libet, illos in Concilio Mediolanenſi cum Eccleſia catholica in gratiam rediiſſe, poſtea cum Athanaſio & quod addi debuit, cum Iulio Papa reconciliatos? Sed Iulii nomen pudore ſuppreſſum eſt, ne in Eccleſiam eos receptos dicere videretur, quibus cum Eccleſiae capite communio nondum eſſet. Et tamen hoc intelligi neceſſe eſt, ſi re vera ſunt quae dicit. Ceterum de Valente & Vrſatio, quo tempore quove impulſu ad poenitentiam adducti ſint, nemo certius noverat, nemo libentius audiendus eſt, quam (c) Athanaſius, qui nec priorem hanc Romana reſipiſcentiam iſtorum ullam agnoſcit, & huius ineundae occaſionem non ex ficta ſynodo Sirmienſi, quae etiamſi fuiſſet, ad cauſſam nihil attineret, ſed ex frequenti Epiſcoporum paſſim, tum maxime Syrorum & Pa-

(a) *Pag.* 469. 470. 473. 476. *differt.*

(b) *Lib.* 2. *frag. pag.* 24.

(c) *Apol.* 2. *pag.* 602. *ad Solitar. pag.* 699.

& Palaeſtinorum, ad Athanaſii communionem gregatim redeuntium concurſu natam refert, quum de rebus ſuis iam deſperarent, & ſtimulis acti conſcientiae remedia conquirerent. Quare ſatis, opinor, hoc etiam ex capite Mediolanenſis huius Concilii tertiaeque in eo Photini damnationis vanitas patefacta eſt.

VII. Quarto praeterea damnatum facit in ſynodo Sirmienſi, non illa celebri & nota ſub Conſtantio, ſed altera quam Conſtante ſuperſtite a catholicis Occidentalibus habitam fabulatur. Conſequens erat nimirum, ut qui futilem Mediolani ſynodum procuderat, frivolam quoque nobis daret Sirmitanam. Quid ita vero? Quia Hilarius in fragmentis ſcribit, biennio poſt damnatum in Mediolanenſi ſynodo Photinum, Epiſcopos ad illum tollendum ex epiſcopatu Sirmium convocatos. Porro Sirmii anno CCCXLIX. conveniſſe ob adnexam ab Hilario Valentis & Vrſatii reconciliationem non dubitat. Ideo Mediolanenſem ſynodum Hilarii, ſuam eſſe putat, quam biennio ante collocavit. Nos ſimpliciores Mediolanenſem accipiebamus, quam Mediolanenſem omnes vocant, & anno CCCLV. celebratam loquuntur hiſtoriae. Itaque de hoc nunc capite inter nos eſt controverſia. Quo autem argumento ecquam ſynodum Hilarius intelligat certius cognoſcemus, quam ex Photini damnatione, quam in ſynodo factam docet? At nunquam oſtendet adverſarius de Photino in ea, quam fingit, ullam fuiſſe mentionem, quia de ſynodo illa praeter ipſum nemini unquam ſubolevit. Nos in vera & omnibus nota Mediolanenſi, haereticum damnatum fuiſſe Photinum, ex ſynodi ipſius actis oſtendemus. (*a*) Extat enim & eccleſiaſticis annalibus indita eſt Concilii huius epiſtola ad Euſebium Vercellenſem his verbis.

Concilium Mediolanenſe Euſebio fratri in Domino ſalutem. Non ignorat cariſſima nobis dilectio tua, quam ſit pretioſum vinculum caritatis & pacis. Et poſt alia de Legatis ad eum miſſis: *Itaque ſinceriſſima prudentia tua, quod ſpecialiter & ſinceriter admonemus, audiat ſupradictos, & communicato pariter cum his conſilio definiat quod de nomine haereticorum Marcelli & Photini, necnon & Athanaſii ſacrilegi, totus prope definivit orbis, ne non tam veritati, quam intentioni parere videaris &c.*

VIII. Poſt tam expreſſi teſtimonii auctoritatem dubitationi locus quis eſſe poteſt? Ac mirum profecto viri docti oculos fugere hanc epiſtolam potuiſſe: aut ſi vidit, qua de ſynodo Hilarius ageret, quamve poſt biennium Sirmii coactam diceret, non percepiſſe, ne in Vrſatii & Valentis poenitentia illudi ſibi ab Hilarii fragmentis, quae alieno hanc loco recitant, pateretur, & in eruenda e parietinis, ut ait, ruderibuſque nova Sirmii ſynodo fruſtra laboraret. Quam multa ſunt enim & quam aperta quae commenti huius inanitatem refellunt?

Dd 2 Nam

(a) *An.* 355.

Nam ut omittam ſynodo iſti, ſi Athanaſio Alexandriam reverſo, (a) & Vrſatio & Valente in gratiam receptis, habita eſt, ut fingitur, punctum temporis, in quo habita ſit, ante Conſtantis obitum, qui ſub ipſum Athanaſii reditum incidit, adſignari nullum poſſe, fallitur haud dubie, quum id quod (*b*) ab Hilario dictum eſt, Athanaſii de abſtento Marcello iudicium damnationi Photini auctoritatem praebuiſſe, de hac ſynodo ſua dictum interpretatur: quaſi haerere in hac ſynodo potuerint Epiſcopi Occidentales, aut aliorum exemplum ad damnandum Photinum deſiderare, quem ipſi iam Mediolani, ſi verum eſt, ante biennium condemnarunt. Verum hoc tamen amici cauſſa diſſimulemus.

IX. Quaero igitur ecquando ab Athanaſio factum cenſeat hoc iudicium. Num ante reditum Athanaſii? At ridiculum eſt, Athanaſium a communione ſua quemquam prius quam ſedem ſuam reciperet excluſiſſe. An vero poſt reditum? Et quantulum ante Conſtantis obitum tempus fuit, ſi tamen fuit, ut de Marcello iudicare Athanaſio liceret? Poſterius ergo, interiecto, ut Severus ait, tempore iudicavit, ſed prius tamen quam Photinus argueretur; auctoritatemque, quod teſtatur Hilarius, praebuit, non ſubdititiis auctoris noſtri ſynodis, ſed veris certiſque Conciliis Mediolanenſi atque Sirmienſi, quorum in utroque damnatum reipſa Photinum fuiſſe compertum eſt. Fallitur rurſum vehementerque hallucinatur ubi maxime ſibi placere ac ſynodum ſuam egregie ſtabilire (*c*) viſus eſt, quum decretum Occidentalium de Photino, cuius meminit Hilarius, ad ſuam iſtam ſynodum & annum Chriſti CCCXLIX. transferri poſſe arbitratur. Quo certe abſurdius alieniuſque fingi nihil potuit. Quid enim? Annon teſtis Hilarius, Orientales, hoc accepto decreto, occaſionem revolvendi de Athanaſio quaeſiiſſe iudicii, & reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem ut inſtitutorum talium magiſtri addidiſſe, ut mortuam de Athanaſio ipſo iam tempore quaeſtionem, & veritatis iudicio conſepultam in publicam recordationem cauſae novitas excitaret? Quis haec autem anno CCCXLIX. convenire non poſſe, ſi verum amat, non fateatur? ut quo tempore Athanaſii ſuam in ſedem redeuntis laeta & tranquilla erant omnia, eiuſque communionem certatim univerſi & integrae ſynodi, atque ipſi etiam Arrianorum principes expetebant, eo ipſo agitaſſe in Athanaſium conſilia & odia exercuiſſe credantur, & quo ſenſu mortua ipſo iam tempore quaeſtio dici potuit, ſi non interquieverat, ſi nullo tempore ceſſarat?

X. Alia igitur ad tempora ſpectent Hilarii verba neceſſe eſt, ad illa inquam tempora Conſtantii, quibus poſt caedem Magnentii, pacatis bellis civilibus, Arrianorum in Athanaſium furor renovatus eſt. Tunc

(a) *Pag.* 470. *diſſert.*
(b) *Lib.* 2. *frag. pag.* 26.
(c) *Pag.* 473. 474. 475. *diſſert. Lib.* 1. *pag.* 27.

Tunc enim revera negatae Marcello communionis, damnatique Photini, occaſionem nacti, aſtuto, ut ſcribit Severus, conſilio innoxium criminoſis miſcentes, damnationemque Photini & Marcelli & Athanaſii eadem ſententia comprehendentes, eandem ad Athanaſii condemnationem catholicos Epiſcopos primum in Arelatenſi Concilio anno CCCLIII; tum biennio poſt in Mediolanenſi, & deinceps quandiu Conſtantius vixit, adigere conati ſunt, & vi ac minis plurimos impulerunt. De Mediolanenſi perſpicua res eſt. Tres una ibi damnatos Concilii ad Euſebium epiſtola nos docuit. Ad Arelatenſe referenda eſt, quae idipſum confirmat, Paulini Epiſcopi reſponſio; de qua Severus Epiſcopos laudans qui Arrianis non ceſſerunt, *inter quos* inquit, *Paulinus Epiſcopus Trevirorum, oblata ſibi epiſtola, ita ſubſcripſiſſe traditur, ſe in Photini atque Marcelli damnationem praebere conſenſum, de Athanaſio non probare*. Cetera praetermitto. Poterant haec ſola ſollerti viro, ſi animum adieciſſet, ſufficere; tum ut de Hilarii verbis quo ſpectarent non ambigeret, tum ut ſuam iſtam Sirmienſem, in qua fingenda & ornanda tantum operae poſuit, in ſuis mallet parietinis & ruderibus relinquere. Nunc, quoniam exploſae ſunt quatuor, quas iactabat Photini haeretici damnationes, reſtat ut de Sirmienſi vera ſynodo, in qua damnatum fuiſſe Photinum inter nos convenit, quid adverſus Priorem Diatribam noſtram in diſſertatione ſue proferat, expendamus.

CAPUT II.

Diſcuſſio eorum, quae ad priorem Diatribam reſponſa ſunt de anno ſynodi Sirmienſis, fideique formulis in ea editis.

DVo inter nos de ſynodo Sirmienſi controverſa eſſe dicebamus, unum de tempore, utrum anno CCCLI. habita ſit, ut cum Socrate ſentit auctor animadverſionum: an CCCLVII. ut Baronius; alterum de Hoſianae perfidiae formula, eademne in ſynodo edita fuerit, ut cum Socrate cenſuit Baronius, an Sirmii quidem, ſed alio tempore extra ſynodum, ut contra Socratem & Baronium auctor idem contendebat. Nos annum CCCLI. ſynodo non convenire adverſus Socratem ex Socrate ipſo arguebamus: quia ſynodo interfuiſſe Hoſium, in eaque blaſphemiam ſuam condidiſſe Socrates affirmat. Hoſium autem non ante annum CCCLVII. lapſum eſſe, ac proinde ſynodum, ſi in ea lapſus eſt, ante hunc annum cogi non potuiſſe adſtruebamus.

Quid ad haec reſpondit nupera Diſſertatio (*a*)? Socrati de anno Concilii habendam fidem eſſe, de Hoſio non habendam, quia fallitur. Cur enim vero? Vndenam hoc diſcrimen? Quia ſynodi annum, in-

(a) *Diſſert.* 379. *c.* 380. *c.* 390. *a.*

inquit, ex actis publicis haud dubie deprompſit. Quid ſi Hoſii quoque nomen ex iiſdem actis didicit? Nam mirum ſit profecto, in actis illum ſynodi quo anno celebrata ſit obſervaſſe, & in actis acta ipſa, hoc eſt quid & per quos unumquodque geſtum ſit neglexiſſe. Socratem falli nonnunquam & errare non inficior: ſed cur de anno hic potius audiendus ſit, quam de Hoſio, nondum video. An quia Conſules adſcripſit, & *nunquam*, ſi amico credimus, *temere aut falſo notas Conſulatuum adhibet*? Quaſi vero non hoc ipſo in loco, ne longius exempla repetam, in comparandis Conſulatibus pueriliter lapſus ſit Socrates, cum fidei formulam, quae Euſebii & Hypati (*a*) Conſulum nomina, hoc ẽſt anni CCCLIX. notam gerebat, ſynodo Sirmienſi, quam poſt conſulatum Sergii & Nigriniani nono ante anno habitam tradit, adſcribere non dubitavit.

Deſinat ergo vir doctus auctoritatem Socrati pro arbitrio ſuo nunc dare, nunc negare, quia ſi diſcrimen ſtatuendum hic erat, de Hoſio potius vera dixiſſe credendus eſt, in quo adſtipulatores ex antiquis habet plurimos, ut oſtendam, quam de anno ſynodi, de quo, Sozomenum ſi excipias, veterum nullus eſt qui idem ſentiat (*b*). Diffidet autem & reclamat in primis Hilarius, a quo diſerte proditum eſt, ſynodum Sirmienſem, biennio poſt Mediolanenſem, quae Photinum damnarat, conſecutam. Vnde quia Mediolanenſem anno CCCLV. celebratam fuiſſe non ambigebatur, conſequens erat, ut vinceret Baronius, rectiuſque Sirmienſem anno CCCLVII. collocaſſe cenſeretur. Quo nos Hilarii teſtimonio uſi quum eſſemus in Diatriba, non defuit acuto viro ingenium nec induſtria, qua ictum eluderet. Aliam namque ab Hilario Mediolanenſem ſynodum, aliamque Sirmienſem, non iſtas quas putamus intelligi, cauſatus eſt. Sed nos commentitias eius ſynodos anteriori capite ſic retudimus, ut fucum deinceps, ut ſpero, facere non poſſint.

Non minore, ſed nihilo feliciore argutia (*c*) expedire ſe altera obiectione noſtra conatus eſt, qua docebamus anno CCCLI. in quem ſynodum Sirmienſem coniiciebat, quum Occidentis provincias obtineret Magnentius, & bellicis motibus arderet Pannonia, vix ac ne quidem ſynodum in ea convocare Conſtantio licuiſſe. Et vero arduum atque incredibile videbatur, quum a bello bellique apparatu vacua eius anni nulla pars foret, inter armorum ſtrepitus opportunum ac liberum cogendo habendoque Concilio reperiri tempus potuiſſe. At reperit tamen. Sic enim calculos ſubducit. *Victus eſt*, inquit, *Magnentius a Conſtantio* (*d*) IV. *Kalendas Octobres. Quocirca anni maiori parte, hoc eſt prioribus menſibus, & ab Octobri deinceps potuit Conſtantius Sirmii Epiſcoporum habere conventum*. Quaſi temporis momento bellum

(a) *Lib.* 2. 24.
(b) *Fragm. lib.* 1. 23.
(c) *Diſſert. pag.* 389. *a.*
(d) *Diſſert. pag.* 389. *c. a.*

lum id comparatum, geſtum, confectumque ſit, nullam ut anni partem, nullam diem praeter IV. Kalend. Octobres occuparent hoſtiles illi tot locis impetus & impreſſiones, pontes fluminibus impoſiti, caſtra oppidis admota, & quaecumque ad Siſciam, Sirmiumque ipſum, ad Cibalim & Murſam geſta Zoſimus refert (*a*). Sentio tamen quid dicturus ſit, aeſtivos belloque aptos menſes occupaſſe, reliquos ſynodo conceſſiſſe. Quoſnam vero? hibernos videlicet. Nempe ut ad ceteras difficultates haec etiam accederet, ut quum plurimis ex provinciis congregatos ad ſynodum Sirmienſem Epiſcopos teſtetur Hilarius, ex Oriente (*b*) & Occidente Socrates & Sozomenus, his ut adeſſent neceſſe fuerit aut ninguidos montes ſaltuſque aliena tempeſtate tranſgredi, aut nondum aperto mari, ſi navigandum erat, vel iam clauſo, cum procellis & fluctibus luctari. Tantis cum incommodis, tanta coeli inclementia, imperari vel cogi anno CCCLI. Synodum potuiſſe ſupra fidem ducebamus, amico noſtro novarum ſynodorum artifici credere libuit, tametſi affine, aut ſimile ſynodi exemplum nullum, niſi fallor, proferri poſſit.

De hoc igitur capite dictum ſatis. Supereſt ut de altero diſſeramus hoc eſt de perfidia Hoſiana, quam quum in ſynodo ulla editam in Epiphanianis animadverſionibus negaret, nunc Diatribae noſtrae admonitu, Phoebadium Aginnenſem Epiſcopum ſuggerentis, qui in ſynodo, & Vigilium Africanum, qui in ſynodo Sirmienſi conſcriptam diſertis verbis pronuntiarunt, ſententiam mutavit. In Concilio enim Sirmienſi, quod negare amplius non poterat, conditam fatetur: ſed Concilium hoc diverſum ab eo vult fuiſſe, in quo Photinus condemnatus eſt. Itaque ſi illum nunc audimus, triplex iam apud Sirmium numeranda eſt ſynodus. Prima Occidentalium ſub Conſtante, altera Orientalium ſub Conſtantio, tertia iſta in qua lapſum vult Hoſium. Et ubi eſt quod in Animadverſionibus tam affeveranter praedicabat, *ex antiquis patribus* (*c*) *odoratum ſe eſſe, tres omnino conventus Epiſcoporum eodem in Sirmienſi oppido non iiſdem temporibus celebratos fuiſſe: quorum primus dumtaxat Synodicus & indictus fuerit, reliqui duo fortuiti, minimeque Conciliorum loco & nomine cenſendi?* Unicam ſynodum Sirmienſem tunc noverat, nunc tres affirmat. Erraſſe illum tunc temporis dicemus, an modo?

Sed verius certiuſque, quod antea ſenſerat, ſynodum Sirmienſem unicam fuiſſe, in qua & damnatus ſit Photinus, & Hoſiana blaſphemia perſcripta. Quis enim veterum ſcriptorum ſynodos Sirmienſes plures una numeravit? quis Hoſianam a Photiniana diſtinxit, aut quis, quum apud Hilarium, Athanaſium Phoebadium, & alios, atque in ſynodo Ancyrana ſynodi Sirmienſis & ſynodi Sardicenſis coniuncta no-

(a) *Lib.* 2. *Hiſt.*
(b) *Lib.* 1. 23. *Lib.* 2. 24. *Lib.* 4. 5.
(c) *Pag.* 311.

Digitized by Google

nomina legit, non ſicut unicam Sardicae ſynodum cogitat, ſic unicam Sirmii? & quum in ſynodo Sirmienſi lapſum eſſe Hoſium Vigilius teſtatur, aliud quam in hac unica lapſum ſuſpicari poſſit? Sed repugnat acerrime, & argumenta ingerit, ex quibus confici putat, Hoſii lapſum ſynodo, in qua damnatus eſt Photinus, tribui non poſſe, auctores etiam ſibi eſſe ait, qui ſynodum utramque diſtinguant. Argumentis olim quatuor in Animadverſionibus ſuis uſum memini, ſingulisque a me in Diatriba reſponſum. Nunc duobus contentus reliquis abſtinet, quia in his deceptum ſe, ut reor, ex refutatione noſtra deprehendit. Poterat, niſi cauſae ſerviret, iſtorum etiam repetitione ſuperſedere, quorum vim omnem Diatriba iam eliſerat.

Quid enim eſt, quod priore loco tam enixe & tam multis verbis ediſſerit, ut probet, formulam Hoſianam in Sirmienſi contra Photinum ſynodo conditam non fuiſſe? Quia quum iſta, inquit, formula publicata eſſet, atque in Orientem perlata, vehementer exarſit Baſilius Ancyranus (*a*) & alii cum illo Epiſcopi Semiarriani, eamque mox in ſynodo Ancyrana decretis ſuis confoderunt. At ſynodo Sirmienſi Baſilius idem non ſolum interfuit, ſed pene etiam praefuit. Quid igitur fingi abſurdius poteſt, quam in illa ſynodo, praeſente Baſilio, eam fidei conceptam eſſe formulam, quam is paucis poſt menſibus deteſtatus eſt? Haec ſumma ratiocinationis eius, quam in Diatriba iam diluimus. Oſtendimus enim Epiſcopos, qui Sirmium ad ſynodum convenerant, poſt damnatum communibus ſuffragiis Photinum bifariam diviſos, diverſas exinde, ut diverſarum ſententiarum erant, placitis ſuis congruentes fidei formulas edidiſſe: Orientales Graecam, quae ſimilem ſubſtantia patri filium ſtatuebat; Occidentales Latinam, quae diſſimilem profitebatur, & Hoſii blaſphemia nuncupata eſt. Quis porro Sirmii factum miretur, quod & antea Sardicae & Arimini poſtea factum non ignoret? Nam & in ſynodo Sardicenſi, ut obſervabamus, diviſis inter ſe Occidentalibus & Orientalibus Epiſcopis, ſuas utrique prorſus diſcrepantes ſynodicas conſcripſere, quas in Fragmentis Hilarii videre eſt: & in Ariminenſi aliam fuiſſe (*b*) Catholicorum definitionem (*c*), quae in iiſdem Fragmentis legitur (*d*), aliam Arrianos ſuggeſſiſſe omnibus notum eſt. Denique in Conciliis, ubi diverſarum partium erant Epiſcopi, uſitatius nihil fuit, quam ut diverſa itidem partium ſtudia, diverſi congreſſus, & diverſae verbis ſcriptiſque definitiones cernerentur. Quae ſingula ſeorſim ita fiebant a ſingulis, ut talia geri & ſcribi ab aliis pars adverſa non neſciret, gerendis tamen ſcribendiſque non adeſſet. Quare in Sirmienſi Concilio, cuius pars una Semiarrianorum fuit, quorum princeps Baſilius Ancyranus, pars Arrianorum, in quibus Valens, Vr-

(a) *Diſſert. pag.* 379. *&* 380.
(b) *Lib.* 1. 7.
(c) *Lib* 2. 6.
(d) *Lib.* 2. 41.

Digitized by Google

Vrſacius, & ceteri ſimilis pravitatis, abſurdum ſit, non duas extitiſſe formulas, quod in multis ſaepe Conciliis factum eſt; ſed de Baſilio ſciſcitari, an Hoſiana eo conſcio vel praeſente ſcripta ſit, quaſi hoc neceſſe fuerit: ultrone an invitus illi ſubſcripſerit, quaſi ab eo quiſquam ut ſubſcriberet flagitarit: cur denique illam dictari paſſus ſit, quaſi vetare aut inhibere potuerit. Poſt damnationem namque Photini, quem pars utraque ut diverſa ſentientem communi calculo damnarat, in ſuas deinceps privatim definitiones incubuere, quod pars una faceret hoc alteram facere non neſcii, ſed quominus libere ſua tractarent, minime ſolliciti. Quid ergo eſt quod formulae iſtius cauſa exarſiſſe fertur cum Semiarrianis ſuis Baſilius? Male hos habebat urebatque, non talia ſcribi ab Arrianis, quorum ipſi cuiuſmodi placita eſſent non ignorabant: ſed quod perlata in Orientem Hoſii formula ſpiritus inflatos audirent Eudoxii Antiocheni, ceterorumque, quibus illa favebat Anomoeanorum, atque hoc iam licentius haereſim ſuam venditareit, quod hanc Occidentales Valentis & Vrſacii opera ſuſcepiſſe iactarentur. Qua re perculſi incenſique non ante conquieverunt, quam & in ſynodo Ancyrana ſuis illam decretis averterent, & a Conſtantio per legatos, ut eandem edicto ſuo tollerent, impetrarent.

Nec vero propterea quod formulam iſtam oppugnantes petierunt a principe Legati (a), *ut rata eſſent quae apud Sardicam & Sirmium in ſynodis decreta fuerant*, idcirco conſcriptam in Sirmienſi non fuiſſe argumentari liceat. Neque enim omnia, quae apud Sardicam & Sirmium decreta fuerant, confirmari petebant, ſed ea dumtaxat, quae Orientales decreverant, ea nimirum, *in quibus definitum erat, ſimilem eſſe ſecundum ſubſtantiam patri filium*, quod utroque in Concilio decretis ſuis ſanxerant Orientales, quum Occidentales contra in Sardicenſi conſubſtantialem, in Sirmienſi diſſimilem ſubſtantia profeſſi ſint. Ceterum ut ridiculus fuerit, qui ea, quae Occidentales apud Sardicam profeſſi ſunt, idcirco ad ſynodum illam pertinere negaret, quia Orientales in eadem ſynodo aliter ſentiebant: ſic Hoſii formulam ad ſynodum pertinere, atque in ea conceptam & conſcriptam fuiſſe nihil vetat, quamvis hanc Orientales non probarint.

Nec virium plus habent (b) ea, quae ſecundo loco de formularum titulis & inſcriptionibus ex Hilario depromuntur. Hilarius in libro de ſynodis: aliter, inquit, Hoſianam formulam inſcribit, aliter Photinianam. Hoſianae ſiquidem hoc lemma praeſcribit, *Exemplum blaſphemiae apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptae*: alteri vero, *Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptae*. Quid ex Inſcriptionibus iſtis arguit vir doctus? Ab Orientalibus plena in ſynodo ſcriptam fuiſſe formulam poſteriorem, alte-

(a) *Diſſert.* 380. & 381. (b) *Diſſert. pag.* 553. *a.*

Digitized by Google

ram non niſi ab uno alterove. Atqui hoc inter nos, opinor, non quaeritur, paucioreſne numero fuerint qui Hoſianam conflarunt, quam qui alteram. Vigilius quidem, quum per Hoſium, Valentem, Vrſacium, Germinium, ceteroſque ſimilis pravitatis conſcriptam refert; non exiguo numero fuiſſe indicat. Sed fuerint ſane pauciores, an ideo ſequitur in eadem ſynodo conditam non fuiſſe? immo vero, ſi Hilarii mentem & verba introſpicimus, in eadem utramque conditam oſtendunt. Quid enim opus erat, cum ſolas Orientalium fides proferret, de hac ſpeciatim monere, ab Orientalibus fuiſſe conſcriptam, niſi ut alteram, id eſt Hoſianam ſecerneret, quam in eadem ſynodo conditam meminerat, ſed ad Orientales minime pertinere?

Contra nos igitur nihil facit hic locus Hilarii (*a*). Ne alter quidem, in quo Epiſcoporum Orientalium diverſis & locis & temporibus conſcriptas fides ſe commemoraturum ſignificat. Vnde colligi volunt, Sirmienſem formulam contra Photinum diverſo vel loco vel tempore ab ea conſcriptam eſſe, quam dicimus Hoſianam. *At loco*, inquit, *diverſa non eſt*, *tempore igitur diverſa ſit oportet*. Videlicet Hilarius diverſis & locis & temporibus conſcriptas dixerat. Timuit vir doctus, ne Hilarii dicto veritas non conſtaret, itaque diverſas vel loco vel tempore interpretatus eſt, nempe ut Hoſianam includeret, quam loco diverſam a Photiniana dici non poſſe ſentiebat, tempore ab Hilario diſtinctam perſuadere voluit, ſed in caſſum. Ecquas enim fidei formulas deſcribit Hilarius? quas a Gallis expeti noverat. Orientalium ſcilicet Epiſcoporum. Quis ergo hic locus Hoſianae, quae Orientalium non erat, nec Gallis ignota, qui hanc nuper ad ſe miſſam repudiarant, quamque Hilarius ipſe invitum ſe operi ſuo inſeruiſſe teſtatur, tantum ut Orientalium e diverſo reſponſiones noſcerentur? Orientales namque ſolas complecti animus erat, Antiochenam, Sardicenſem, Sirmienſem & Ancyranam, quas omnes veriſſimum eſt diverſis, quod perhibet, & locis & temporibus ſcriptas fuiſſe. Itaque nihil hic opus fuit illius gloſſemate.

Poſt Hilarium iterum obiicitur Vigilius, non ſanctus ille martyr Tridentinus (*b*), ut multis perſuaſum videtur, ſed alter annis centum & quinquaginta poſterior, Epiſcopus Africanus, qui Iuſtiniano imperante, adverſus Neſtorium & Eutychen Conſtantinopoli ſcripſit. Huius ergo verbis egregie id quod volebat affirmari, Hoſianamque profeſſionem in diverſa ſynodo ab ea, quae Photinum deiecit, editam probari ait, dum ſynodum Orientalium contra Photinum catholicum Concilium appellat, eiuſque ſanctiones collaudat; illum vero coetum Epiſcoporum, qui Hoſianam condidit, haereſis & impietatis arguit. Veri ſpeciem aliquam habent iſta, nec inficior, ſed ſpeciem duntaxat: re autem vera non duas diverſas ſynodos Sirmienſes denotant, ſed

(a) *Diſſert. pag.* 553. *b.*

(b) *Diſſert. pag.* 553. *d.*

ſed ſynodi eiuſdem duas, ut ante dixi, partes diverſas, placitis inter ſe doctrinaque diſcrepantes, quarum altera Hoſianae perfidiae auctor fuit, altera formulae illius, quae contra Photinum Graece conſcripta eſt. Harum partium alteram, quae Orientalium Epiſcoporum fuit, a quibus poſterior formula manarat, Concilium Sirmienſe Vigilius appellat, & quidem catholicum. At Sirmienſe Concilium partem quoque alteram, in qua lapſus eſt Hoſius, idem Vigilius nominat in libro de unitate Dei, cuius verba in priore Diatriba deſcripſimus. Porro quemadmodum in Fragmentis Hilarii, quum diverſas Orientalium & Occidentalium, qui apud Sardicam convenerant, epiſtolas legimus, & utriſque ſynodi Sardicenſis praeſcriptum nomen cernimus, haud quaquam diverſas ſynodos Sardicenſes auguramur, ſed ſynodi eiusdem diverſas partes: ita prorſus de Sirmienſi ſtatuendum eſt, operamque eos ludere, qui contra nitantur.

CAPVT III.

De loco Fragmentorum Hilarii, ſcholiiſque ad eum illuſtrandum a viro docto editis.

ERroris auctori noſtro ad novas ſynodos excogitandas occaſio nata eſt ex Fragmentis Hilarii. In quibus quum Valentis & Vrſacii poenitentiam biennio poſt ſynodum Mediolanenſem ſub ſynodi Sirmienſis exordia poſitam videret, poenitentiamque iſtam redeunte Alexandriam Athanaſio anno CCCXLIX. contigiſſe non ignoraret, in hanc ſe fraudem impelli paſſus eſt, ut quoniam Hilarii verba quemadmodum de Mediolanenſi & Sirmienſi, quae ſub Conſtantio celebratae ſunt, intelligi poſſent non capiebat, alias nobis ſub Conſtante nominis eiuſdem ſynodos fingeret, de quibus Hilarium accipi iuberet. Vt ſcopulum hunc vitaret, nec in ſententiam ab Hilario alienam incurreret, animadvertere potuit, Valentis & Vrſacii reſipiſcentiam in Fragmentis illis loco non ſuo commemorari (*a*). Et vero quum propoſitum ſit Hilario, ut ipſa operis praefatio declarat, res ſub Conſtantio geſtas complecti, & initium ducere a ſynodo Arelatenſi, quid ab eius mente fingi poſſit disiunctius, quam ut locum hic habeant ſynodi, quae ſub Conſtante habitae dicantur, & Arelatenſi fuerint antiquiores? Deinde, ſi Athanaſii de Marcello iudicium Conſtantis obitum praecedere non potuit, ut ſuperius oſtenſum eſt, Marcellum autem priuſquam Photinus argueretur, ab Athanaſii communione ſummorum auctor eſt Hilarius, qui convenit, ut Hilario notas fuiſſe credamus has ſynodos, quae ſi verae ſint, Hilario manifeſtiſſime repugnent?
Placuit tamen hic error auctori, & ita placuit, ut eius firmandi ſtu-

(*a*) *Pag.* 6.

ſtudio verba Hilarii, in quibus coniecturas ſuas commode ſibi repraeſentare viſus eſt, longius deſcribenda, ſcholiiſque ſuis illuſtranda iudicarit (a). Quaſi vero, nec enim diſpar eſt ratio, duas nos apud Sardicam ſynodos propterea fingere ſit opus, quia ſynodum Sardicenſem, quam a Conſtantini filiis congregatas omnes norunt, a Conſtantino patre convocatam Sulpitius Severus falſo tradit: aut quia Valentem & Vrſacium, ne a re noſtra egrediamur, in Concilio Mediolanenſi veniam adeptos dicere videtur epiſtola ſynodi Ariminenſis, eo effici queat, reconciliationem iſtorum, quam unicam fuiſſe, Romaeque a Iulio Papa factam omnibus eſt in confeſſo, non unam revera ſed geminam extitiſſe. Quod ſi nec duas Sardicae ſynodos, nec duplicem Vrſacii & Valentis reconciliationem dici patitur, ſatiuſque intelligit errorem in Hiſtoria Severi, & in Ariminenſi epiſtola confiteri, quam ex falſis falſa concludere, & omnibus adverſari: cur idem iudicium in Fragmentis Hilarii nos ſequi non ſinit, aut ſecutus ipſe non eſt? praeſertim quum, ſecluſa & reiecta Vrſacii & Valentis mentione, quam adſcititiam hoc loco & alienam diximus, praeclare cetera conſentiant, totaque iſta novarum ſynodorum ſuſpicio & color evaneſcat? Quae quum ita ſint, ſcholia iſta, quae in his confirgendis tota ſunt, & ſua ſponte iam corrunt, ſupervacaneum ſit confutare, quamquam illa, quum eadem inculcent, novique nihil adferant, ſatis antea ſuperque a nobis refutata & labefactata ſunt.

Finem tamen ante non faciam, quam id patefaciam, in quo maxime ſumma conſiſtit, & quod a nobis iam pridem, niſi ſtudio dilatum eſſet, minime diſſimulari oportebat, Decretum illud Occidentalium de Photino ad Orientales miſſum, quod a ſua Sirmienſi profectum auctor volebat, & quo accepto revolvendi in Athanaſium iudicii occaſionem quaeſiiſſe dicuntur Orientales, non falſae iſtius ſynodi, quae nulla fuit, decretum fuiſſe, ſed Romanae: quam a Iulio Papa ante mortem anno CCCLII. habitam indicio eſt Liberii ad eoſdem Orientales epiſtola (b), quae in Hilarii fragmentis habetur: quamque ab Hilario ipſo deſignari, quum haereſim Photini a Romanis damnatam ſcribit, non dubitem affirmare. Sic autem ſe habet.

Dilectiſſimis fratribus & coepiſcopis noſtris univerſis per Orientem conſtitutis Liberius urbis Romae Epiſcopus ſalutem.

STudens paci & concordiae Eccleſiarum poſteaquam literas caritatis veſtrae de nomine Athanaſii & ceterorum factas ad nomen Iulii bonae memoriae Epiſcopi accepi, ſecutus traditionem maiorum, preſbyteros urbis Romae Lucium, Paulum, & Helianum a Latere meo ad Alexandriam ad Athanaſium direxi, ut ad urbem Romam veniret,

(a) *Diſſert. pag.* 557. 558. 559. *&c.* (b) *Lib.* 1. 36. *Lib.* 1. 25.

Digitized by Google

ret, &c. Ex his verbis apparet quod dixi, Iulium ſub vitae finem ad Orientales de Photino literas dediſſe: Orientalium vero epiſtolam qua Iulio reſpondebant, eo mortuo, ſucceſſori eius Liberio redditam fuiſſe. In hac illos Athanaſium ceteris, id eſt Marcello & Photino ita miſcuiſſe, ut obſcurum non eſſet, machinas illorum in Athanaſium praecipue dirigi, eamque ob rem de illo uno reſcribere Liberium. Sed & Hilarius ipſe in prima operis parte argumentum idem tractans adverſus Orientales, ab Athanaſii defenſione orditur, in eaque copioſius verſatur: tametſi hodie mutila eſt, & principio caret, quod Sardicenſis Concilii epiſtolas, quarum teſtimonio utebatur, & quae primum locum nunc obtinent, praecedebat. De Photino autem duas tantum, quae de illo iudicarant, ſynodos memorat, Mediolanenſem & Sirmienſem. De Marcello id unum maxime, *neque tunc cum de Photino*, ſic enim legendum, *decretum ab Occidentalibus eſt, aliquod in eum expreſſum fuiſſe judicium, de Photino tantum epiſtolas eſſe factas. Sed Orientales reſcribentes de Photino Marcelli mentionem addidiſſe*. Decretum hoc ſynodi Sirmienſis, quae ſub Conſtante fingebatur, ſi eſſe non potuit, ut ſuo loco demonſtravimus; ſi Romanae revera fuit, ut ex Liberii epiſtola non inani coniectura didicimus: quid reſtat, niſi ut minus feliciter locatam ab auctore in ſcholiis iſtis & in Diſſertatione tota operam intelligamus?

APPENDIX.

SVnt qui adverſus Baronii ſententiam de ſynodo Sirmienſi novam machinam inſtrui poſſe putent ex nomine Thalaſſii, quem Ammianus Marcellinus obiiſſe tradit Conſtantio VII. Conſule, id eſt anno Chriſti CCCLIV. Sic enim ratiocinantur. Iudices Photino poſt ſynodum ex aula dati, Epiphanio teſte, hi fuerunt: Thalaſſius, Datianus, Cerealis, Taurus, Marcellinus, Evanthius, Olympius & Leontius. Si poſt ſynodum, inquiunt, ut cum Epiphanio innuere videntur Socrates & Sozomenus, factum eſt hoc iudicium, atque in hoc iudicio ſedit Thalaſſius, non poteſt ſynodus coacta dici anno CCCLVII. ante quem Thalaſſius vivere deſiit, falliturque Baronius qui ad hunc annum refert. Res perſpicua, ut apparet, ac minime dubia. Attamen ſi retorquere libeat, & ex nomine Marcellini, qui in eodem eſt numero iudicum, ſimiliter argumentari, ut doceamus anno CCCLI. ſynodum adſcribi non poſſe, quod abſurdiſſimum ſit Marcellinum Magiſtrum officiorum, qui Magnentianarum partium Princeps fuit, & eodem illo anno in caſtris Magnentii pugnabat adverſus Conſtantinum, delectum a Conſtantio iudicem exiſtimari: hoc inquam argumenti genere ſi utamur, quid reſpondebunt? Negabunt, opinor, eundem eſſe Marcellinum. Et nos ſi negemus eundem eſſe Thalaſ-
ſium,

Digitized by Google

ſium, qua ratione convincent? Ex Ammiani Marcellini verbis Thalaſſium contendunt ad annum CCCLVII. non perveniſſe. Nos contra iſto ipſo anno Thalaſſium Praefectum praetorio fuiſſe docemus ex Lege VI. cod. Theod. *De Iudaeis* &c. cuius inſcriptio eſt *Imp. Conſtantius & Iulianus Caeſar ad Thalaſſium P. F. P.* ſubſcriptio autem huiuſmodi: *Dat. v. nonas Iulias Mediolani Conſtantio Aug. IX. & Iuliano Caeſare Coſſ.* Non latet nos mendum ſubſcriptioni ſubeſſe, quatenus data lex dicitur Mediolani, quum illo anno, nec Conſtantius Mediolani fuerit, nec Iulianus, ſed ille Sirmii, hic vero in Galliis. Sed quoquomodo emendari placeat, Baronio prorſus lex favet, ſi ſalva eſt nota Conſulatus; adverſarios refellit, ſi vera eſt inſcriptio. Nam quum Thalaſſii mortem Gallo adhuc ſuperſtite compertam ſcribat Marcellinus, Iuliani, qui Gallo ſucceſſit, non potuit ad Thalaſſium lex dari, ſi Thalaſſius iam obierat. Quare aut falſa eſt Marcellini de morte Thalaſſii aſſertio, ſi unus idemque eſt Thalaſſius, aut caſſa, ſi duo fuerunt, quae contra Baronium ex Thalaſſii iudicio ducebatur argumentatio.

DIONYSII PETAVII

ELENCHVS

DIATRIBAE VTRIVSQVE

DE PHOTINO

ET SIRMIENSI SYNODO.

CAPVT I.

Quibus argumentis Mediolanenſis nova Synodus aſtruitur, necnon Sirmienſis; illa anno Chriſti 347. haec anno 349. Refelluntur quae in Diatribae ſecundae capite primo contra ambas expoſita ſunt.

Diſſertationis noſtrae de Photino haeretico nuper editae duplex inſtitutum fuit: alterum, ſynodos duas aſſerere, atque e tenebris vindicare in lucem, Mediolanenſem, & Sirmienſem priorem; in quibus ab Catholicis damnatus eſt Photinus: alterum, poſterioris ſynodi Sirmienſis, quam haeretici celebrarunt, annum ex Socratis auctoritate conſtituere, Chriſti 351. non, ut recens opinio fert, 357. Vtrumque Diatribae auctor impugnat, cui nos hoc ordine reſpondebimus, ut de primario controverſiae capite primum agamus: tum

Digitized by Google

tum de ceteris, quae velut incidentia ſunt, neque ad praecipuam quaeſtionem pertinent.

Imprimis ergo Mediolanenſem quamdam ſynodum ab Catholicis habitam eſſe defendimus, in qua Photini damnata eſt haereſis: & Vrſacius, ac Valens, rogata venia, recepti ſunt, quod anno 347. paullo poſt Sardicenſem ſynodum accidiſſe videtur. Hanc biennio poſtea excepiſſe Sirmienſem alteram dicimus, in qua Photinus Catholicorum ſententia depoſitus propter populi factionem amoveri nondum potuit. Quas quidem ambas ſynodos ignoratas hactenus, ex Ariminenſi ſynodica, & Hilarii fragmentis hunc in modum adſtruimus.

In Concilii Ariminenſis epiſtola, quam Catholici Epiſcopi, nondum depravata haereticorum verſutia ſynodo illa, ſcripſerunt ad Conſtantium Imperatorem; vehemens habetur expoſtulatio contra Vrſacium, & Valentem ſigniferos Arrianae perfidiae: quorum levitas & inconſtantia notatur, quod quum in Mediolanenſi Concilio anteactorum criminum veniam libellis oblatis impetraſſent, ad eandem illam rediiſſent poſtea (a). Ὅθεν Οὐρσάκιος τε καὶ Οὐάλης, ἐπειδὴ ἐκπάλαι μέτοχοί τε, καὶ σύμφωνοι τοῦ Ἀρειανοῦ δόγματος ἦσαν καθεστηκότες, καὶ τῆς ἡμετέρας κοινωνίας χωρισθέντες ἀπεφάνθησαν· ἧς ἵνα μετάσχωσιν ἐφ' οἷς ἑαυτοῖς συνεγνώκεισαν πλημμελήσαντες, μετανοίας τε, καὶ συγγνώμης ἠξίουν τυχεῖν. ὡς καὶ τὰ ἔγγραφα τὰ ὑπ' ἐκείνων γεγενημένα μαρτυρεῖ· δι' ὧν ἁπάντων φειδὼ γεγένηται· ἦν δὲ ὁ καιρὸς, καθ' ὃν ταῦτα ἐπράττετο, ὅτε ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον τῆς συνόδου συνεκροτεῖτο, συμπαρόντων δὲ καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας. Quae ſic in Tripartita vertit Epiphanius Scholaſticus (b): *Quapropter Vrſacius & Valens, quoniam participes & concordes Arriani dogmatis erant, a noſtra ſunt communione ſegregati. Quam ut reciperent, cognoſcentes delicta, quibus peccaverunt, poenitentiam, atque veniam impetrare poſcebant: & reſcripta eorum haec ita ſe habere teſtantur, per quae criminum veniam conſecuti ſunt. Erat enim tempus, quo haec geſta noſcuntur, quando Mediolani ſynodus celebrata eſt, praeſentibus Romanae Eccleſiae presbyteris.* Haec epiſtola ab Athanaſio deſcripta legitur (c) in libro de Synodis; necnon apud (d) Socratem, (e) Theodoretum, (f) Sozomenum, (g) Nicephorum, tum in (h) Tripartita, & (i) Hilarii Fragmentis, ubi, ſine ulla varietate ſcriptum eſt, Vrſacium & Valentem in Mediolanenſi ſynodo libellis oblatis veniam exoraſſe, ut certiſſimum ſit, hoc omnino Ariminenſes patres in epiſtola ſua po-

in

(a) *Theodoret. l. 2. hiſt. Eccl. cap. 19.*
(b) *Lib. 5. c. 21.*
(c) *p. 676.*
(d) *Lib. 2. cap.* λζ.
(e) *Lib. 2. c. 19.*
(f) *Lib. 4. c. 18.*
(g) *Lib. 9. c. 40.*
(h) *Lib. 5. c. 21.*
(i) *pag 39. editionis Pariſ. anni 1598.*

Digitized by Google

fuiſſe. Porro quum Vrſacii & Valentis illa reconciliatio ante annum 350. inciderit, neceſſe eſt Mediolanenſem quoque ſynodum, ad quam ſupplices adierunt, eumdem annum anteceſſiſſe. Quare diverſa fuit iſta ſynodus ab alia Mediolanenſi, quae an. 355. celebrata eſt.

Conferantur modo cum Ariminenſi illa ſynodica, quae Hilarius in fragmentis de eadem, ut apparet, ſynodo ſcribit (a): *Igitur ad tollendum*, inquit, *ex epiſcopatu Photinum, qui ante biennium iam in Mediolanenſi ſynodo erat haereticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur Sacerdotes, hoc magis ſolliciti, atque anxii, turbari rurſum, miſcerique omnia, quod iam pridem plures Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio iudiciorum, vel communionis haereſis Arrianae, ab Eccleſia fuerat neceſſe reſecare. Quam opportunitatem nacti Vrſacius & Valens Romanae plebis epiſcopum adeunt; recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant.* Subiicit Hilarius amborum libellum oblatum Iulio Papae; tum ita loquitur (b): *Haec epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quam haereſis Photini a Romanis damnata eſt.* Ex quibus efficitur, Mediolanenſem ſynodum biennio contigiſſe antequam Vrſacius & Valens Iulio Papae libellum offerrent: biennio itidem antequam Sirmii ad deponendum Photinum ſynodus haberetur a Catholicis, de qua mox. Quare quum anno 349. Vrſacius & Valens Iulio Papae libellum obtulerint, ut in Diſſertatione probatum eſt; conſequens fit, anno 347. Mediolani ſynodum eſſe collectam; indidemque concluditur, Sirmienſem illam ſynodum anno 349. eſſe factam, nempe biennio poſt Mediolanenſem, & eodem anno, quo Valens & Vrſacius Iulium adierunt.

Hoc invictum argumentum eſt; quod nulla tergiverſatio poteſt eludere. Sed neque Diatriba tota probabile quicquam adfert, quod recte & citra ambages illi reſpondeat.

Nam quod in Ariminenſem epiſtolam (c) irrepſiſſe per errorem putat illud de Mediolanenſi ſynodo, ex Valentis & Vrſacii ad Iulium libello; divinantis eſt, & utcunque extricare ſe cupientis; potius quam bona fide, & ex animo reſpondentis, haec exceptio. Cui enim perſuaderi queat, Ariminenſem in eo ſynodicam eſſe falſam? Id ſi eſſet, vel librariorum ea culpa foret, vel Ariminenſium ipſorum praeſulum. Vtrumque autem incredibile eſt: immo etiam abſurdum. Etenim neque librarios in tam diverſis auctoribus, qui illam Graece latineque deſcripſerunt, corrumpendis, illo loco conſpiraſſe veriſimile eſt: neque in tanto Ariminenſium numero, qui, quae viderant, magna ex parte referebant, fuiſſe neminem, qui erroris admoneret. Deinde quid Hilario faciemus aequali temporum illorum, qui Valentis & Vrſacii epiſtolam interpretetur; & quod apud Mediolanum porrectum a ſe

(a) *Pag.* 23.
(b) *Pag.* 25.
(c) *Diatrib. II. pag.* 398. *d.*

a ſe priorem libellum iſti dicunt, ad Mediolanenſem ſynodum refert, in qua Fotinu a Romanis, utique Catholicis, biennio erat ante damnatus? Nam biennio ante Sirmienſem ſynodum, in qua depoſitus, nec amotus eſt a catholicis, Mediolanenſem ſynodum celebratam eſſe docet. Deinde poſt Valentis & Vrſacii libellos ita ſubiicit: *Haec epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quam haereſis Fotini a Romanis damnata eſt*. Vbi autem, & a quibus damnata, paullo ante docuit: *Igitur ad tollendum ex epiſcopatu Fotinum, qui ante biennium iam in Mediolanenſi ſynodo erat haereticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur ſacerdotes*. Profecto, ſi quis in nobis eſt candor, atque aequitas, fateri cogimur, in Mediolanenſi aliqua ſynodo catholica Valentem & Vrſacium priorem libellum obtuliſſe; quod Ariminenſes praeſules diſertis verbis aſſerunt. Neque enim in tam recenti memoria, contra Valentem & Vrſacium Conſtantii Imperatoris intimos ad Imperatorem ipſum publice, & e ſynodo ſcribentes, de utroque mentiri tam inſigniter potuerunt. (*a*)

At enim probabile non eſt, Valentem & Vrſacium *pro facinoribus ſuis a Sardicenſi proxime deiectos ad frugem tam ſubito converſos advolaſſe Mediolanum, ibique communionem ſine mora recepiſſe*. Deinde *ſi recepti fuerunt, quid eſt quod biennio poſt concilium illud narrat Hilarius, Vrſacium & Valentem Romanae plebis Epiſcopum adiiſſe, recipi ſe in Eccleſiam depraecantes?* Quum de facto conſtet, de facti cauſſa & ordine litigare, & otioſi, & nimie contentioſi hominis eſt. Quam multa in hiſtoriis occurrunt, quae, ut certo eveniſſe ſcimus, ſic fieri potuiſſe miramur? Neque enim rerum omnium geſtarum rationes ab ſcriptoribus memoriae proditae ſunt: & breviſſimo interdum tempore magnae rerum converſiones incidunt; quas nullius coniectura & ſuſpicio conſequi poteſt.

Poſtremo, quod in omni noſtra defenſione validiſſimum, & *ἀναντίρρητον* eſt, ſi erravit in eo diſſertatio noſtra, non mihi, ſed antiquiſſimis illorum ſcriptoribus temporum tribuendus hic error eſt, Ariminenſi Concilio, & Hilario, quos negari non poteſt plane hoc, quod ſcripſimus, aperteque teſtari. Quibus & Liberius adiungi poteſt Romanus Pontifex, qui in colloquio, quod habuit cum Imperatore Conſtantio, refert, Vrſacium & Valentem *libellos in ſynodo dediſſe, quibus veniam rogabant ob id nominatim, quod in Mareote provincia per calumniam ex una parte contra Athanaſium acta confecerint*. οἱ ἐν τῇ συνόδῳ βιβλία ἐπιδεδώκασι συγγνώμην αἰτοῦντες, ἐφ᾽ οἷς ἐν τῷ Μαρεώτῃ κατὰ συκοφαντίαν ἐκ μονομεροῦς συνεθήκαντο κατὰ Ἀθανασίου ὑπομνήματα. (*b*) Baronius in Annalibus exiſtimavit, hanc ſynodum fuiſſe Sardicenſem; (*c*) cuius opinionis anſam ex Epiphanii Scho-

(a) *Diatrib. II pag. 398. e.*
(b) *Theodoretus lib. 2. cap. 16.*
(c) *Ad annum 347.*

laſtici Latina verſione fateor arripi poſſe. Sed Graeca ipſa ſi quis adhibeat, ad aliam ſynodum pertinere iſtud intelliget (a), quum alioqui in Sardicenſi conſtet, prorſus illos eſſe damnatos. Quod ſi in Sardicenſi ipſa ſynodo, in qua proſcripti, exauctoritatique ſunt Vrſacius & Valens, nec uſquam in ea recepti leguntur: tamen in ea reſipuiſſe, & libellos obtuliſſe tantus vir abſurdum non iudicavit; unius loci Latina interpretatione fretus; quid eſt quod tam hoſtiliter Diatriba nos inſequitur, quod in altera ſynodo id paullo poſt accidiſſe, ſynodica tot praeſulum epiſtola, & Hilario teſte defendimus? Sane ſi quis Liberii verba illa diligentius expendat, non dubitabit, quin ſynodum aliquam fuiſſe ſignificet, in qua libellum ambo illi dederint, & quidem ab eo diverſum, qui apud Hilarium & Athanaſium extat, Iulio Romano Pontifici inſcriptus. In hoc enim nulla Mareotae mentio eſt, neque actorum ab ſe contra Athanaſium ex una parte per calumniam conſcriptorum, quae in priore libello, quem ſynodo obtulerunt, expreſſa fuiſſa Liberius affirmat. Sed hoc unum confitentur, *falſa eſſe omnia quae ad aures ſuas pervenerunt de nomine Athanaſii, atque omnibus viribus carere*. Quare diverſos eſſe libellos oportet; &, quod conſequens eſt, priorem in ſynodo fuiſſe datum, cuius in poſteriore meminerunt.

Sed nec illud conſentaneum eſt, (b) quod Diatriba de Mediolanenſi ſynodo, cuius mentionem facit Hilarius affirmat, hanc illam fuiſſe Mediolanenſem, quae anno 355. ab Conſtantio, & Arrianis Epiſcopis eſt habita. Hoc enim ex Hilario ipſo perſpicue refellitur, qui Mediolanenſem, de qua loquitur, a Romanis contra Photinum eſſe factam ait ante biennium, quam Valens & Vrſacius epiſtolam offerrent, cui conſonat & Ariminenſis ſynodica, quae in Mediolanenſi iſta ſynodo adfuiſſe Romanos presbyteros refert. At Mediolanenſis altera, quae anno 355. celebrata eſt, neque Catholicorum, aut Romanorum fuit, & longe poſt Valentis & Vrſacii poenitentiam accidit: immo vero iam ad priſtinam perfidiam poſt Conſtantis obitum relapſis iis, & Athanaſium ac Catholicos toto furore perſequentibus.

Nam quod Vrſacii ac Valentis (c) mentionem alieno loco ab Hilario poſitam aſſerit, nemo illi concedet, qui Hilarii locum accurate legerit. Eſt enim cohaerens illius narrationis pars, quae eſt de Vrſacio & Valente, cum proxime ſuperiori, in qua de Sirmienſi agit ſynodo. Poſtquam enim de Athanaſio, & falſis eius criminationibus ſermonem inſtituit, tranſit ad Marcelli ac Photini hiſtoriam. *Supereſt*, inquit, *ut quid de Marcello, & Photino geſtum ſit, pauciſſimis dicam*, &c. (d). Tum quomodo depoſitus ſit explicat: *Igitur ad tollen-*

(a) *Hiſt. Trip. l.* 5. *c.* 17.
(b) *Diatrib. II. pag.* 399. *e.*
(c) *Diatrib.* II. *pag.* 400. *b.*
(d) *Fragm. pag.* 23.

lendum ex epiſcopatu Photinum, &c. conveniſſe ait ſacerdotes. Quonam? Sirmium utique, quod poſtea ſcribit: *Verum inter haec Sirmium convenitur*. Hos vero ſacerdotes *hoc magis ſollicitos, atque anxios turbari rurſum, miſcerique omnia* fuiſſe dicit, *quod iam pridem plures Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio iudiciorum, vel communionis haereſis Arrianae, ab Eccleſia fuerat neceſſe reſecare*. Ergo Catholici erant illi, quos Eccleſiae ſtatus anxios & ſollicitos habebat. Mox vero Valentem & Vrſacium uſos ea opportunitate veniam eſſe deprecatos ait, quod conſentaneum eſt antecedenti narrationi: in qua Epiſcoporum meminit, qui vel falſi convicti, vel haereſis Arrianae, ab Eccleſia reiecti fuerant: e quibus erant Vrſacius, & Valens. Nihil ergo redundans, aut hiulcum habet hic locus. Imo vero, ſi interiectam illam Vrſacii & Valentis hiſtoriam detrahas, male cohaerens, & manca ſpecies erit orationis. Quaero enim, ſi totum hoc avellas, in quo & de Vrſacio & Valente agitur, ab iis verbis: *Quam opportunitate nacti* &c. uſque ad illa: *Verum inter haec Sirmium convenitur*, quorſum iſta pertineant: *Haec epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quam haereſis Fotini a Romanis damnata eſt?* Nonne ad illa priora neceſſario referenda ſunt: *Igitur ad tollendum ex epiſcopatu* Photinum *&c.?* Deinde non recte demptis mediis quadrare illa ſuperioribus: *Verum inter haec Sirmium convenitur*: ubi particulae iſtae, *inter haec*, abruptum, interpoſita rei alterius narratione, ac repetitum ex intervallo ſermonem indicant. Fruſtra igitur alieno haec inculcata loco Diatriba ſuſpicatur.

Poſtremo quod Sirmienſem ſynodum ſpectat, cuius ibidem mentio eſt apud Hilarium; apparet, diverſam eam fuiſſe ab famoſa illa Sirmienſi, quam Socrates anno 351. Diatriba anno 357. celebratam eſſe vult. Primum, quod in hac poſteriore depoſitus omnino, & ab epiſcopatu depulſus eſt Photinus; uti Socrates, aliique teſtantur, & his antiquior Epiphanius: qui poſt ſynodum ad Imperatorem confugiſſe illum referunt, & iudices impetraſſe: coramque iis convictum ab Ancyrano Baſilio, ac penitus exauctoratum fuiſſe. (*a*) *μεγιϛη δε μαχη*, ait Socrates, *μεταξυ των παρ' ἑκατερω λογων ἐγενετο· ἐν οἱς ὁ Φωτεινος ἡττηθεις κατεκριθη, ἐν φυγῃ τε διαγων τȣ λοιπȣ*, &c. *Maximus autem conflictus verborum utrimque fuit, quibus victus* Photinus *condemnatus eſt: & in exilio deinceps agens*, &c. Itaque epiſcopatu tunc Photinus eiectus eſt. At in Sirmienſi illa ſynodo Hilarii propter populi ſeditionem amoveri non potuit. Ita enim legendum videtur pro eo quod ibi legitur, *admoveri*, niſi *admoveri* ſit idem quod in iudicio ſiſti, cauſſamque dicere. Omnino vero popularem vim interceſſiſſe Hilarius oſtendit, ne Photinus ſede ſua pelleretur. Quare diverſae ſint ambae illae ſynodi neceſſe eſt. Ad haec, Sirmienſis Hilarii

(a) *Lib.* 1. *c.* 30.

rii ſynodus Catholicorum fuit, ut ex antecedentibus conſtat. Quippe & de eccleſiaſticis turbis componendis ſollicitos fuiſſe dicit: & hac occaſione Valentem, & Vrſacium iterum libellos obtuliſſe; quoniam quidem continentem hanc eſſe narrationem; neque aſſutam de Valente & Vrſacio laciniam iſtam contra Diatribae auctorem evicimus. Adde Sirmienſem Hilarii ſynodum ab Occidentalibus celebratam eſſe; poſteriorem autem fere ab Orientalibus: quod ſequenti capite planum faciemus.

CAPVT II.

Confutantur alia quaedam, quae in eodem capite primo Diatribae ſecundae contra Diſſertationem allata ſunt, ac nonnulla illius errata diſcutiuntur.

POſtquam caput ipſum opinionis noſtrae cauſaeque conſtituimus, nunc reliqua Diſſertationis expendenda ſunt, quae fruſtra Diatriba vexare ſtuduit.

Horum primum fit, quod, ut Valentis & Vrſacii poenitentiam alieno loco poſitam apud Hilarium oſtendat, hunc in modum obiicit: *Si*, inquit, (*a*) *Athanaſio Alexandriam reverſo, & Vrſacio ac Valente in gratiam receptis, habita eſt* Sirmienſis iſta ſynodus, *ut fingitur; punctum temporis, in quo habita ſit, ante Conſtantis obitum, qui ſub ipſum Athanaſii reditum incidit, adſignari nullum poteſt*. Verum captioſum hoc oppugnandi, & argumentandi genus eſſe ſuperius admonui: quum adverſus expreſſa de geſta re ſcriptorum teſtimonia ex incertis & obſcuris circumſtantiis coniectura capitur.

Quocirca contra Diatribam paucis ita praeſcribimus: Sirmienſem ſynodum eo tempore factam eſſe conſtare ex Hilario, quo Vrſacius & Valens libellos obtulerunt: quod omnino negari non poteſt. Ceterum quo anni parte celebrata ſit, & ubi tum eſſet Athanaſius, ſcire poſſe neminem. Proinde callide id pro conceſſo Diatribam accipere, quod non damus; Athanaſio iam reverſo, & Alexandriae morante, ſynodum iſtam eſſe habitam. Potuit enim haberi antequam Alexandriam veniſſet, & ante Conſtantis obitum. Diu enim in itinere fuit Athanaſius, & Antiochiae, atque in Palaeſtina moras habuit: dum interim & Vrſacius ac Valens plenam cum catholica Eccleſia reconciliationem urgerent; & Sirmii ad deponendum Photinum cogerentur Catholici.

Sed inſtat rurſus Diatriba, & quod Hilarius habet de Marcello ab Athanaſii communione abſtento, (*b*) unde Photini damnationi auctoritas eſt quaeſita, ad tempus Sirmienſis noſtrae ſynodi revocari non patitur. Sed pro nobis aperta eſt Hilarii narratio: qui quum Sirmienſis

(a) *Diatrib.* II. *pag.* 400. *b.*

(b) *Fragm. pag.* 26.

ſis Concilii ad deponendum Photinum ſub Valentis & Vrſacii poenitentiam habiti meminiſſet, ſtatim addit, Marcellum ab Athanaſio communione ſua multatum anteriore tempore quam Photinus arguitur: nempe inter Sardicenſem & Sirmienſem ſynodos, ac biennii interiecti ſpatio, quod Severus intellexit his verbis: *Interiecto deinde tempore Athanaſius, quum Marcellum parum ſanae fidei eſſe penitus comperiſſet, a communione ſuſpendit.* Quum igitur in Oriente eſſet Athanaſius, ac Marcellum parum ſanae fidei eſſe comperiſſet, ab eius communione abſtinuit: vel, ut Hilarius loquitur, cum *a ſua communione ſeparat*, quod ubique etiam extra dioeceſim ſuam quivis Epiſcopus facere potuit. Sic enim Antiochiae eodem anno quum eſſet Athanaſius, Alexandriam petens, a Leontii Arriani, qui ibi Epiſcopus erat, communione abſtinuit, ut refert Sozomenus. At Diatriba *ridiculum* eſſe clamat, (a) *Athanaſium a communione ſua quemquam, priuſquam ſedem ſuam reciperet, excluſiſſe*, quod mirum eſt excidiſſe homini docto.

At enim quid neceſſe fuit Photini damnationi auctoritatem comparari ex Athanaſii iudicio, tamquam in eo Occidentales haerere potuerint, qui biennio ante Photinum damnaſſent? Sed haec πεμπυγια nimis augusta eſt. Photino biennio ante damnato, hoc eſt notato eius errore, certa dies praeſcribi potuit; ante quam niſi reſipiſceret, in ordinem cogeretur. Potuit & fraude aliqua, diſſimulationeque fruſtrari Catholicos praeſules, atque illorum ſententiam eludere, qui poſtmodum tanti viri, quantus fuit Athanaſius, auctoritate ac praeiudicio freti denuo rem aggreſſi ſunt.

De eadem Catholicorum Occidentalium ſynodo Sirmii habita illud acceperam, quod ſcribit Hilarius: (b) *De Photino decretum ab Occidentalibus factum ad Orientales relatum eſſe*; hos vero tamquam *homines mente callidos, reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem adieciſſe*. Diſplicuit hoc Diatribae: quod veriſimile non ſit, anno iſto 349. quo Sirmienſis ſynodus ponitur, dum Athanaſii communionem certatim omnes expeterent, Orientales in Athanaſium agitaſſe concilia. Verum cogitandum hoc illi fuit, interim, dum ad Orientales Occidentalium litterae iſtae perferuntur, Conſtantem eſſe mortuum; & ingenti rerum facta converſione, ſuperiorem fuiſſe cauſſam Arrianorum. Itaque deinceps eos Athanaſium vexare coepiſſe.

Porro quum Hilarius affirmet, Occidentales damnato Photino, decretum ſuum ad Orientales miſiſſe: hos autem reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem adieciſſe; clariſſime demonſtrat, Occidentales ſynodicam aliquam miſiſſe ad Orientales; hos vero, quum Arriani eſſent, callide cum Photino Marcellum miſcuiſſe. Nam *reſcribere*, eſt *viciſſim ſcribere*. Itaque non alii reſcripſerunt, quam ii, ad quos

(a) *Lib. 3. c. 20. Diatrib. II. pag. 400. c.* (b) *Fragm. pag. 27.*

quos decretum Occidentales miſerant, nimirum Orientales. Tum vero Catholicos fuiſſe decreti illius auctores ſatis indicat, quum eos ſubinde commendat, quod ad Orientales epiſtolas iſtas fecerint, (a) *non iniuria extorquendi, ut nunc agitur, adſenſum, ſed inſtruendae univerſorum ſcientiae conſuetudine*. Quae verba perſpicue declarant, Catholicos, quod dixi, Epiſcopos fuiſſe Occidentales iſtos, quos ab haereticorum violentia, & tyrannide alienos eſſe dicit. Deinde ſynodum ab iis aliquam eſſe factam, cuius acta decretaque, uti conſuetudo fert, ad alias eccleſias miſerint. Quamobrem valde conſentaneum eſt ex tota Hilarii diſputatione, ſynodum illam Sirmienſem, in qua Photinus damnatus eſt, ſed non deiectus, ab Occidentalibus Catholicis celebratam fuiſſe. Eſt enim perpetuus & continens ſermo de Photini damnatione in ea facta ſynodo, quae ſub Valentis & Vrſacii poenitentiam Sirmii eſt habita; quam ad ſynodum cetera pertinere ſeries ipſa orationis arguit. Vt autem Diatribae ſententia ſe habet; interrupta, foedeque diſſoluta, nec ullo modo cohaerens eſt narratio. Etenim ſynodos illic ab Hilario commemorari putat Mediolanenſem, & Sirmienſem: illam anno 355. celebratam, hanc 357. in quibus Photinus damnatus eſt; in hac etiam depoſitus. Sed non convenire ſynodos iſtas ad Hilarii inſtitutum ſatis hucuſque demonſtratum eſt. Nam & temporis ratio repugnat: quia Mediolanenſe iſtud, & Sirmienſe Hilarii longe annos illos antecedit: (b) & utriuſque anni concilia ab haereticis habita ſunt. Mediolanenſe quidem ad Athanaſium damnandum (c) & Epiſcopos Catholicos, qui illius communionem eiurare nollent, exilio multandos; quod tum in pleroſque decretum eſt; ut Euſebium Vercellenſem, Luciferum Caralitanum, Hilarium Pictavienſem, & Liberium Romanum Pontificem. Atqui in Mediolanenſi ſynodo, cuius meminit Hilarius, Romani interfuere Legati; immo praefuere, ut ex eodem, & Ariminenſi ſynodica colligitur. Sirmienſe quoque iiſdem ab haereticis contra Photinum celebratum eſt: & quidem Orientalibus pleriſque. Quamobrem non congruit huic Sirmienſi quod Hilarius refert, *decretum de Photino ab Occidentalibus factum, & ad Orientales relatum*; uti mos eſt in ſynodis. Ex quo itidem Diatriba refellitur, quae quod Hilarius ſcribit, Orientales, accepto decreto Occidentalium, occaſionem revolvendi de Athanaſio quaeſiſſe Iudicii, & reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem addidiſſe, referendum exiſtimat ad tempora Magnentii caedem ſecuta, *quando pacatis bellis civilibus Arrianorum furor renovatus eſt. Tunc enim revera negatae Marcello communionis*, (d) *damnatique Photini occaſionem nacti, aſtuto*, ut ſcribit Severus, *conſilio innoxium criminoſis miſcentes, damnationemque Photini, & Marcelli, & Athanaſii eadem ſenten-*

(a) *Ibid.*
(b) *Severus Sulp. 2.*
(c) *Socrat. l. 2. Sozom. l. 4.*
(d) *Diatrib. II. pag. 402.*

tentia comprehendentes, tandem ad Athanaſii condemnationem Catholicos Epiſcopos in Arelatenſi anno 353. tum biennio poſt in Mediolanenſi, & deinceps quamdiu Conſtantius vixit, adigere conati ſunt. Haec Diatriba, in quibus non uniuſmodi error eſt.

Nam iſtud omne ab Hilarii mente, & hiſtòria tam alienum eſt, nihil ut eſſe magis queat. Scribit Hilarius, Occidentales, & quidem Catholicos, contra Photinum feciſſe decretum, & ad Orientales miſiſſe. Rurſus Orientales ad eos reſcripſiſſe, & Photino Marcelli nomen admiſcuiſſe; ut ad Athanaſii damnationem tacite viam munirent eo ipſo, quod quum Marcellus in eadem, in qua & Athanaſius, Sardicenſi ſynodo reſtitutus eſſet; reo iterum facto Marcello, ſynodi de eo iudicium atque auctoritas irrita fieret; adeoque & de Athanaſio, qui eadem ſententia comprehenſas eſſet in Sardicenſi illa ſynodo. Doceat ergo nos, quaenam illa ſynodus vel Sirmienſis, quod Hilarii locus exigit, vel alia quaevis Catholicorum Occidentalium fuerit, in qua Photino damnato, decretum ad Orientales miſſum ſit; hi reſcribentes Photino Marcellum addiderint. Quae enim concilia memorat, Arelatenſe, ac Mediolanenſe, Catholicorum non erant: tum contra Photinum nequaquam habita ſunt: neque in eorum epiſtolis ſolius Photini, tamquam haeretici ac damnati, damnandive mentio fit: neque Orientales ad illorum reſcripſere decreta, & ad Photini nomen Marcellum adiunxere. Mediolanenſis Concilii ad Euſebium Vercellenſem epiſtola, (*a*) quam ex Baronio citat Diatriba, & ad Hilarium interpretandum adhibet, hortatur ipſum ut (*b*) *de nomine haereticorum Marcelli, & Photini, necnon Athanaſii ſacrilegi* idipſum *definiat, quod totus prope definivit orbis*. Sed nec ad Orientales data eſt, neque ſolius Photini damnationem continet; ſed Marcelli inſuper, & Athanaſii. Horum vero duorum nomina ab Occidentalium decretis, & epiſtolis aberant, quas Hilarius commemorat: ſiquidem Photini ſolius meminerant; cui ſolum itidem Marcellum Orientales addidere. De Athanaſio neutri omnino mentionem fecere. Haec ſi Diatribae auctor animadvertiſſet, noſtram de Hilario coniecturam haud adeo contempſiſſet.

Quocirca annis aliquot anteriora ſunt illa, quae refert Hilarius, Occidentalium decreta, & Orientalium reſcripta, Gallicanis, & Mediolanenſibus actis, quae Diatriba memorat.

Quippe Arriani ad Athanaſii damnationem primum occulte callideque graſſati ſunt, poſtquam Sardicenſis auctoritate Concilii, & utriuſque Imperatoris edictis ſedi ſuae reſtitutus eſt: nec aperte nomen illius notare, ac damnare initio ſunt auſi. Poſtea maiore ſumpta fiducia, palam illum execrati ſunt cum Marcello atque Photino: quum poſt Conſtantis obitum ſolus rerum potiretur Conſtantius, qui

(a) *Ad annum* 355. (b) *Diatrib.* II. *pag.* 400. *a.*

qui ſe totum illorum voluntati permiſerat. Ergo illa omnia, quae ex Arelatenſi, Mediolanenſique ſynodo, & ex Severo Diatriba retulit, ad poſteriora iſta tempora pertinent; maxime poſtquam in Sirmienſi poſtrema ſynodo funditus everſus eiectuſque Photinus eſt: quod anno 351. accidiſſe nonnulla ex eo coniectura ducitur, quod deinceps, tamquam manifeſtarii haeretici & exauctorati, nomen eius profertur, & cum Marcello, & Athanaſio coniungitur: qui ambo ſedibus ſuis extruſi iam erant: ut idem paſſum tunc eſſe Photinum veriſimile ſit, de quo paullo poſt dicetur.

Ex iis itaque perſpicue colligitur, quae de Occidentalium & Orientalium geſtis Hilarius perſcribit, ſuperiora iis eſſe, quae in Diatriba memorantur.

Cuius rei obſervatio mirificum quemdam uſum habet ad alium Diatribae convincendum errorem, qui in fine tertii capitis occurrit. Ibi enim novum quiddam oſtentat, *in quo maxime*, inquit, *ſumma conſiſtit*, ſuper Hilarii loco illo, quo de Occidentalium decreto, reſcriptoque Orientalium agitur. Sic enim exiſtimat; decretum illud, *quo accepto Orientales revolvendi de Athanaſio iudicii occaſionem acceperunt, ad Romana pertinere ſynodum*, (a) *quam a Iulio ante mortem anno* 357. *habitam, indicio eſt Liberii ad eoſdem Orientales epiſtola ab Hilario deſcripta, quam ab Hilario ipſo deſignari, quum haereſim Photini a Romanis damnatam ſcribit, non dubitem affirmare* (b). *Sic autem ſe habet: Dilectiſſimis fratribus, &c. Studens paci, & concordiae eccleſiarum, poſteaquam literas caritatis veſtrae de nomine Athanaſii, & ceterorum factas ad nomen Iulii bonae memoriae Epiſcopi accepi, ſecutus traditionem maiorum, presbyteros urbis Romae Lucium, Paulum, & Helianum e latere meo ad Alexandriam, ad ſupradictum Athanaſium direxi, ut ad urbem Romam veniret, &c. Ex his verbis apparet, Iulium ſub vitae finem ad Orientales de Photino literas dediſſe: Orientalium vero epiſtolam, qua Iulio reſpondebant, eo mortuo, ſucceſſori eius Liberio redditam fuiſſe. In his illos Athanaſium ceteris, id eſt Marcello, & Photino ita miſcuiſſe, ut obſcurum non eſſet, machinas illorum in Athanaſium pracipue dirigi, eamque ob rem de uno illo reſcribere Liberium.* Haec Diatriba.

Hanc falſam eſſe coniecturam declarant ea, quae de Hilarii loco illo ſupra diſputavimus. Nam Orientalium literas Marcelli tantum, non etiam Athanaſii nomen expreſſiſſe, diſertis verbis aſſeverat Hilarius. Quorſum enim ad Photini nomen, quod Occidentalium epiſtola continebat, callide eos Marcelli nomen addidiſſe diceret (c), ut *occaſionem quaererent revolvendi eius, quod Athanaſii abſolutione diſſolutum erat, iudicii*, ſi Athanaſium ipſum nominatim cum Photino,

(a) *Diatrib.* II. *pag.* 407. *d.*
(b) *Fragm. pag.* 36.
(c) *Diatrib.* II. *pag.* 400. *c.*

Digitized by Google

tino, Marcelloque comprehendiſſent? (*a*) Cur mox Hilarius diceret, Marcelli mentionem ab Orientalibus ad Photinum additam, *ut mortuam de Athanaſio ipſo iam tempore quaeſtionem, & veritatis iudicio conſepultam in publicam recordationem cauſae novitas excitaret?* Nonne Athanaſii potius ipſius nomen intextum ab illis, & cum Photino ac Marcello coniunctum dicere debuerat? Quinetiam apparet, Orientales in epiſtola, quam reſcripſerunt, Marcellum adiungentes Photino ſubiecisse, ab Athanaſio ipſo communionem illi abnegatam fuiſſe, quod ſequentia Hilarii verba demonſtrant: *ſed cur abnegatae Marcello communionis Athanaſius reus eſſe reſcribitur?* Vbi *reſcribendi* verbum ad Orientalium reſponſionem refero, de qua paullo ante ſic loquitur: *Et reſcribentes de Photino, &c.* Porro quod Hilarius ait reſcripſiſſe illos, *reum eſſe Athanaſium abnegatae Marcelli communionis*; non ſic accipiendum eſt, tamquam illi eam facto Athanaſii notam adſcripſerint, ut reum eius eſſe dicerent, quod ipſi probabant. Sed Hilarius ad mentem illorum, & conſilium accommodata voce utitur. Siquidem propterea Marcellum ab Athanaſio reiectum eſſe memorabant, ut Sardicenſis Concilii labefactatam ab illo auctoritatem tacite ſignificarent, a qua ſuſpicione purgare ipſum Hilarius hoc loco ſtudet; atque reum non eſſe abnegatae Marcello communionis: utique ob eam cauſſam, quam Orientales videri volebant, ut ſcilicet *propter libri vitium*, hoc eſt Photinianum dogma in eius contra Aſterium libro deprehenſum, quo nomine Sardicenſi decreto abſolutus erat; ab Hilario putaretur eſſe damnatus. Hanc noſtram de Hilarii loco coniecturam vel hoc unum commendat, quod ea ſola planam, facilem, & cohaerentem ſibi ſententiam illius efficit: quem ſi, ut Diatriba iubet, interpretemur, incondita & ſalebroſa narratio erit, & ab una re ad alteram ſine ullo nexu atque ordine tranſitum faciens. Nunc eiuſdem primi Diatribae capitis reliqua perſequamur.

CAPUT III.

Propugnentur alia quaedam, quae in Diſſertatione noſtra. Diatriba poſterior primo capite oppugnare ſtuduit.

IN aditu ipſo ac limine diſputationis ſciens ac volens aberrat (*b*), dum Epiphanium ait dicere, Photinum ἐπὶ Κωνςαντίȣ, Conſtantio imperante, haereſim vulgaſſe; falſo id quidem. Nam diſerte ſub Conſtantino ait prodire coepiſſe. (*c*) Verba Epiphanii: Οὗτος δὲ ὥρμητο ἀπὸ Σιρμίȣ· καὶ ὅτι μὲν τȣτο τὸ ζιζάνιον τῷ κόσμῳ εἰσηγήσατο τότε κατ᾽ ἐκεῖνο καιρȣ ἐπὶ Κωνςαντίνου τȣ βασιλέως καιρὸς ἦν. *Hic ex oppido Sirmio*

orti-

(a) *Fragm. pag.* 27.
(b) *Diatrib.* II. *pag.* 395. *a.*
(c) *Haereſi lxxi.*

extitit, & quum hoc lolium in mundum invexit, per illud tempus Conſtantinus imperabat. Coepit igitur Conſtantino rerum potiente, non Conſtantio, ut quidem ſcribit Epiphanius. Nos olim, antequam hiſtoriam illam penitus exploratam haberemus, communi imbuti opinione, legendum adnotavimus, ἔτι Κωνςαντος. Hoc Diatriba ſcilicet pro Epiphaniano ipſo contextu nobis obiicit. Haec quidem vis eſt. Non enim Epiphanius Petavio, ſed Petavius ſibi opponendus ipſe fuit; qui ſic emendandum ex coniectura tunc putabat.

Iam ſi Conſtantino Imperatore Photinus haereſim vulgare ſuam inſtituit; cui dubium eſt, quin eodem tempore Epiſcoporum iudicio notata, damnataque fuerit?

Nam quod in Antiochena primum ſynodo ſecunda perſtrictum eſſe Photinum, velut ex oraculo, (*a*) pronuntiat; nullo id argumento probat. Immo vero ex illo ipſo teſtimonio ſynodicae illius, quam μακρόστιχον vocarunt, coniectura fit, aliquanto ante Antiochenam iſtam ſynodum damnatum eſſe Photinum, ut & praeceptor eius qui fuit, Ancyranum Marcellum. Etenim in epiſtola, formulaque illa fidei longiore, condemnare ſe dicit ſynodus eos, qui dicunt Chriſtum in tempore eſſe coepiſſe: quales ſunt Marcelli Photinique ſectatores: τοιοῦτοι δὲ εἰσὶν οἱ ἀπὸ Μαρκέλλου, καὶ Σκοτεινοῦ τῶν Ἀγκυρογαλατῶν (*b*). Quo ex loco nemo id prudens ſuſpicabitur, tum primum ſynodica ſententia notatum eſſe Photinum; nihilo magis, ut dixi, quam Marcellum, quem ante id tempus damnatum eſſe conſtat. Magis autem erit, ut de nota iam haereſi, & cum ſuis auctoribus antea proſcripta ſignificaſſe putet Antiochenam illam epiſtolam: quae ſi tricari volumus, non tam ad magiſtros erroris ipſos, quam ad eorum ſectatores pertinere videtur.

Primam Photini damnationem in Conſtantinopolitana ſynodo anno 336. videri eſſe factam ex Severo docui: qui *Marcellum atque Photinum haereticos ſacerdotes ſynodi iudicio condemnatos* aſſerit; ac poſt eos Athanaſium abſentem, quod eos recepiſſet (*c*).

Quae verba ſynodum deſignant, quarum in priore Marcellus & Photinus damnati ſint; in poſteriore Athanaſius. Prima omnium Marcelli damnatio notatur in eccleſiaſtica hiſtoria anno Chriſti 336. Conſtantino Imperante, Conſtantinopoli facta poſt relegatum Athanaſium. Scribit enim Socrates libro 1. cap. 36. Arrianos Epiſcopos, poſtquam Athanaſius in exilium abiit, Conſtantinopoli ſynodum inſtituiſſe; in qua Marcellus ob haereſim redactus eſt in ordinem: quod & Baſilius Ancyranus, aliique Semiariani teſtantur in ſynodica apud Epiphanium, Haer. 73. n. 2. Proxima deinde Athanaſii condemnatio incurrit in annum 341. quo Antiochiae per Encaenia depoſitus eſt.

(a) *Diatrib. II. pag. 395. e.*
(b) *Athan. Apol. II. pag. 691.*
(c) *Lib. 2.*

Digitized by Google

eſt. Si, ut Epiphanius auctor eſt, nequicquam reclamante Diatribae ſcriptore, Photinus Conſtantino Imperante haereſim vulgare eſt orſus; nonne veriſimillimum eſt, ſaltem in Conſtantinopolitana illa ſynodo, quae & Marcellum perculit, & qua nulla poſterior extat Conſtantini facta tempore, Photinum eſſe damnatum? Proferat aliam ſi poteſt ſynodum amicus ille noſter, in qua Conſtantino ſuperſtite damnatus ſit Marcellus; quam altera ſit conſecuta, quae Athanaſium deiecerit. Quod enim Tyriam eſſe dicit, in qua abſentem condemnatum Athanaſium Severus affirmat (a); tum utrumque ferri poſſet, ſi anteriorem ullam ſynodum haberet, in qua Marcellus idem paſſus eſſet. Nam duo ſcribit Severus, & Marcellum cum Photino primum eſſe damnatum; & Athanaſium poſtea in altera ſynodo. Nos nullam Conſtantino regnante ſynodum meminimus, in qua Marcelli extet mentio, praeter Conſtantinopolitanam: nullam in qua proxime poſt Marcellum depoſitus ſit Athanaſius, praeter Antiochenam. Quis ergo non videt, ne fingi quidem alias poſſe, quae ad Severi narrationem congruant, quam duas iſtas, quae in Diſſertatione notantur?

Quod enim Antiochena illa Conſtantino mortuo celebrata eſt; Severus autem eo ſuperſtite factam eam ſynodum indicat, in qua damnatus eſt Athanaſius; nimirum temporis rationem haud exacte Severus habuit in tota illa narratione; quod & amico noſtro nimium videtur. Itaque multa rerum ordine connexa, tempore diſtracta, continenti oratione pertexuit. Neque tamen, quia rerum geſtarum ordinem, ac tempus interdum negligit, ei fides ideo detrahenda eſt in omnibus, quamvis nonnulla referat, quae nuſquam alibi legantur. Nam illorum temporum hiſtoria perobſcura eſt, praeſertim Marcelli, ac Photini: nec pauca Socrates, Sozomenus, Theodoretus, aliique praetermittunt: quae ab aliis ſcriptoribus commemorata, perdifficiles habent annorum notas. Eiuſmodi eſt illud quod narrat Severus, Athanaſium a communione ſuſpendiſſe Marcellum, quum eum parum ſanae eſſe fidei comperiſſet, (b) quod ex Hilario didicit, qui id in fragmentis refert. Sed quam difficile, impeditumque ſit, in Diſſertatione docui. Sic illud obſcurum & inexplicabile eſt, quod iiſdem in fragmentis legitur. Ibi enim Liberii extat epiſtolas ad Orientales data; in qua citatum a ſe ad iudicium dicit Athanaſium, &, quod venire noluiſſet, a communione Romanae Eccleſiae reiectum. Haec epiſtola ſub initium pontificatus ipſius, hoc eſt anno 353. miſſa videtur. Atqui Liberius idem anno poſt ad Conſtantium ſcribens cauſſam agit Athanaſii, ſcribitque, illius ſe damnationi conſentire noluiſſe, (c) quod *eodem tempore octoginta Epiſcoporum Aegyptiorum de Athanaſio ſententia repugnaret*. Quin ipſe mox in exilium ire maluit,

(a) *Diatrib.* II. *pag.* 396. *b.*
(b) *Fragm. pag.* 36.
(c) *Lib. II. Frag. pag.* 40.

Digitized by Google

luit, quam Athanaſii damnationi ſubſcribere.

Secunda Photini condemnatio in Sardicenſi Concilio ab Catholicis facta in Diſſertatione ponitur, quod Epiphanius haereſi lxxi. prodidit. (a) At Diatriba tum illud reprehendit; tum *parum perſpicacem videri*, inquit, *oportet eum, qui non animadvertat Epiphanium, quod alii pridem monuerunt, memoria lapſum hoc loco ſynodo Sardicenſi tribuere, quod Sirmienſi congruebat*. Quod convicium in Baronium recidit, qui ad annum 347. hanc de Epiphanii hallucinatione coniecturam reſpuit: nec abſurdum putat, in Sardicenſi ſynodo damnatum eſſe Photinum; quum ante triennium in poſteriori Antiocheno Concilio cum Marcelli diſcipulis Photiniani notentur haeretici. Severus certe Sulpicius libro ſecundo non imprudentem eius rei coniecturam obiicit, dum in Sardicenſi Concilio ex tribus illis, qui in eamdem cauſſam callide ab haereticis incluſi fuerant, Athanaſium, & Marcellum abſolutos fuiſſe aſſerit, Photinuum vero non item. *Nam de Photino, ait, Epiſcopo Smyrnenſi non eſt reſciſſa ſententia, qui etiam noſtrorum iudicio haereticus probabatur*. Ex eo, inquam, ſuſpicari quis poſſit, Photini damnationem ſynodi illius iudicio comprobatam.

Neque vero Epiphanii locus collationem iſtam Baſilii cum Photino, quae haud dubie in Sirmienſi ſynodo facta eſt, adeo liquido ac diſerte cum Sardicenſis mentione Concilii nectit, ut in unam eamdemque ſynodum neceſſario ambo iſta coniicienda ſint. Poſſunt enim in duas diſtrahi ſynodos; idque verborum ipſe contextus patitur: quae fuit opinio Baronii. Quem ſi parum ideo perſpicacem fuiſſe auctor Diatribae putat: quam ſit acutus ipſemet viderit, qui in illo ipſo loco, in quo de Sardicenſi ſynodo nos arguit, haud paullo gravius impingit.

Quum enim abſurdum eſſe probare vellet, quod cum Baronio ſcripſi, Photinum in Sardicenſi Concilio a catholicis damnatum eſſe; *Itane vero*, exclamat, (b) *ut damnatum a Catholicis eo iudicio Photinum credamus, in quo an Catholicorum quiſquam ſederit, incertum; haereticus omnium conſenſu praefuit, & primas partes egit Semiarianorum princeps Baſilius Ancyranus? Credet hoc affirmanti qui volet, nobis non perſuadebit*. Atqui & falſa iſta ſunt. Quid enim? An non Catholicorum praeſulum fuit Sardicenſis vera ſynodus? non illam adulterinam, & latrocinalem loquor, quam eodem tempore Orientales haeretici, quum ſerio ac ſincera fide rem agi cernerent, Sardica fugientes, Philippopoli in Thracia celebrarunt ac pro Sardicenſi venditarunt. Sed germanam Sardicenſem intelligo, cui praefuit Hoſius, & in qua Athanaſius ac Marcellus, aliique Catholici antiſtites abſoluti, eorum damnatis accuſatoribus. Iſta ergo ſynodus & Catholicorum

(a) *Diatrib.* II. *pag.* 397. *b.* (b) *Ibid. a.*

rum fuit, & in ea condemnatus eſt Photinus, & a Catholicis utique damnatus eſt. Nam Sirmienſis ſynodi mentio, quam in animo tum Diatribae ſcriptor habuit, ab eo loco & diſputatione erat aliena, in quo Sardicenſis agebatur, & quidem δυτικη, ut eam Epiphanius vocat; hoc eſt ab Occidentalibus habita: quorum ab conſeſſu, & conſortio ſeſe Orientales abſtraxerant.

Nihil ergo cauſſae fuit cur, quum de Sardicenſi ſermo eſſet, Sirmienſem ſynodum, & Baſilium Ancyranum miſceret.

De Mediolanenſi ſynodo, in qua tertio ab Catholicis docui Photinum eſſe damnatum, perleve quiddam opponit Diatriba: non videri (a) *duas uno anno ſynodos tam diſſitis in locis, & tam diverſarum provinciarum Epiſcopis imperatas*. Deinde *cur ſoli Catholici convocabantur? An ut Photinum damnarent? Atqui iam in Sardicenſi damnatus erat*. Verum περιεργια iſta iam exploſa eſt a nobis ut inutilis, nec reſponſione digna. Quis enim cauſſas, ac rationes, ordinemque praeſtare poſſit omnium rerum, quas certiſſime alioqui geſta eſſe ex hiſtoria conſtat? Tamen huius Mediolanenſis Concilii probabilis excogitari ratio poteſt. Videntur enim Sardicenſis Concilii Patres legatos ad Conſtantem miſiſſe, qui quae ibi geſta eſſent illum docerent (b). *Ο δε Κωνςας τα ἐν Σαρδικῃ γεγενημενα μαθων, ἐγραψε τῳ ἀδελφῳ*, ait Sozomenus. Ac tum Mediolani conventus Epiſcoporum fieri potuit, in eoque approbari Photini damnatio. Neque vero neceſſe eſt, indictivam hanc fuiſſe ſynodum; aut, ſi Conſtantis iuſſu eſt indicta, longinquos ad eam excitos eſſe praeſules; ſed vicinos dumtaxat; praeſertim Italos. Nam & Romani Pontificis interfuere presbyteri, ut Hilarius & ſynodica Ariminenſis affirmant.

Quin etiam veriſimile eſt, ab Orientalibus quoque, qui Sardicenſis ſynodi nomen ementiti ſunt, legatos ad Conſtantem Philippopoli eſſe miſſos, qui acta conventiculi ſui, pro legitimae ſynodi decretis obtruderent, ut mirari Diatriba deſinat, (c) Arrianos Epiſcopos, qui nuper ab Catholicis ſeceſſerant, in Occidentem uſque eos eſſe conſecutos. Quamquam de Liberii epiſtola non nego, probabilem eſſe Baronii ſententiam, qui Mediolanenſe Concilium, cuius illic mentio eſt, aliud quiddam Sardicenſi anterius eſſe putat. Sed indidem Diatribae auctor agnoſcet, inique ſe facere, qui Concilii, vel ſynodi nomine fortuitum conventum Epiſcoporum appellare nos vetet, ac nos reprehendendos exiſtimet, quod concurſum eiuſmodi praeſulum ad condendam Sirmii formulam ſynodum, vel Concilium nominemus: de qua re poſtea.

CA-

(a) *Ibid. e.*
(b) *Sozom. lib. 3. cap. 20.*
(c) *Diatrib. II. pag. 398. a.*

CAPVT IV.

De tempore Sirmienſis ſynodi contra Photinum habitae; quam in annum cadere 351. contra Diatribam primam, & poſterioris caput ſecundum evincitur.

NVnc de tempore poſterioris ſynodi Sirmienſis, & ſecunda fidei formula, quae ibidem edita dicitur, agendum reſtat: idque paucis. Nam aliis in libris ea res copioſe tractata eſt: neque Diatriba novi quicquam obiicit, cui non proviſum ante ſit a nobis, ut ex iis, quae ibidem explicata ſunt, facile poſſit occurri.

Synodum Sirmienſem, in qua Photinus e ſede ſua deiectus eſt, veteres hiſtorici ante Magnentii (*a*) cladem eſſe habitam referunt, anno videlicet Chriſti 351. poſt conſulatum Sergii & Nigriani, ait Socrates (*b*), quo anno propter tumultus bellicos nemo conſulatus ex more dedit. Baronius antiquos illos arguens, eam ſynodum in annum 357. reiicit. Cuius argumenta in Epiphanianis Animadverſionibus explicata ſunt: quae fruſtra recoquere Diatriba ſtuduit, unico dumtaxat addito, cui in Diſſertatione ſatisfecimus. Mea porro ratio eſt eiuſmodi: quum de tempore agitur geſtae rei alicuius, iis potiſſimum habendam fidem, qui vel eadem aetate vixerunt, vel ab iis qui viderant ſcire potuerunt: niſi ad horum labefactandam auctoritatem ea proferantur, quibus obſiſti, contradicique nullomodo poſſit. Atqui talia non ſunt quae adverſus Socratis opinionem auctor Annalium Eccleſiaſticorum, & ex eo utraque Diatriba diſputavit. Nam ea ſingillatim expoſita ſunt, ac diſcuſſa. Quare non eſt quod nos Socratem ſecutos eſſe, ac recentioribus antetuliſſe pigeat: praeſertim quum notam illam conſulatus ad Sirmienſem ſynodum haud vane (*c*), ac temere videatur adſcribere. Nec movere nos debet, quod Diatriba contra hoc obiicit: etiam Hoſii nomen ex actis ipſis Socratem potuiſſe diſcere. Quaſi Hoſius iis Coſſ. quibus Sirmienſem ſynodum actam eſſe ſcribit, Sirmii eſſe potuerit. Quod quia non potuit, reſtat ut nota conſularis in ſolam congruat ſynodum: cuius anno vere, & ex actis conſtituto, cetera adſtrui falſa potuerunt de Hoſio, ac reliquis, quae Sirmii ſex annis poſtea geſta ſunt eadem in urbe, quae res Socratem fefellit.

Sic alterius nota conſulatus Euſebii & Hypatii, tertiae ſubſcripta formulae, huius germana eſt: annoque 359. revera convenit, quam in Sirmienſi ſynodo conceptam eſſe leviter indicat Socrates: in eo que falſus eſt. Sed aliud eſt ſuas primariae cuique rei notas appone- re:

(a) *Socrat. l.* 2. 29.
(b) *Sozom. l.* 4. *c.* 6.
(c) *Diatrib. II. pag.* 402. *a.*

Digitized by Google

re: aliud propriis, ac diverſis notis affectas res in unum tempus conferre. In priori haud facile erraſſe Socratem dixi; in poſteriori nonnunquam hallucinatus eſt.

Quamobrem quod ex Hoſio petitur argumentum leve eſt, imo nullum. Nec eo firmius eſt alterum illud ex Hilario, qui ſynodum Sirmienſem biennio poſt Mediolanenſem conſecutam ait, quae in annum cadit 355. Hoc enim abunde confutatum eſt ſuperioribus in capitibus, ubi ex Hilario ipſo demonſtravimus, Mediolanenſem ac Sirmienſem ſynodos, quas ibi commemorat, longe alias ac diverſas fuiſſe ab vulgatis illis.

Maioris in ſpeciem eſt momenti quod tertio loco nobis opponitur de anguſtiis temporis, quia anno 351. victus eſt Magnentius (a) IV. Cal. Octob. ex quo conſentaneum ſit, totum hunc annum bellico apparatu ac tumultu ſic occupatum fuiſſe, ut cogendae ſynodo vacua nulla pars eius fuerit. Verum hoc cum dicit, non intelligit, ad hiſtoriam quidem geſtae rei aliquid ſe dicere, quod diligentius ſcrutandum ſit; non tamen expreſſam ab auctore notam conſulatus ac temporis ideo labefactari, quia etſi res ubi geſta ſit explicare nequeam propter aut inſcitiam, aut ſcriptorum inopiam: non tamen dubitare, quin geſta ſit, debeo, aut hiſtoriae in eo, quod continet, elevare fidem.

Ac ſi quis belli huius accurate tempus ordinemque reſpexerit; ſciet anno ipſo 351. Sirmienſe Concilium haberi potuiſſe. Siquidem ex anno antecedente, Vetranione in ordinem redacto, Conſtantius Pannoniam recepit (b). Hinc ducibus cum exercitu contra Magnentium miſſis, diu Sirmii reſedit, ut ait Socrates. Erant autem in Conſtantii comitatu perpetuo fere Epiſcopi, quorum catervas ultro citroque diſcurrere iubebat, ut queritur Ammianus Marcellinus (c).

Ecquid ergo mirum eſt, aut inſolens, verno tempore celebratam eſſe Sirmienſem ſynodum? (d) Nam & Diatriba hoc ipſum tempus aſſignat illi ſynodo, dum annum integrum interceſſiſſe vult inter Sirmienſem, & Ancyranam a Semiarrianis factam. Quum enim Ancyrana ante paſcha habita ſit, ut in eorum ſynodica apud Epiphanium legitur; ſi annuum ſpatium inter hanc, & Sirmienſem interceſſit, neceſſe eſt Sirmienſem ineunte vere coactam fuiſſe. Quare quoſcumque nobis ninguidos montes, ſaltuſque, aut procellas, ac fluctus opponet, quo minus Epiſcopi convenire potuerint, iiſdem difficultatibus & ſuorum iter intercludet, ne ad idem tempus accurrerint. Sed haec ἀκριβολογια iocularis eſt.

CA-

(a) *Diatrib. II. pag. 402. e.*
(b) *Lib. 2. c. 28.*
(c) *Lib. 21.*
(d) *Diatrib. I. pag. 368. c.*

CAPVT V.

De duplici formula fidei Sirmienſi ſynodo tributa : quarum poſterior extra illam edita monſtratur.

VEnio iam ad ſecundam Sirmienſis Concilii formulam. Duplex enim in eo condita, vulgataque dicitur a Socrate, Sozomeno, caeteriſque omnibus, quarum prior eſt ea, quam Athanaſius refert, & Socrates : (*a*) Latine autem Hilarius in libro de ſynodis: cui anathematiſmi aliquot adnexi ſunt. (*b*) In ea ſuppreſſa mentio eſt οὐσίας, & ὁμοουσίου pariter ac ſimilitudinis, quam etiam ex Sardicenſi conciliabulo Arrianorum (*c*) Sirmienſes aſſumpſerunt. Extat enim in calce longiſſimae illius epiſtolae, quam in Africam miſerunt pro germana ſynodica Sardicenſi. (*d*) Vnde apparet, vere Baſilium Ancyranum ex Ancyrano Concilio ſcripſiſſe de Sardicenſi Ἐκθέσει, ἣν ἀνέληφεν ἡ ἐν Σιρμίῳ σύνοδος. Altera eſt Latine ſcripta; quam Athanaſius & Socrates Graece, Latine Hilarius exſcripſit. In ea nominatim decretum, ut ſubſtantiae vel οὐσίας perinde atque ὁμοουσίου, & ὁμοιουσίου vocabula in uſu ne eſſent amplius; quod in ſacris literis nuſquam legantur: (*e*) Hanc Hilarius vocat *Blaſphemiam apud Sirmium per Oſium, & Potamium conſcriptam*. In fragmentis vero *perfidiam apud Sirmium deſcriptam*, cui Oſius, & poſtea Liberius ſubſcripſiſſe feruntur. Vtramque igitur illam fidei formulam in eadem Sirmienſi ſynodo conſcriptam, ac publicatam Socrates, & eum ſecuti omnes hactenus arbitrati ſunt. Ac Nicolaus Faber in praefatione ad Hilarii fragmenta poſteriorem hanc cenſet *velut ultimam Concilii Sirmienſis definitionem, ac ſententiam habitam fuiſſe, atque eo nomine ad Eccleſias pro more tranſmiſſam a ſynodo*. Quoniam Hilarius in libro de ſynodis Gallicanis ſuis gratulatur, *quod miſſam ex Sirmienſi oppido infidelis fidei impietatem damnaverint*.

Verum in Epiphanianis animadverſionibus anno abhinc decimoquinto docuimus, ſecundam iſtam Sirmii editam formulam nequaquam in Sirmienſi contra Photinum habito concilio ſcriptam eſſe, ſed in fortuito concurſu aliquot Epiſcoporum, qui Sirmii convenientes illam ediderunt; cuique Hoſius verberibus & cruciatibus coram ab Conſtantio coactus eſt ſubſcribere. Quibus autem rationibus inducti ab communi opinione diſſenſimus, plenius ex illa diſputatione licet cognoſcere. Hic vero ſumma probationis capita perſtringemus; in quibus oppugnandis Diatribae auctor inanem operam poſuit.

Pri-

(a) *Lib. de ſyn. pag.* 693.
(b) *Lib.* 2. *cap.* 30. *Lib.* 2. *Frag.*
(c) *Hil. pag.* 27.
(d) *Apud Epiph. Haer.* 73. *num.* 2.
(e) *Lib.* 1. *pag.* 48.

Primum, (a) idque firmiſſimum argumentum ex Baſilii Ancyrani, & Semiarrianorum actione omni petitur: qui anno 358. hoc eſt altero ab celebrata, uti volunt, Sirmienſi ſynodo, Ancyrae ſub paſcha convenientes ſecundam illam fidei formulam decreto ſuo damnarunt; quum quidem de ea ab Georgio Laodiceno moniti eſſent, eademque per Illyricum & Orientem vulgata magnos animorum motus attuliſſet. Atque illi quidem in epiſtola ſua ſynodica, quam ad Phoenices Epiſcopos ſcripſerunt, optaſſe ſe dicunt, ut poſt tot de fide quaeſtiones concertationeſque habitas, ac tot decreta conciliorum, Conſtantinopolitani, Antiocheni, Sardicenſis, ac Sirmienſis, deinceps pace ac tranquillitate frui ſibi liceret, quod per novos illos haereticos, a quibus formula iſta manarat, obtineri non potuerit. Ex quibus aliiſque colligitur, longe poſt Sirmienſem ſynodum illam Ecthesim editam fuiſſe. Non enim in Sirmienſi ipſa ſynodo ſcripta fuit, quippe in qua Baſilius Ancyranus primas partes habuit; qui tum apud Imperatorem Conſtantium auctoritate pollebat & gratia. Quis autem perſuadere ſibi poſſit, aut inſcio, aut diſſimulante Baſilio, talem formulam conditam fuiſſe? primum qui toto illo tempore, quo Concilium habitum eſt, Sirmii fuerit. Nam poſt Concilium novum cum Photino certamen iniit. Eo quippe ad Conſtantium provocante, ac ſe inique depoſitum eſſe conquerente, dati ſunt illi e Senatu cognitores ac iudices a Conſtantio, ac Baſilius oppoſitus ex adverſo; quo cum habita collatione victus ac prorſus eiectus eſt, ut Epiphanius aliique prodiderunt.

Non potuit igitur Baſilium latere Concilii Sirmienſis actio illa; ut qui princeps ſynodi eius eſſet; neque porro invito illo aut conniven- te ſcribi potuit. Nam nemo eam vehementius execratus eſt, aut impugnavit acrius, quam Baſilius. Tum pro ea, qua apud Imperatorem erat gratia, illius auctores, ſi ſciſſet, dicto citius compreſſiſſet.

Non enim clanculum, ſed luce palam, & coram Conſtantio; immo auctore ipſo, & propemodum praeeunte ac dictante, formula iſta ſcripta eſt; quod vel locus ille Vigilii libro de Vnitate Dei a Diatriba citatus oſtendit. Sed & Hoſium coram, ut ei ſubſcriberet, poenis ac terroribus adegit Conſtantius. Non igitur obſcure concepta ſic fuit, ut eam Baſilius ignoraret, qui apud Imperatorem, ut dixi, tum omnia poterat.

Nam quod Diatriba fingit, (b) *in Sirmienſi ſynodo Epiſcopos bifariam diviſos fuiſſe, & ſeparatim formulas ſuas edidiſſe*: (c) *quod & Sardicae & Arimini contigit, ut de Sardica teſtantur Hilarii fragmenta*; ac ſic *in Sirmienſi partem utramque ſuam formulam edidiſſe*, quae quum emanaſſet, eaque factus audacior Antiochenus Eu-

Hh do-

(a) *Apud Epiphan. Haer.* 73.
(b) *Diatrib. II. pag.* 404. *b.*
(c) *Lib.* 1. *p.* 7. & *lib.* 2. *pag.* 6. & *lib.* 2. *pag.* 41.

Digitized by Google

doxius, nefariam haereſim ubique ſpargeret, tum in eum commotos fuiſſe Semiarrianorum principes : hoc commentum nihil eſt.

In primis enim redit illud, quod paullo ante dixi ; Baſilium Ancyranum partis illius, a qua formula iſta profecta eſt, inimiciſſimum apud Conſtantium magna tum in gratia fuiſſe, deque eius conſilio geſta illic, & adminiſtrata eſſe omnia : ut qui ad opprimendum, obterendumque penitus Photinum unus ſit ex omnium numero in certamen productus : illam ipſam vero formulam multum a priore & ſynodica diſcrepantem, & inviſam Baſilio, auctore Conſtantio, non conceptam occulte fuiſſe, ſed publice propoſitam, & ubique vulgatam. Hoccine ergo ut Conſtantius inconſulto Baſilio, aut invito, faceret unquam ? aut ſi faceret, non eum refragantem, ac reluctantem ad ſubſcribendum, uti Hoſium alioſque, ſubinde compelleret ?

Deinde quod eidem formulae praefixum eſt initium ſatis arguit, non ex condicto ac profeſſo, ut in legitimis & indictis ſynodis aſſolet, eam eſſe ſcriptam : ſed fortuito, & alterius occaſione rei coactis Epiſcopis expreſſam fuiſſe : Ἐπειδὴ περὶ πίστεως (inquiunt) ἔδοξέ τινα διασκέψιν γενέσθαι, πάντα ἀσφαλῶς ἐξητήθη, καὶ διηρευνήθη ἐν τῷ Σιρμίῳ ἐπὶ παρουσίᾳ Οὐάλεντος, καὶ Οὐρσακίου, καὶ Γερμινίου, καὶ τῶν λοιπῶν. *Quoniam de fide deliberationem aliquam fieri placuit, diligenter omnia tractata ſunt, & inquiſita Sirmii, praeſentibus Valente, & Vrſacio, & Germinio, ac ceteris*. Placuiſſe dicit aliquam de fide diſceptationem fieri; idque ita factum coram Valente, &c. Quae haud obſcure demonſtrant, non eo conſilio veniſſe illos Sirmium, ut de fide novi aliquid ſtatuerent ; ſed tum forte data occaſione id in animum induxiſſe, quod quidem revera ita contigit, ut ex Socrate, Sozomeno, aliiſque conſtat.

Quum enim Hoſium annum integrum Sirmii detentum, ut ſcribit Athanaſius, (a) ad aſſentiendum haereſi ſuae non poſſet adducere; demum anno 357. ut ſcribit Sozomenus, eiuſmodi fidei conſcripta formula eſt, quae pacis & concordiae cauſſa contentioſa illa nomina reticeri iuberet οὐσίας, ὁμοούσιου, & ὁμοιουσίου. Id enim ad conciliationem inter ſe partium aptiſſimum viſum eſt, quod neque damnarentur, neque approbarentur iſta nomina ; ſed quietis ac pacis cauſſa ſupprimerentur. Huius conciliationis, ac mediae cuiusdam ad ineundam concordiam viae auctorem fuiſſe Hoſium indicat Sozomenus. Refert enim, Eudoxium Antiochena ſede potitum, cum factionis ſuae Epiſcopis, tam ὁμοιούσιον, quam ὁμοούσιον damnaſſe, *eo praetextu, quod & Occidentales Epiſcopi eadem decreviſſent*, πρόφασιν ποιούμενος, ὡς καὶ οἱ ἀνὰ τὴν δύσιν ἐπίσκοποι ταῦτα ἐψηφίσαντο. Quodquemadmodum Occidentales fecerint, ita declarat. *Hoſius enim cum his, qui aderant, Epiſcopis ad eluendam Valentis, & Vrſacii, ac Germinii pervicaciam,*

(a) *In epiſt. ad Solit.*

ciam coactus permiſit, ut nec ὁμοούσιον, neque ὁμοιούσιον *uſurparetur, quod neque ſacris in litteris extarent ea vocabula, & ſupra captum humanae mentis eſſet in Dei ſubſtantiam inquirere*. Haec Sozomenus. Vnde conſtat, haereticorum importunitate victum Hoſium eam concordiae rationem iniiſſe. Ideo Hoſii & Potamii blaſphemia vocatur ab Hilario iſta formula. Itaque Eudoxius, Acacius, Vranius, aliique haeretici qui Aetium fovebant, ubi Antiochiam ea perlata eſt, ad Valentem, Vrſacium, & Germinium ſcripſerunt gratulantes, quod ab Hoſio tales literas expreſſiſſent, eorumque opera factum eſſet, ut Occidentales rectam fidem amplecterentur. ὡς κατωρθωκόσι δὲ περὶ τούτου τὰ Ὁσίου γράμματα, πρὸς αὐτοὺς ἐπιστολὴν διεπέμψαντο, Οὐάλεντι, καὶ Οὐρσακίῳ, καὶ Γερμινίῳ χάριν ὁμολογοῦντες, καὶ τοῦ ὀρθῶς δοξάζειν τοὺς ἐν τῇ δύσει, τὰς ἀφορμὰς αὐτοῖς ἀνατιθέντες. Apparet ex iis concordiae, uti dixi, gratia in eam fidei formam conveniſſe omnes, qui tum in comitatu erant, Epiſcopos, inſtante potiſſimum Imperatore, qui diſſidentes inter ſe conſociare magnopere cupiebat; ideoque ſe in omnem partem, utcumque ſpes erat eius rei obtinendae, facilem ac verſatilem praebebat.

Quare, quod ſaepe cogor repetere, non obſcure, neque clanculum, neque inſcio, ſi tum aderat, Baſilio, geri iſta potuerunt. Qui quidem ſtatim ut eam formulam accepit, totus in id incubuit, non ſolum ut ſynodali decreto damnaretur, cui ipſe praefuit in Ancyrano Concilio; (*a*) ſed etiam ut ab Conſtantio revocaretur. Etenim ex Ancyrana iſta ſynodo legati ad Imperatorem profecti ſunt Baſilius ipſe, Euſtathius Sebaſtenus, Eleuſius Cyzicenus, eique perſuaſerunt, ut & contra Eudoxium plenas ſtomachi litteras ad Antiochenos ſcriberet, & Hoſianam illam formulam proſcriberet, poena mortis propoſita, ſi quis eam occultaret, ut teſtatur Socrates, & Hilarius indicat. (*b*)

Proinde ex tempore nata eſt fidei haec Ecthesis, & ab Hoſio extorta (*c*) in fortuito Epiſcoporum aliquot conventu, quam ſynodum dixi ab nonnullis appellari. Quod Diatribae auctor irridet, quaſi ipſemet fortuitum eiuſmodi concurſum praeſulum Mediolani factum anno 346. non ab Liberio concilium nominari cenſeat, in ea epiſtola, quam ſcripſit ad Conſtantinum. Deinde qui tot Ariminenſes Epiſcopos Mediolanenſem alteram ſynodum per errorem commemoraſſe putat in epiſtola ſynodica; quo iure iraſci mihi poterit, ſi Phoebadium ſingularem utique ſcriptorem itidem aberraſſe dicam? At non eſt neceſſe. Nam ſynodum paſſim appellari videas qualemcumque conventum praeſulum. Quare nihil hic habet Diatriba, quod ſuccenſeat.

FINIS.

(a) *Lib.* 4. *c.* 12.
(b) *Sozom. l.* 4. *c.* 14.
(c) *Lib.* 2. *c.* 31. *lib. de ſynod. initio.*

Adm. Rev. Dominus D. Joſeph Roſſi S. Th. P. & in Aula Archiep. Lector, Curiae Archiep. Exam. revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 15. Feb. 1771.

F. X. EPISCOPVS VENAFRANVS VIC. GEN.

JOSEPH SPARANVS CAN. DEP.

EMINENTISSIME DOMINE.

LEgi ego iuſſu tuo *Adnotationes* in Concordiam Petri de Marca, *Animadverſiones* in ſelectas Obſervationes Boehmeri, *Praefationes* in eiuſdem Opuſcula, eaſque omnes dignas comperi quae typis in publicum producantur; ſunt enim non modo cuiuſque labis puriſſimae, ſed etiam haud parum iis profuturae, qui ſtudio rerum eccleſiaſticarum delectantur: ſunt porro ſupra modum aptiſſimae refutandis erroribus Boehmeri, quibus Opus egregium, quod manibus omnium teritur, plus damni, quam utilitatis afferre ſolet; Boehmerus enim in ſuis illis *Obſervationibus* Sacerdotii & Imperii iura paſſim perturbat; ipſum oppugnat Sacerdotium, eiuſque Ordines & Miniſteria confundit; molitus delere leges & inſtituta; quibus res Chriſtianae ſanctiſſime reguntur: uno verbo, Canonicam diſciplinam univerſam conatur evertere, facitque hoc iis artibus, quibus leves animae facile decipiuntur. Oportebat igitur, ut Opus illud praeclarum a Boehmero foedatum viri docti curis expurgaretur, & expurgatum ederetur bono publico: quod ſcilicet a Regio Anteceſſore, viro doctrina moribuſque in primis commendato, feliciter praeſtitum. Ita ſentio; at ſententiam meam iudicio tuo integram permitto.

Eminentiae tuae.

Devotiſſimus
Joſeph Roſſi.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum die 16. Decembris 1771.

F. X. EPISCOPVS VENAFRANVS VIC. GEN.

JOSEPH SPARANVS CAN. DEP.

Reverendiſs. V. I. D. D. Ioſeph Canonicus Simioli in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor Primarius, revideat & in ſcriptis referat. Datum Neap. die 24. Febr. 1771.

N. EPISCOPVS PVT. C. M.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Praeſul.

OPera Cl. Viri Petri de Marca, Baluzii, & Boehmeri adnotationibus aucta, nunc vero a doctiſſimo Neapolitani huiuſce Archigymnaſii Anteceſſore novis atque eruditis commentariis illuſtrata, atque adeo caſtigata, adiectis etiam ad obſervationes Boehmeri nitidis ſolidiſque reſponſis, quibus hactenus caruere exteris typis impreſſae, iterato ſubiici praelo haud prohibuerim: cautum eſt enim augmentis hiſce recentioribus Religioni, moribus, ac ſanae doctrinae: cautum quoque Regiis iuribus: aequitati tuae, Praeſul Illuſtriſſime, hoc qualecumque iudicium volens ac libens permitto. Datum Neap. XIV. Kalendas Quinctiles an. CIↃIↃCCLXXI.

Humillimus, Obſequentiſs. Addictiſs. Famulus
Ioſeph Canonicus Simioli.

Die 12. Menſis Iulii 1771. Neapoli.

VIſo Reſcripto Suae Regalis Maieſtatis ſub die 6. currentis menſis, & anni, ac relatione Reverendi V. I. D. D. Ioſephi Canonici Simioli, de commiſſione Reverendi Regii Cappellani Maioris, ordine praefatae Regalis Maieſtatis.

Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reverendi Reviſoris. Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica hoc ſuum.

GAETA. VARGAS MACCIVCCA. SALOMONE.

Vidit Fiſcus S. R. C.

Ill. Marchio Citus Praeſens, & Illuſtris Caput Aulae Praefecti tempore ſubſcriptionis impeditus.

Reg. fol.

Carulli.

Athanaſius.

576001

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google